CÆLII AVGVSTINI CVRIONIS SARRACENICAE HISTORIAE LIBRI TRES, AB AVTORE INNVMERIS LOCIS emendati atque expoliti.

IN QVIBVS

Sarracenorum, Turcarum, aliarumque gentium origines & res per annos septingentos gestæ continentur.

His accessere WOLFGANGI DRECHSLERI earundem rerum Chronicon, siue breuiarium.

Item, CÆL. AVGVST. CVRIONIS Marochensis regni in Mauritania nobilissimi à Sarracenis conditi, descriptio, nunquam antea edita.

CÆLII SECVNDI CVRIONIS, DE bello Melitensi à Turcis gesto, historia noua.

Cum rerum & verborum in hisce præcipuè memorabilium copioso INDICE.



FRANCOFVRDI
Apud Andreæ Wecheli heredes, Claudium Marnium & Ioan. Aubrium.
MDXCVI.

DIVO
IMP. CÆS. MAXIMILIANO II.
DIVI FERDINANDI, D. CAROLI V. FR.
F. D. MAXIMILIANI I.
PRONEPOTI:

D. FRIDERICI III. D. D. D. ALBER-
TI I. ET II. ET RODOLFI
ABNEPOTI:

AVSTRIACO, BOHÆMICO, PANNO-
NICO, ALSATICO, SVEVICO,
DALMATICO, ETC.

PIO, FELICI, INCLITO, VICTORI
ET TRIVMPHATORI SEM-
PER AVG.

CÆL. AVGVSTINVS CVRIO, PERPETVÆ
OBSERVANTIÆ ERGÒ HAS EXIGVI
AGELLI ET LABORVM SVO-
RVM PRIMITIAS
DICAVIT ET CONSECRAVIT.



CAELII AVGVSTINI CVRIONIS IN SARRACENICAM HISTORIAM

PROOEMIVM.



SÆPE & multum mecum ipse cogitans, scire cupiui, quid illud esset, quod maxima & potentissima quæque regna euertisset, vicissimq; multos tenuissimos & obscurissimos homines ad summos honores & potentiam euexisset. Nam cum & Romani Imperij Christianæque Reip. detrimenta considero, & maximorum regnorum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per luxum, ambitionem & discordiam, inuectam esse partem incommodorum. Cum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas, ex Historiarum monumentis repetere instituo, multa Imperia constituta, plurimas gentes subactas, diuturna regna & tutissimam tranquillitatem intelligo populis cùm temperantia, tum etiam facilius ciuili concordia partam. Ac me quidem diu cogitantem, ratio ipsa, & exempla in hanc potissimum sententiam ducunt, vt existimem, opes, diuitias, robur, rei militaris peritiam, sine concordia & populorum beneuolentia, obesse plerunque, prodesse ferè nunquam: consensum verò & beneuolentiam, etiam sine diuitiis & opibus plurimum valere. Quare qui populorum suorum salute, tranquillitate & commodis, quibus beneuolentia & conciliatur & alitur, neglectis, prorsus ambitioni dediti, omne studium in potentia inter suos augenda consumserunt, potiusque ab illis quàm ab hostibus timeri voluerunt: illi tandem inutiles sibi, & perniciosi patriæ fuêre. Qui verò ita sese suorum ciuium & populorum charitate armarunt, vt suis chari, patriæ autem hostibus formidolosi essent: illi & suis & publicis rationibus optimè consuluerunt. Ac si volumus antiquissimam regnorum omnium originem quærere, illorumque considerare principia, reperiemus ea omnia quæ diu floruerunt, honestissimis artibus parta, atque optimis rationibus constituta fuisse. Nam satis constat, initio Regium nomen, quod semper sanctissimum fuit, iis attributum fuisse, qui optimè de hominum vita meriti videbantur, populis sibi ob communem vtilitatem reges creantibus. Cum enim nondum diuinæ religionis, aut humani officij ratio vlla coleretur, cum nemo legitimas vidisset nuptias, certósve inspexisset liberos, nec ius æquabile quid vtilitatis haberet accepisset: ac propter errorem atque inscitiam, cæca atque temeraria animi domina cupiditas ad se explendam viribus abuteretur: cuius potuit tanta vis

esse, vt dispersos homines in agris & in tectis syluestribus abditos congregaret, & ad ea quæ ipse iußisset facienda induceret? profectò id non vi, sed sapientia, æquitate, iusticia beneficiisque in omne genus hominum collatis, quæ populos in sui admirationem traherent, communi quodam beneuolentiæ vinculo colligaret: & primò propter insolentiam reclamãtes, deinde propter beneficia accepta & æquitatem studiosius obsequentes, in vnamquamq; rem induceret, vtilem atq; honestam, factũ necesse est fateri. His artibus Saturnus, antiquissimus Romanæ arcis cõditor, prius in Armenia regnauit, & Babyloniæ regum potentißimorum insidias, vimq;, nulla re magis quã æquitate, & populorũ suorum in se beneuolentia fretus, effugit: iisdemq; nouum sibi in Italia regnum, Iouis arma fugiens, comparauit. Hac via Romulus, alter vrbis cõditor, ex pastorali & inope vita, & Numa cum Tarquinio Prisco, ex peregrinis ac priuatis, ad regium fastigiũ ascendêre. Tali suorum in se beneuolentia, Alexander ille Magnus totum domuit Orientem. Concordia, Græcorum res creuêre: Concordia, Carthaginensium respub. potentißima est facta: eadem Romanos Concordia terrarum omnium dominos, & gentium domitores effecit. hoc vinculo iuncti Sarraceni, primò imbecilles & tenues, Romani Imperij prouincias innumeras occupârunt: hoc eodem Turcarum potentia creuit: cum insolentia, ambitio & discordia, regna omnia potentißimaq; Imperia & amplißimas resp. euerterit. Vbi enim principes, artibus iis relictis, quibus regna initio sunt constituta, regnorum fundamentum ac neruum pecunias & opes esse arbitrantur: occultis inter illos & populos odiis gliscentibus, & illo charitatis vinculo dissoluto, facilè cuiuis & se & populos suos prædæ obiiciunt. Nã sic natura cõparauit, vt eâdem ratione qua alios in nos ipsos affectos sentimus, & nos erga illos affecti simus: notißimumq; est Platonis illud, Quales in Republica principes essent, tales ciues & populos esse solere. Ex quo nemini mirũ videri debet, Principes, qui sua ipsorum commoda & rationes publicis anteferunt, à populis non amari: & omnes qui sub illis degunt, eodem exemplo publicas rationes priuatis postponere: sic studiis hominum in varia distractis rempublicam pessundari. His de causis Imperium primũ à Chaldæis ad Assyrios, ab Assyriis ad Medos, à Medis ad Persas, ac tandem à Persis ad Macedonas translatum est. Discordia summũ illud Alexandri Magni Imperium, successoribus eius inter se, dum nemo suis finibus contentus est, de monarchia dimicantibus, euertit: discordia Græcorum res potentiamq; fregit: discordia & ciuilibus bellis Romana Resp. concidit: iterumq; Græcorum dißidia, Byzantinum imperium barbaris prædæ dederunt. Discordia Sarracenorum nomen extinxit, vt in hac nostra historia patebit: eademque pestis hodie Christianam remp. ita exagitat, vt verendum sit ne tandem (sed nolim quidquam malè ominari) ea quoq; vel deleta, vel oppressa, ni resipiscamus, nobis sit lugenda. Quid igitur facimus? cum tantorum malorum semper causa fuerit ambitio, & ex ea nata discordia? Cur tam præcipites in ferrum, mutuamq; perniciem ruimus? Cur ciuilibus bellis, & nostrorum cæde gaudemus? Quin potius, ô cæcæ hominum mentes, odiis depositis controuersiisque sopitis, quæ non vi & armis, sed æquitate, Deique lege diiudicari debent, arma in communes Christiani nominis hostes, in omnis humanitatis, reli-

tis, religionis, literarumq; euersores conuertimus? arma inquam ista, quæ in varias partes disiuncta atque distracta, & in se inuicem conuersa, omnem Christianam remp. in exitium tandem trahent: quibus coniunctis, Byzantium Romano iterum imperio restitui: Græcia ac tot Christianæ gentes in perpetuo luctu vitam agentes, intoleranda tyrannide liberari: impurissima Turcarum gens tota Europa pelli posset, & vera CHRISTI religio apostolicis concionibus, vitæque innocentia propagari. At forsan, vt olim, longè quærendus est hostis, maria tranandâ, Europa vniuersa metienda, in Asiam Syriamque per loca ardua, regiones suspectas, & ferocissimas gentes transeundum? Atqui pro foribus & in ipso limine est, arrogantia tumidus, vltro nobis insultans, dissidiis nostris gaudens, fortunis inhians. Potuit olim Petrus eremita, tenuis fortunæ vir, trecenta mortalium millia contra Sarracenos sola oratione armare, & innumeros nobiles ac proceres cum multis legionib. in eosdem concitare, in Asiam vsque perducere: vbi regna multa Sarracenis ademerunt: nam tunc populi ipsi per se nullo stipendio adducti, sola pietate impellente, longissimas peregrinationes suscipiebant: & regibus ipsis vel ocio ac luxui deditis, vel ciuilibus bellis occupatis, arma in remotissimas terras cōtra impios ferebant. Nunc autem, cum potentissimus, idemq; immanissimus hostis, ceruicibus nostris immineat, Christianas prouincias alias occupet, alias oppugnet & vastet: habeatq; Christiana resp. D. MAXIMILIANVM Imperatorem sapientissimum, cui non frustra gladium tradidit Deus, sed vt eo aduersus latrones, pro sui populi pace trāquillitateque tuenda, vteretur: quorundam nihilominus prauis consiliis nos mutuò conficimus. Quod cogitans, & mecum ipse Christianæ Reip. statum lugens, vt cum vnus & viribus imbecillis, ægroque corpore, nil efficere possem rebus gerendis: saltē multis aliis, qui possent animos ad commune periculum propulsandum excitarem: exemplisque, quæ Historiarum lectio suppeditat, ad consulendum Reip. saluti accenderem: me ad Sarracenorum, Turcarumq; res alta vetustatis caligine immersas, ordine scribendas contuli: vt quibus artibus illi creuerint, & quibus vitiis nostræ vires imminutæ sint, videntes ea vitare possimus. Hanc autem Historiam totam breuissimè comprehensam, & cùm ex multis Græcorum, Byzantinorumque & Latinorum voluminibus, tum ex Arabum, Maurorumque annalibus collectam in tres libros partiti sumus: sic, vt Primus Muamedis & Sarracenorum originem, imperiique incrementa, ad summum vsque fastigium, per ducentorum annorum spacium contineat: Secundus, à prima eius inclinatione, ad eiusdem excidij initium, totidem annorum spacio: Tertius, excidium ipsum ac Turcici (quod Sarracenico successit) imperij originem ad Othomanum vsque, trecentorum videlicet annorum res gestas breuissimè complectatur. Ita vt hæc omnis Historia, ab anno post Christum Seruatorem natum DLX, quo natus est Muamedes, ad MCCC perueniat. Othomanorum autem Imperatorum res omisimus, quòd à multis aliis seorsim scriptæ fuēre: cum de his, quæ nos his tribus Libris complexi sumus, nemo vel Latinorum, vel Græcorum, quod sciam, separatam Historiam fecerit. Quem meum laborem, si bonorum & doctorum iudicio comprobari sensero, ad maiora me deinceps accingere audebo.

CAELII AVGVSTINI CVRIONIS SARRACENICÆ HISTORIÆ

Liber primus:

Quo Sarracenorum origo, & Imperij incrementa continentur.



ARRACENORVM origines resque gestas scribere, operæprecium existimaui: primùm, quia magnæ & toto terrarum orbe peruagatæ fuerunt, & diuina atque humana cuncta permiscuerunt: deinde, quia ex Christianorum dissidiis coaluerunt: vt inde exemplum capientes discamus, quantum dissidia nostra virium Christiani nominis hostibus & audaciæ addant: neue amplius hac ratione iis qui nihil magis quàm sanguinem nostrum appetunt, iugulum præbeamus. Etenim primùm omnium illud satis constat, Imperium Romanum, quod concordia, temperantia & fortitudine in tantam magnitudinem creuerat, vt cunctis penè mortalibus leges daret, vbi ocio & ingentibus opibus partis luxus Imperiorumque cupiditas ciuium animos inuasit (quæ res ipsum iam sua mole labantem, dum plures pro Imperij fastigio dimicant, deiecerunt) à nullo tantam cladem, quantam ab Sarracenis accepisse. Nam etsi Gotti, egregiis virtutis atque amplitudinis Romanæ monumentis immani rabie deuastatis, primi hominum de domitore gentium populo triumpharint: & Attila Hunnorum rex à Rhiphæis montibus ad Pyrenæos cuncta rapidissimi torrentis more prostrauerit: & Longobardi maximam Italiæ partem occupassent, vt & Franci ex Germania in Galliam irrumpentes fecerant: illorum tamen alienis in terris vel non diuturna fuerunt imperia, vel tandem sub mitiori cœlo degentes mores mutarunt, religionemque & Cæsarum summum Imperium agnouerunt. Verum Sarraceni, vt Romani Imperij simul & Christianæ religionis euersores viderentur, ex Arabia erumpentes, nobilissimas Asiæ partes, quæ tantis immanissimarum gentium inundationibus intactæ fuerant, vastarunt, omnibus bonarum literarum, ingenuarumque artium studiis & (quod maximum est) religionis veræ cultu in iis extinctis: & non solum Asiæ prouincias, sed & Africam penè totam, ac Hispaniæ maximam partem barbaris ritibus, ignorantiæ tenebris, impiaque & nefanda religione fœdarunt: indeque crebris incursionibus Italiam, Græciam & Galliam maximis calamitatibus afflixerunt: & tale Imperium constituerunt, vt hodie (qui est annus à Christi Seruatoris natali M. D. LXVII.) nongentesimo videlicet postquam natum est anno, ceruicibus nostris imminere videatur, totique Christianæ Reipub. sit formidabile. Nam Turcæ qui hodie rerum potiuntur, quasi hæredes ab illis & religionem & regna acceperunt: & adhuc in Africa Sarracenorum reliquiæ quædam vigent. Sed priusquam ad res gestas illorum explicandas venio, sunt mihi pauca de origine, & sectæ auctore dicenda. Arabia omnis in tres partes est distributa: quarum vna Petreia: altera Deserta: tertia Fœlix siue Sabæa. Petreiam ab Ægypto, cui ad Orientem est Casius mons, & inde vastæ solitudines dirimunt: à Septentrione Iudæam & Palæstinam habet: qua sol oritur, desertam Arabiam: & qua ad meridiem vergit, Arabici sinus interiorem partem. Deserta in qua vrbs Scene erat, alio nomine etiam Scenitis appellata: à meridie montibus Arabiæ felicis cincta est, à septentrione Mesopotamiam habet, & Euphratem fluuium ab ortu. Arabia fœlix, inter duos sinus Arabicum & Persicum, veluti peninsula excurrit: Petreiam & Desertam habet à septentrione, ab occasu Arabicum sinum: ab ortu Persicum, & à meridie Rubrum mare. Has regiones à quatuor populis habitatas fuisse inuenio, nempe ab antiquissimis Arabibus, ab Arabo, Sabo, & Petreio, Curetis filiis, & Chami nepotibus oriundis: à quib. & res Arabię cognomen acceperunt, nēpe Arabia deserta ab Arabo, Sabæa, quæ & Felix, à Sabo thurifero,

Petreia

Petreia à Petreio, Beroso Chaldæo autore, quamquam alij à Petra oppido vetustissimo dictam velint: deinde ab Ismaëlitis, quorum generis conditor fuit Ismael, Abrahami & Agaris ancillæ filius, à quo & Ararena regio & Agranum oppidum, à Strabone corruptè, pro Agarena & Agareno nuncupata, originem habuerunt. vt Petreia regio à Nabeoth, Nabathęa, & Cedrei populi à Cedare eiusdem Ismaelis filiis dicti sunt. Tertij populi fuerunt ex Chæturæ, secundæ Abrahami coniugis, filiis oriundi, qui magnam Arabiæ felicis partem occuparunt, eam præsertim quæ ad Rubrum mare pertinet: & in Libyam quoque colonias deduxerunt, vnde postea (Iosepho authore) ab Ophre Mandanes filio, & Abrahami ex Chætura cōiuge nepote, Africa dicta est. Quartum genus ab Esau Isaaci filio originem traxit, qui Iudææ proximas Petreiæ Arabiæ partes incoluit, vnde Sarraceni populi in Arabia Petreia à Plinio & Ptolemæo nominantur. nam Isaacus Esau pater, Abrahami ex Sara filius fuit. Dicti autem sunt Sarraceni, vt simul se à domina, non autem à serua, quemadmodum Ismaelitæ, oriundos testarentur: & ab Iudæis distinguerentur, qui & ipsi iisdem parentibus orti erant. Inter hos omnes fortissimi & bellicosissimi erant Scenitæ, Desertam Arabiam incolentes, ἀπὸ τῶν σκηνῶν dicti, quòd Nomadum more vagi & sine ædificiis in tentoriis habitarent: qui sese antiquissimos esse gloriabantur, & cum cæteris omnibus de nobilitate contendebant. horum opera sæpe in bellis Romani Imperatores vtebantur. Instituta multa Arabes, & ritus Hebræorum institutis similes semper habuerunt, & hodie retinent: nam semper, vt etiam Herodotus atque Diodorus testantur, circumcisione vsi sunt: ac tribuum, vt Iudæi, familiarumque ordinem seruarunt: & alterius tribus familiæve fœminam viro nubere, aut virum vxorem ducere nefas ducunt, generis nobilitatem incorruptissimam seruantes, ita vt nobiliores semper apud eos regnarent: nec vnus omnibus, sed quælibet tribus regem suum haberet: eique non filius succederet, sed primus qui postquā rex esset salutatus, ex nobilissimo viro ac muliere nasceretur, in spem regni alebatur: homines passim (vt qui sub torrenti sole degunt, plerunque solent) furtis ac rapinis dediti. Religio apud eos varia. alij enim Christum colebant: quorum etiam eo tempore, à quo nos Historiam nostram ordimur, vt & in aliis locis omnibus, variæ erant sectæ. alij Iudæorum ritus seruabant: alij solem & lunam, alij arbores quasdam, alij serpentes, alij turrim Alcaba dictam, quā ab Ismaele ædificatam putabant, & alij aliud venerabantur. In hac igitur tanta religionum varietate, ac tam rudi populo, Muamedes paternum genus à Core Esai, vel (vt alij volunt) ab Cedare Ismaelis filio trahens, cuius pater Abedela, & mater Enima vocabatur, gente Iudæa, Itraripi Meccæ vrbis agri oppido, in Arabia deserta tenui fortuna natus est, Anno salutis Christianæ (vt ipsi tradunt) DLX, mense Februario. vnde à parentibus primis annis & Hebræorum ritibus, & gentium cultu est imbutus. Parentibus verò, cum adhuc tenera ætate esset, defunctis, Salutalebi patrui tutelæ fuit commissus. deinde cum iam adultam ætatem attigisset, ab Scenitis, ferocissimis (vt diximus) populis, vitam per latrocinia ducentibus, captus, Abdimonepli Ismaelitici generis ditissimo mercatore venditus fuit: qui eius ingenio cognito, eum sæpissimè ob mercaturæ negocia ex Palæstina, in qua habitabat, in Ægyptum mittebat. quæ negocia, cum Muamedes per multos annos exercuisset, apud Hebræos, Christianos & Gentiles magnam sibi gratiam conciliauit. Erat enim Muamedes, statura mediocri, capite magno, facie subfusca, colore viuido, barba prolixa, nec tamen cana: quia caniciem, si quæ fortè incipiebat, vnguentis celabat: aspectu graui, & maiestatem quandam cum comitate præ se ferenti: cruribus optima proportione factis, motu corporis suaui, leniq;, ac (vt aiunt) fluminis suauiter delabentis cursum imitanti: in sermone benignus, magnaque animi & corporis vi: ingenio acri, sed (vt de Catilina tradit Salustius) malo, prauoque: audax, & periculorum contemptor. Cuius rei exemplum hoc adferunt, quòd cum aliquando equo ferocissimo, ac prorsus indomito, amicis aliquot spectantibus, insideret, eum ita agitauit, vt omnes qui spectabant, de eius salute vehementer solliciti rogarint, vt ex equo descenderet. quibus ille placidissimè respondit: equum illum mari similem esse, vt se ea agitatione, non secus ac si

naui veheretur, oblectari intelligeret. Itemq; varius erat, vt leges ab ipso innumeræ inter se pugnantes, latæ indicant: quæ res in ipsius religione sectarū varietatem induxit. nec nō cuiuslibet rei simulator ac dissimulator, sed natura facundissimus. Vastus eius animus, immoderata incredibiliaque cupiebat. Hunc tanta sectarum varietate cognita, cupiditas maxima incesserat vnius religionis constituendæ, & imperij simulq; diuini honoris sibi vindicandi. Cuius rei spem illi faciebant Christianorū dissidia, mores corrupti, & militaris disciplina propemodum amissa. His accessit Sergij monachi consilium: qui ob Arianam sectam Byzantio pulsus, in Arabiam profugerat, & Abdimoneplis Muamedis heri domum frequētabat, Muamedemq; ob ingenium valde diligebat. Itaque hero sine liberis mortuo, Hadigia vxor vidua quinquagenaria, omnium mariti bonorum hæres, hunc sibi virum capit. Is igitur, vt qui comitialem morbum pateretur, cum sæpe corpore prostratus, in alienationem mentis veniret, idque vxor valde ægrè ferret: id sibi ex ipsius Dei spiritu, qui se corriperet, & quædam nunciaret, quæ per ipsum circa Mosis Christiq; legem populis essent indicanda, accidere dixit. Corpora etenim corruptioni obnoxia, numinis intuitum ferre non posse: ideoq; corpus tunc penè animo destitui. quibus verbis vetula, vt quæ formæ eius atq; ætatis amore capta erat, fidem adhibens, non iam vt maritum amare, sed vt diuinum hominem & vatem colere, ac venerari cœpit: eiusq; sanctitatem inter æquales prædicare, adeò vt decedens non modò fortunis diuitem reliquerit (hæredē enim eum ex asse instituit) verùm etiam sanctitatis apud rudem illum populū opinione clarum. quas ob res Bubacus, eius Arabiæ partis facilè princeps, & ex eadem tribu natus, ipsi iam trigesimum ętatis annum ingresso, Aissam filiam nuptui dedit. Qua affinitate & opibus sibi à priore vxore relictis fretus, ausus est se apertè Dei nunciū & vatem profiteri, & nouam quandam religionem docere, ex omnium sectarū erroribus conflatam. Præcipiebat enim circumcisionem simul & sacri fontis lauacrum, porcinæq; carnis & vini abstinentiam. Ieiunium mensem continuum seruari volebat, tantumq; noctibus cibum capi. Tres modò vates fuisse, se, Mosem & Christum, Christumq; minimè Deum esse: & huiusmodi impia dogmata innumera, quæ in ipsius Alcorano siue Alfurcano, continentur. Quę dogmata initio quidē à multis deridebantur, & illorum causa pro mente capto habebatur. Verùm cum iam affines omnes & Bubaci familiam, quæ potens erat, multosq; ex plebe in sectā suam pertraxisset, Meccæ magistratus, id Reip. ni citò huius hominis audacia reprimeretur, perniciosum fore animaduertentes (apertè enim in principes inuehebatur) manus illi inijcere, vt supplicio afficerent, sunt conati. qua de re certior factus Muamedes, Mecca profugit: eumque multi propinqui, affines, amici & clientes, quibus iam talem esse, qualis haberi volebat, persuasum erat, sunt sequuti: & ab hoc anno, qui fuit post Christum Seruatorem natum DXCIII. Arabes suos annos numerant: huncque annum Legiræ, id est fugæ annum vocant. Hac igitur multitudine visa, magis quàm antea viribus suis fidens, talem ad eos orationem fertur habuisse.

Quantoperè semper cupiuerim legem, quæ mihi per Dei opt. max. nuncium Gabrielem mortalibus ferenda tradita fuit, promulgare, & ipse Altissimus nouit; & vos amici mihi testes estis. nulli enim vnquam labori peperci, nulla pericula, nullas ærumnas subterfugi, vbi me communi hominum saluti consulere, & munus mihi diuinitus iniunctum exequi placidè posse sperarem: vt homines à flagitiosa vita ad sanctam reuocarem: atque ex orco, in quem præcipites ruunt, in cœleste regnum retraherem. In hoc videlicet Dei ipsius, cuius legatione in terris fungimur, benignitatem imitantes. qui cum omnes Adami culpa mortales, in immanis inferni tyranni manus cecidissent: voluit tamen populum suum, sicuti Abrahamo parenti nostro promiserat, seruare, lege nempe illi proposita, per quam vitam sempiternam adipisceretur. ideoque primum Mosem misit, qui initia quædam & fundamenta iaceret huius doctrinæ, & homines sempiternarum pœnarum metu ad saniorem vitam reuocaret. Sed cum ea ratione parum Mosis lex profecisset, IESVM Christum misit, qui mitiore quadam via mortales deli-

niret,

niret, ac Deo obsequentes redderet. Nunc autem humano genere ita rursum deprauato, vt nulla sit certa & cōstans religio, nulla disciplina, nulli probi mores: mihi, quem iam ab ipsa mundi origine ad hoc destinârat, id muneris iniunxit, vt extremis malis extrema remedia adhiberem: & ferro atq; igne, quicquid praui esset, vel sese huic legi opponere auderet, rescinderem: ac regnum Dei, augustioremq; in terris, quàm vlla antehac fuerit, Rempub. constituerem. Nam quis non videt, nisi nos, quibus à Deo id muneris est iniunctū, obuiam tantis malis eamus, omne mortaliū genus breui periturum? Non enim potest humana natura sine lege (quæ in tanta varietate & viuendi licentia, nulla constare potest) non grauissimè labi & peccare: legem autem, quomodo salutarem inuitis & spernentibus feremus? nam quantis nos, qui summi Tonantis iussa exequi satagimus, contumeliis affecerint, vos amici vidistis: non secus ac feras, ad necem nos persequuntur. Sed vos felices ac beatos, quos Deus mihi ministros & adiutores ad tātas res gerendas delegit: & nō solum æternæ felicitatis mecum participes esse voluit, verùm etiam in terris ingentibus diuitiis locupletare: quibus profectò, si fortes & in fide constantes fueritis, breui innumeris gentibus subactis, & ditissimis regionibus populatis fruemini. Ea enim omnia Deus vestra esse vult, quæ iniustè impij homines, qui huic legi aduersabuntur, possident. Hæc autem omnia sic futura, cùm aduersariorum scelera, quæ Deus diutius impunita esse non patietur, & vestra, viri fortissimi, præclara virtus ac fides, tum Dei Opt. Max. certissima oracula, nobis spondent: quamobrem, si & cœlestis regni, & tantarum opum atque gloriæ participes esse vultis, decet vos mihi iusiurandum præstare.

Quibus auditis, multitudinis principes, ac inter primos Zaid filius Zuzaræ, Aomar, & reliqui omnes ordine, strictis gladiis, iureiurando grauissimo promiserunt: se nullam aliam, præter eam quam Muamedes ferret, legem probaturos: & pro ea tuenda propagandáque vitam & sanguinem, vbicunque opus foret, profusuros. His peractis, Muamedes rursus silētio multitudini imposito, vbi aliquandiu precanti similis genibus flexis stetisset, alta voce dixit:

Nunc, viri fortissimi, vos armis & animis ad pugnam accingite: certissimam victoriam in manu habemus. en illa quæ sæpe optastis: diuitiæ videlicet, decus, gloria, perpetua felicitas, in oculis sita sunt. Deus ea omnia vobis victoribus præmia posuit: virtus vestra, causa ipsa, & superiora omnia, vos magis, quàm oratio mea, hortari debent.

His dictis decem duces ex nobilioribus potentioribusque, & sibi affinitate iunctis multitudini pręficit, eamq; in cohortes & centurias distribuit. Ducum hęc erant nomina: Vbequar, Omar, Ozmen, Alifre, Talaus, Azubeirus, Zadinus, Zaedinus, & Abuobeid. & sic Meccam instructo agmine perrexit. Quo audito, Meccæ magistratus exercitum contra eum misit: cum quo Muamedis copię congressæ, inferiores fuerunt. Quamobrem quatuor annorū spacio ab oppugnatione vrbis abstinuit: populos tamen interea semper suis concionibus, quas in agris & vicis habebat, ad seditionem accendens: quibus etiam inter Scenitas, qui Romanis Imperatoribus parebāt, motus quosdam excitauit. Deinde iterum viribus auctus, Meccæ oppugnationem frustra tentauit: & biennio pòst tertio eundem conatum irritum est expertus. Interea Heraclius Imperator Scenitarum iuuentutem ad seditionem spectare animaduertens, vt eam placaret, per speciem militiæ, magnam partem procul ablegauit. Regnabat tunc in Persia Cosdroes rex, qui Mauricij Cæsaris filiam nomine Mariam vxorem duxerat, & in eius gratiam sacri fontis lauacrum sumpserat: Christianorumque omnium, quamdiu socer vixit, amicissimus fuerat, atque in eosdem beneficus. Sed eo post à Phoca, qui ei in Imperio successit, proditione interempto, eorum qui tam nefariū hominem domini sui cæde pollutū, sibi principem constituerant, quasi illius sceleris & occultæ societatis reorū perfidiam detestatus, vt soceri necem vxore incitāte vlcisceretur, Heraclij (nam Phocas breui fuit interemptus) qui cum Italiam & Romanum Imperium vndiq; barbari vastarent, in ocio desidebat, ignauia audacior factus, in Imperij fines cum exercitu irruperat: & tota Asiæ ora quæ ad meridiem vergit, armis

subacta, Ægyptum ingressus Alexandriam occupauerat: & inde vlterius progressus, Carthaginem, & omnem Africam subegerat. Deinde prouincia præsidiis firmata, per Alexandriam reuersus, Syriam & Iudæam vastabat. Heraclius, à barbaro hoste tantis affectus cladibus, pacem petiit: qua non impetrata, potius coactus quàm sponte, exercitum comparat: & Arabas istos Scenitas (cum quibus sunt qui velint Muamedem fuisse, & prælio, quo Cosdroæ res conciderunt, à milite quodam nomine Turco vulneratum fuisse) sibi adiungit: & cum Cosdroa multis pręliis congressus, tandem eum vicit, adeò vt is vltra Tigranem fluuium fugiens, Medarsem filium (altero filio maiore natu, præclarę indolis adolescente, qui Sirochis vocabatur, præterito) regni consortem declarârit. Qua contumelia grauissimè irritatus Sirochis, occultè cum Heraclio conuênit, vt patre simul & Medarse fratre, quem pater sibi prætulerat, cum omni regia gaza proditis, deductisque præsidiis ex omnibus Rom. Imperij prouinciis, ipse Persarum regnum obtineret, paxque inter vtrumque Imperium esset: neç magis puduit Heraclium, Christianum videlicet principem regnum, quod iam tot præliis aduersis debilitatum, si victoriæ cursum sequi, & fortuna vti sciuisset, in manu sua, rege præsertim fugiente habebat, parentis simul ac fratris impio nefarioq; proditori tradere, & ignauam ignominiosamq; pacem tanto scelere mercari: quàm barbarum illum & impium iuuenem, regnum sibi, tam nefario facinore parare. tantum in hoc valuit regnandi dira cupido, & in illo ocij desiderium. Itaque Cosdroas cum Medarse & vxoribus ex fuga retracti, in vincula conijciuntur: nec multo pòst ambo Syrochij iussu interfecti, fortunæ varietatis exemplum crudele fuerunt: quo moneri debent reges, quid ipsis in successore declarando sit cogitandum, ne fortioribus præteritis ignauiores eligant. Nulla enim acrior indignatio est, in feroci præsertim pectore, quàm virtutis à suismet contemptæ. Rebus igitur Persicis hoc fœdere pacatis, Syriaque & Hierosolyma reliquiisq; prouinciis Romano Imperio restitutis, ab hoc bello redeuntem Heraclium Muamedes regio comitatu & pompa stipatus conuênit, & regionem ad habitandum petiit, atque obtinuit. Cum autem militibus stipendium daretur, quererenturque Arabes se merito stipendio fraudari: quæstor imprudenter nimis atque arroganter, vix esse respondit, quod Græco & Romano militi daretur, nedum huic canum turbæ. Quæ verba altè in pectus demissa, ac sæpius inter sectę principes gregariosq; commemorata, breui toti ferè Christianæ Reip. exitio fuêre, & adhuc in capita nostra illius iniuriæ vindicta redundat: tot sæpe mala ex vnius imprudentia oriuntur, cum præsertim viri fortes & militares iniuria afficiuntur. Hac enim contumelia ad iram accensi, Arabes in Syriam secessêre, seque Muamedis asseclis adiunxere. Quamobrem Muamedes his viribus auctus, quartò Meccam summo conatu oppugnaturus petit. Perceperunt hunc conatum Meccæ magistratus: & ideo maiore quàm antea apparatu, & copiis, vniuersa penè ciuitas ad impetum hunc reprimendum ei occurrit: cum quibus ille ad Bredinũ amnem prælio cõgressus, trecentis Meccæ patriciis, præter ingentem aliam multitudinẽ, cæsis, superior euasit, adeò vt eo prælio penè omnis Meccæ nobilitas fuerit extincta: sic Muamedes victor Meccam est ingressus: pręsidioque imposito, Hunaimum cum exercitu petiit: eaque vrbe expugnata, prædam, quæ opima fuit, militibus diuisit. Inde Tharsum obsidione cinxit. qua vrbe per mensem frustra oppugnata, in Arabiæ interiora rediens, Itraripum siue Ietripum primò, deinde Medinam vrbẽ diuitibus Iudæis refertam occupauit: & præda militibus concessa, diripuit: Iudæos verò omnes qui tum ibi, tum in aliis Arabiæ locis erant, vt qui maximè ob diuinæ legis peritiam instituto suo aduersarentur, summo odio persequens, vndecim prælijs penitus deleuit. Inde Itraripum reuersus, Azeibum Meccæ prefectum constituit, qui cum magna Arabum siue Saracenorum manu vrbem est ingressus. erat enim tunc Mecca, & adhuc est, totius Arabię, tum ob vetustatis opinionem, vt quæ ab Ismaele, vel Abrahamo ipso condita creditur, tum etiam ob magnitudinem vrbis populique frequentiam, nobilissima. Deinde rursus eodem anno Azeibo inde moto, Moadum, Gadelis filium, eidem vrbi præfecit: cũ huiusmodi mandato, vt se humanis exempto legem suam

tueretur,

tueretur,& à populis seruari curaret:interea verò Meccensibus ius diceret. Rebus in hunc modum constitutis, Tambicum castra mouit:ibique templum condidit, quod adhuc visitur. Inde Zalidum & Melidum legatos suos,cum copiarum parte contra Alozaidam, Almathaliphi filiũ, Aliendeli regem misit: quem illi armis victum, vectigalem fecerunt: & sic Arabia tota subacta, Eubocaram, dum ipse Itraripi ageret,cum exercitus parte Meccam ire iussit:& vt neminem in ea viuum relinqueret, aut aliunde venientes, nisi qui suæ legi parêrent, ac doctrinæ acquiescerent, ingredi pateretur, iniunxit. volebat enim Meccam quemadmodum effecit religionis atque imperij sui sedem esse. Itaque Mecca breui tempore iis tantum qui Muamedem colerent, est repleta: nec sola Mecca, verùm etiam Arabia tota eius errores (vt sunt illi populi naturâ creduli, & rerum nouarum admiratores) est amplexa. Deincepsque omnes qui se ei sectæ dederent, tum quòd ex Sarracenorum gente is error esset ortus: tum etiam Muamede, vt ipsis omnia à Deo promissa viderentur, quæ in Sacris literis Abrahami posteris promittuntur, sic persuadente, Sarraceni sunt appellati. Quo rerum successu elatus, legationes ad vicinos reges misit:quibus monebat eos, vt & ipsi religionem hanc amplecterentur,cum literis argenteo signo,cui hæc verba erant impressa, MVAMEDES DEI NVNCIVS, obsignatis: nempe ad Cæsarem Constantinopolitanũ, ad Persarum, Ægypti, aliosque reges. Postea creauit quatuor tribunos militum, vulgò Admirantes appellatos, quibus singulis multos duces & centuriones attribuit: eosque quatuor acutos Dei gladios nuncupauit, & iussit diuersos in quatuor orbis terrarum partes ire, ac omnes qui legem suam non amplecterentur trucidare. Quorum hęc erant nomina: Ebubezer, Omar, Ozmenus,& Ali Salutalebi patrui ipsius filius: cui etiam Fatemam, suam ex priore coniuge priuignam, vxorem dederat. Ex quibus Ebubezer, ab aliis Vbequar, aliis Bubacus vel Eubocara appellatus, Muamedis socer, Palæstinam petiit: ibique oppidum Muchea nomine oppugnauit, cui Theodorus Begarius Cæsaris nomine præerat. is viribus suis collectis, repentè Sarracenos tanto impetu est adortus,vt multis ex illis cæsis, reliqui fuga sibi consuluerint. Quo tempore, 3. Idus Martij, obiit Muamedes: Anno salutis Christianæ DCXXXVII. cum decem annos regnasset, atque in domo Aissæ coniugis Medinæ,eo ipso in cubili in quo quiescere solebat,absq; vllo regio ornatu, corpore solummodo triplici candido panno inuoluto, ferrea in arca conditus fuit: vbi pòst templum magnificum latericio opere extruxerunt propinqui eius, & fornicem in eo magnete lapide ita crustatum fecerunt,vt arcam in qua Muamedis corpus iacet, sublatam pendulamque sustineat, ex quo locus is à toto Oriente magna religione colitur. Tradunt illum,dum exularet à patria, in Mauritaniam Tingitanam semel peregrinationis gratia profectum, in Hispaniam quoq; traiecisse. Sed cum intellexisset, Isidorum episcopũ sibi insidias parare,mox inde recessisse. Moriens autem Muamedes Alim generum successorem suum declarauit: & Califam, id est, pontificem sectæ suæ esse voluit, eiq; vnà cum filia corporis sui curam commisit. Sed Eubocara socer id vetuit,æquum esse inquiens,vt cum Muamedes apud se decessisset, suoq; fauore & opibus quæcunque adeptus erat, acquisiuisset, ipse ei succederet prior. Cui Alis se opponere non potuit,quia potens erat, adhærebantq; illi Homar & Ozmenus propinqui ipsius, viri fortes, & factione pollentes: qui cum ad se quoque, quòd Muamedi rebus gerendis semper adfuissent, regni administrationem iure spectare arbitrarentur, malebant Eubocaram, qui senex erat,& ipsis sanguine iunctus, regnare, quàm Alim iuuenem; qui tamdiu regnare poterat, vt ipsis nulla regni post illum obtinendi ex naturæ ordine spes relinqueretur, & nulla ipsos sanguinis affinitate contingebat. Quamobrem Eubocara Muamedicæ sectæ pontifex creatus est: qui statim cum ingenti exercitu finibus suis egressus, Romanum præsidium fudit:& victor in Arabiam rediens, regni sui anno tertio nõ expleto, nec sine veneni suspicione, mortuus est,& prope Muamedem absq; regio ornatu conditus. Huic successit Homarus, quem eius propinquum fuisse diximus. Hic Bostram, totius Arabię caput, cũ multis aliis expugnauit, & Gabatam vsq; cuncta subegit: quo Sarracenorũ successu vehementer cõmotus

Heraclius, Theodorum fratrem cum magno exercitu contra eos misit. Qui cum Homare prælio congressus & victus, Emessam confugit. Quo tristi nuncio accepto, Heraclius Baanem cum maioribus copiis ad eãdem expeditionem misit. qui cum propeEmessam castra haberet, Sarracenos in se impetum facientes fudit, adeò vt illi in Damascenorum fines concesserint: & castris ad Bardanes fluuij ripam positis, tam validis excursionibus vicinos agros populabantur, vt nemo reprimere eos posset. Quamobrem Heraclius viribus suis diffisus, & sibi, si diutius in ea prouincia mansisset (erat enim tunc Hierosolymis, vnde post Persicum fœdus nunquam discesserat) timens, preciosis omnibus Hierosolymitani templi ornamentis secum, ne barbaris prædæ essent, acceptis, Byzantium rediit. Sequenti verò anno Sarraceni Damasco castra admouerunt. qua re motus Baanes, qui eam vrbem Cæsaris præsidio tenebat, Theodorum Sacellarium, iterum Cæsaris in Assyria legatum, vt sibi cum copiis auxilio veniret, rogauit. quod cum ille facere properaret, à Sarracenis in itinere fractus fuit. milites verò, qui cum Baane erant, ducem summa cum potestate habere cupientes, eum Imperatorem salutârunt: sed qui cum Sacellario Sarracenorum ex pugna manus euaserant, Heraclio fidem seruare volentes, abiuerunt. Baanis milites numero quatuor millia erant, & Sacellarij ferè totidem. Hoc igitur dissidio, quod inter Romanos milites ortum erat, cognito, Sarraceni promotis castris Romanos sunt adorti. cumque ventus aduersus Romanorum aciem spiraret, qui in sicca & sabulosa regione puluerem attollebat, quo Romanis & oculorum vsus, & respirandi facultas adimebatur, Sarraceni hac occasione vsi, eos fuderunt. qui per præcipitem viam fugientes, penè omnes in Ermeta amne submersi interierunt. Qua victoria elati Sarraceni, Damascum petierunt: eaque vrbe expugnata, totam Phœniciam subegerũt. Deinde cum expeditionem in Ægyptum molirentur, id audientes Romani, qui eam prouinciam obtinebant, Cyrum episcopum Alexandrinum sibi ducem constituerunt: qui legatis ad Sarracenos missis, pacem ab illis ducentis aureorum nummûm millibus in singulos annos promissis impetrauit. Et sic trium annorum spacio nullam ab eis molestiam acceperunt. Sed Heraclius ea re cognita, hoc fœdus sibi ignominiosum ratus, Cyro Byzantium reuocato, Emanuelem Armenum Ægypto præfecit: qui apertè promissam à Cyro pecuniam Sarracenis denegauit. Quare illi vehementer indignati, in Ægyptum cum maximis copiis irruperunt: Emanuel verò cum paucis se Alexandriam recepit. At Heraclius, serò fidem etiam hostibus seruandam suo malo edoctus, cum vires ad bellum contra tam validos hostes gerendum nõ haberet, Cyrum ad Sarracenos misit: quò, si fieri posset, eos ita mitigaret, vt deductis ex Ægypto copiis priori fœderi stare vellent. Cui id eis persuadere satagenti, Sarraceni responderunt, Num marmoream columnam deuorare posset? quòd cum ipse fieri posse negaret: non magis se Ægypto discedere posse dixerũt. sic præsidiis Romanis pulsis, eam prouinciam occuparunt. Deinde Homar Hierosolymam petens, eam valida obsidione cinxit: & duorum annorum spacio obsessam, tandem deditione cepit. qua occupata, facile Assyriam vniuersam suo subiecit imperio. Postea vnum ex suis ducibus nomine Iaidum, cũ magna copiarum parte in Mesopotamiam misit: cui tum prouinciæ Cæsaris nomine præerat Iohannes cognomento Catea, qui Ozroenæ sedem habebat. Hic Iaido, mille auri pondo in singulos annos, modò ne Mesopotamiã ingrederetur, promisit: ac Edessam profectus, ei, Cæsare inscio, prioris anni vectigal misit. quo cognito Heraclius eo in exilium relegato, Ptolemæum equitum magistrum Mesopotamiæ præfecit. Iaidus verò, vbi id resciuit, Euphrate fluuio traiecto, Edessam vrbem obsidione capit: deinde Constantiam & Baram diripuit, Mesopotamiamq; vniuersam subegit. Et Muauia Ægypto, vbi Cairum oppidulum prope Memphis ruinas ædificauit, & communiuit, ac prouinciis omnibus inter Nilum & Euphratem amnes sitis, prępositο, in Arabiam rediit. Post duos annos Sarraceni Persas iam tot aduersis rebus debilitatos bello petierunt. In Perside, vt suprà diximus, Syrochis Cosdrœ successerat: eiq; intra annum defuncto, Adhiseris filius: quo breui extincto, Persæ Hormisdam sibi regem creauerant: qui in pugna contra Sarracenos periit. & sic

Persæ acie victi, non solùm imperium, sed nomen etiam amisere, Sarraceni deinceps, pro Persis appellati. Perside occupatâ, Homar populos suũ agnoscentes imperium recensuit: & Hierosolymis habitauit, ibiq; templum Muamedi ędificauit: pòst regni sui anno decimo, à Persa quodam seruo suo, nomine Almigira, submisso, dũ precaretur, fuit interfectus. Fuit Homar vir bellicosus & ferox, vt innumera bella ab illo gesta, & prouinciæ subactæ testantur: nec minus prudens, quàm fortis. Muamedis scripta colligi, & in vnum volumen componi curauit: & in eos qui eum laborẽ sumpserunt, liberalissimus fuit. Nam Muamedes, cũ esset literarum prorsus ignarus, nullum volumen confecerat: sed vt quæq; res in mentem veniebat, eam per hunc aut illum ex suis familiarib. in schedula excipi iubebat: ex quo factum est, vt eorum quæ prius scribi iussisset, oblitus, sæpe pugnantia diceret. Hic etiam primus legem tulit, vt in omnibus templis (Mescitas ipsi vocant) per totum Septembrem mensem supplicationes fierent, his peractis, totum Muamedię legis volumen publicè legeretur. Erat Homar statura procerus, colore subfusco, capite caluo, barba minimè densa, & albicante: sepultus & ipse fuit prope Muamedem. Sed priusquam moreretur, sibi ex vulnere moriendum sentiens, successorem eligi voluit Ozmenum: qui & ipse Muamedem in rebus omnibus iuuerat, eiusq; gener bis fuerat. duas enim eius filias vxores duxerat: quæ tamen ambæ Muamede viuente sine liberis decesserant. ad quod eum largitio iuuit. nam Homaris pecunia ab eius ærarij præfecto accepta, eam vnà cum paternis bonis in milites distribuit. Fuit igitur tertius post Muamedẽ pontifex creatus Ozmenus, qui sequenti anno maximũ exercitum Hucba duce in Africam aduersus Gregorium patricium, qui imperium in ea prouincia occupauerat, misit: eoque acie victo, & Carthagine deleta, totam illam prouinciam Sarracenico subiecit imperio. sed post repentinum aliquod bellum, ab Europa, si Carthagine moraretur, metuentes, Tunetem vrbem in interiore Goletæ sinu sitam, se transtulerunt: ibique sedes aliquantisper ponentes, eam valde auxerunt. Verùm pòst mandato ab Ozmeno, ne vlla maritima loca incolerent, quia sic cum Imperatore conuenerat, accepto, XXXVI M. P. à mari & circiter centum ab Tunete recedentes, vrbem sibi condiderunt, Cairoanum appellatam. Deinde tertio huius regni anno Muauias, quem Ægypto præpositum fuisse diximus, cum mille & septingentarum, vel (vt alij volunt) cũ septingentarum nauium classe Cyprum petiit: & vrbe nobilissima Constantia capta, totam insulam populatus est. Sed Carcozirum, Constantis Cęsaris ministrũ, magna cum classe aduentare, certior factus: inde, ne quid incõmodi pateretur, recedens, vrbem in eadem insula Aradum appellatam, frustra oppugnauit: mox Damascum in hyberna exercitum reduxit. Interea Ozmenus schedas Muamedis ab Homare colligi iussas, in meliorem ordinem redigi, in capita distribui, ex iisque librum qui Alcoran siue Alfurcam vocatur, componi curauit, in quo omnia Muamedicæ sectæ dogmata & instituta continentur. Vere postmodum redeunte, Muauias maiore quàm antea classe, Aradum Cypri vrbem petiit. quam post multas oppugnationes tandem cepit: & incolis, quocunque vellent, sine alia iniuria abire iussis, penitus deleuit, atq; insulam vniuersam habitatoribus spoliauit, vastauitque. Eodem quoque tempore alius Sarracenorum exercitus Busurro duce, in Isauriæ regionis fines irrumpens, regionem totam ferro flammaq; vastauit: & quinq; mortalium millibus ex ea in seruitutem abductis, domum redierunt. His tot tantisque cladibus acceptis, Constans Cæsar duorum annorum inducias à Muauia petiit: quibus non impetratis, dum Muauias ingentẽ classem aduersus Romani imperij prouincias apud Tripolim Syriæ vrbem parat, duorum fratrũ virtute conatus ille aliquantisper irritus est factus: qui carceribus, in quibus ingens Christianorum numerus erat, effractis, omnes in libertatem vindicarunt: adeò vt repentè impetum in Sarracenos facientes, innumeros ex illis cæciderint. & reliquis fugatis, victores ad naues accurrerunt: ex quibus, iis sumptis quæ ipsis erant necessariæ, reliquas incenderunt, & ipsi in Thraciam venerunt. Sed Muauias nihil hac clade territus, aliam maiorem classem comparauit & instruxit, cum qua Phœnicem Lyciæ portum petiit, vbi Constans cum classe erat: eumq; adortus, tantam Romanorum

stragem edidit, vt mare illorũ sanguine ruberet. Constans verò vili veste indutus, paruo nauigio cũ paucis Byzantium fugit. qua victoria elatus, Muauias Rhodum cepit: & Solis colossum, quem Plinio authóre Chares XII annorum spacio trecentis talentis fecerat, demolitus est: cuius statuæ æs à Iudæo quodam Emessano emptum, noningenti cameli extulerunt. Neque hanc solùm statuam, quæ septuaginta cubitorum erat, inde Sarraceni tunc asportarunt, verùm etiam innumeras alias: nam Plinius præter hunc Solis colossum, septuaginta tria millia signorum & centum colossos ea in insula fuisse testatur. Rhodo autem populata, per Ægæum delati, pari clade Cycladas afflixerunt. Hoc ipso etiam tempore Iaidus, alterius Sarracenorum exercitus dux, Armeniæ fines ingressus, ad Caucasum montem vsq; omnia depopulatus est. & Muauias Rhodo reuersus, classem in Siciliam misit: quæ illam ferro & igni totam vastauit. cum qua cõgressus Olympius Italiæ exarchus (sic enim tunc vocabantur, qui pro Constantinopolitano Cæsare Italiam prouinciam gubernabant) cruentissima victoria adepta eos expulit: qua pugna defatigatus, in morbum incidit, quo paulo pòst obiit. Ipse autem Muauias terrestri exercitu comparato, in Cappadociam ad Cæsaream eius prouinciæ caput oppugnandam duxit. Sed prius quàm aliquid memoria dignum ibi gerere possit, Ozmeni Califæ morte audita, quia illi succedere cupiebat, exercitum reduxit. Ozmenus duodecimo pontificatus sui anno, Sarracenorum, qui Ali Califam volebant, turba domum, vt ipsum interficeret, obsidente, sibi ipse mortem consciuerat, ne in illorum manus veniret. Hic annulum Muamedis, quem omnes Califæ ante ipsum gestauerant, casu quodam amisit. aliumque item argenteum sibi comparauit, in quo hæc verba scribi iussi: Ô PERTINACES, Ô POENITENTES. Colore erat albus, aspectu grauis & humanus, barba prolixa, statura mediocri: fuitque semper, & antequam sectam hanc amplecteretur, & pòst, multitudini charus. ex mercatura magnas sibi diuitias comparauerat: quamuis semper liberalis, imò magnificus fuerit: quas (vt diximus) post militibus, vt pontificatum adipisceretur, elargitus erat. Vixerat annos LXXXVII. noctu sine vlla pompa sepultus est, quia se ipse interfecerat. Itaq; eo defuncto, magna inter Sarracenos de nouo pontifice eligendo est orta cõtentio: alij enim Alim volebant, alij Muamadũ Ozmeni filium, alij Muauiam. Sed Alis armis contra Muamadũ obtinuit, adeò vt omnium præterquam Muauiæ consensu, pontifex crearetur. Muauias verò militibus Ægyptiis atque Assyriis, quos secum tot bellis exercitatos habebat, fretus, arma contra eum, Ozmeni cædis vlciscendæ causam prætexens, mouit: & cum vterque cum exercitu ad Euphratem fluuium venisset, Muauias rei militaris peritior, & qui militem veteranũ haberet, castra prope amnem & Babylonem vrbem vallo ac fossa cõmuniuit sic, vt neq; ad pugnam cogi posset, neq; aqua (cuius in ea regione magna est penuria) & commeatu destituerentur, ac nullus impetus à tergo esset metuendus: cum interea Alis exercitus magna aquarum penuria laboraret. eo modo per vndecim menses militem intra castrorum munimenta continens, leuioribus tantum præliis rem gerendo, hostem fatigauit: donec tandem sacerdotibus & aliis Muamedicæ legis peritis intercedentibus effectum est, vt causa tota duorum senum iudicio permitteretur. hi autem fuerunt delecti, ab Ali Alascates, ab Muauia Alascius: qui cum Algendelum oppidum, in quo de tota causa cognoscere debebant, venissent: alter ex illis Alim pontificatu deponendum, alter verò eo dignissimum esse censuit: quamobrem re per eos nec ritè diiudicata, nec composita, Alis & Muauias in castra quisque sua redierunt: nec desierunt excursionibus crebris se mutuò vtriusque partis milites interficere, & agros populari, donec tandem Alis in templo quodam prope Cufam Arabiæ vrbem Muauiæ insidiis trucidatus fuit, ibique sepultus: & ob id nunc locus ille Massadale, id est, Alis domus vocatur. Is in annulo hanc habebat inscriptionem: CORDE SINCERO DEVM DOMINVM VENEROR. Corpore breuis erat, barbam habebat prolixam, brachiaq; & crura villosa, in incessu nunquam oculos attollebat. Ali mortuo, Cufæ & Arathæ ciues Alhacemum, eius ex Fatema coniuge, Muamedis filia, maximum natu filium, pontificem crearunt: qui auum maternum forma omnino

referebat.

referebat. Hic exercitu contra Muauiam ducto, quum acies ambæ ad pugnam inſtructæ, fronte oppoſita ſtarent, ſiue prælij euentum metuens, ſiue (vt alij tradũt) naturæ bonitate victus, ne tanta humani ſanguinis ſtrages ſua cauſa ederetur: Muauiam ſupplex adiit, eumq́; ſuperiorem agnouit. ſic pace inter eos facta, ſimul Cufam petierunt: & magna ibi accepta pecuniæ vi, Ietribum iuerunt, vbi Muauias Alhacemum propria manu regio diademate ornauit, regemque appellauit, quia non diu victurum ſciebat. Nam ſexto pontificatus ſui menſe nondum expleto, veneno quod illi Muauias dederat, obiit. Symbolum eius, quod in annulo geſtabat, fuit: SOLVS DEVS POTENS EST. ſic Muauias ſolus æmulis ſublatis regnauit. Rebus in hunc modum conſtitutis, in Imperij Romani fines irrupit: ſed pòſt Conſtantio petenti pacem, dedit, ea lege, vt quotidie ab eo decem auri pondo, & ſeruum cum equo acciperet. Damaſcus his temporibus Sarracenorum Imperij ſedes & caput erat. Verùm in tanta felicitate, orta ſunt inter eos diſſidia, ob religionem ex Muamedis reſcriptorum varietate & repugnantia. Perſæ namque iam (vt diximus) Sarraceni facti, longè diuerſa ab iis qui in Syria erant, Homaris Alcoranum ſequentibus dogmata habebant. quamobrem Muauias exercitu in Perſidem ducto, ſectam illam depreſſit, & ſuam quę in Syria vigebat extulit: conſtituitque, vt ſuæ ſectæ militibus ducenti denarij in ſingulos dies numerarentur, Perſis verò ſolum triginta. Deinde Ciliciæ fines ingreſſus, totam ferro flammaq́; vaſtauit. Cumq́; Damaſcum rediiſſet, Sapor locorum, quę adhuc Romanum Imperium in Perſide agnoſcebant, Prætor, qui ab Imperatore defecerat, Sergium equitum magiſtrum ad eum miſit, rogatum, vt ſe ad Cõſtantinopolitanum Imperium occupandum iuuaret: quo hæc cum eo tractante, venit pariter ad Muauiam Andreas Cæſaris miniſter, magna & ampla dona promittens, ſi Saporis rebus non fauiſſet. quibus Muauias reſpondit: cum vtrumq́; pro hoſte haberet, ſe illi auxilio futurum, qui plus dediſſet. atque ſic Sergio maiora dante, fœdus cum eo iniit. Andreas verò diſcedens, Sergium in Perſidem redeuntem inſidiis ſtructis cepit, & in crucem ſuſtulit, eo cui fides data erat ſublato, Muauiam retentis munerib. ſe promiſſis ſolutum cauillaturum ſperans: ſed maior fuit in barbaro fides, quàm Græcum ingenium capere poſſet. Muauias enim fidem ſine fuco ſeruare volens, Arabicas copias Fadala duce Sapori auxilio miſit: eoq́; equi caſu mortuo, Fadalæ ſupplemẽtum Iazido filio ſuo duce, quo cœptum bellum ſuſtinere poſſet, dedit: quibus copiis Chalcedon valde afflicta fuit, & Armaria Phrygiæ ciuitas capta: ac quinque millium Sarracenorum præſidio impoſito, quia hyems inſtabat, in Syriam cum exercitu redierunt. Interea Cæſar, quamuis hyems iam adeſſet, omniaque niuibus tecta eſſent, Andream cum parua manu ad præſidium illud pellendum, & Armariam recuperandam miſit. Itaque Græci ſcalis repentè ad mœnia applicatis, abſque vllo impedimento in ciuitatem irruperunt: & Sarracenos, qui nihil tale ſuſpicantes, cum ingens eſſet frigus, domibus incluſi erant, vt tot clades ab illis acceptas vlciſcerentur, omnes trucidarunt. Poſtea Conſtantio qui in Italiam ex Græcia, & Romam profectus, vbi omnia diligenter circumſpexit, ad prædam cõuerſus, quicquid antiqui operis fuit ex ære aut marmore, & quicquid oculos delectare potuit, ſublatum, & in naues delatum Neapolim primùm, ac inde Syracuſas in Siciliam ſecum trãſtulerat, adeò vt plus ornamentorum ipſe ſeptem dierum ſpacio, quam tot barbaræ gentes CCLVIII annorum (tot enim à Romani imperij prima inclinatione interceſſerant) vrbi detraxerit. ibi dum tributum Italiæ vrbibus & inſulis imperatum (quod tam auarè & crudeliter exactum fuit, vt multi fortunis ſimul & cõiugibus ac liberis ſpoliarentur) molliter & libidinoſe vitam agens expectat, à ſuiſmet trucidatur: cui Conſtantinus filius in imperio ſucceſſit: quẽ imbellem videntes Sarraceni, claſſem occultè comparant, Thraciam & Græciam, ſi quid Byzantij tumultuatum eſſet, inuaſuri. Verum quia pacata ibi erant omnia, in Siciliam Romanorũ tunc & totius Italiæ ſpoliis refertam impetu facto, Syracuſas, quæ nullo præſidio tenebantur, repentina vi ceperunt. Cumque ibi ob Italię propinquitatẽ tutò eſſe non poſſent, Romanæ vrbis ornamẽtis omnique Syracuſana gaza nauibus impoſita, opima præda onuſti Ægyptum repetunt.

Non desunt tamen, qui tradant, Constantinum Constantij filium patris cæde audita in Siciliam nauigasse, & spolia inde Byzantium asportasse. Pòst alius Sarracenorum ingens exercitus Africam ingressus, incredibili successu omnem maritimam oram (nam mediterraneorum iam magnam partem possidebant) octingentis mortalium millibus in seruitutem abductis, populatus est: ab alia parte Muauias maximum exercitū Muamado & Caise ducibus emisit, qui Lydiam & Ciliciam Romanorum prouincias subegit. Ac paulo pòst, vt Byzantium oppugnare posset, huic alium Sæuo duce submisit: quo priori coniuncto, Byzantium ambo petunt, obsidioneque cingunt. His classem etiam ingentem addidit, quę ab Hebdomi occiduo promontorio ad Cyglobium omnia cingebat: ac sæpius oppugnatione tentata irritus illorum conatus fuit. Durauit hæc obsidio à mense Aprili ad Septembrem. Inde Cyzico vrbe capta, eò in hyberna concesserunt. Vere deinde ineunte, rursum in aciem prodeunt: sicque multis illatis & acceptis cladibus bellum hoc circa Byzantium in septimum annum productum. Tandem verò Christianorum rebus prosperè cedentibus, multis militibus atque etiam nauibus amissis, deiecti animo, inde cedebant, cum tanta eos tempestas in mari corripuit (erat enim hyems) vt nauibus ad Chium Ægæi maris insulam fractis, magna illorum pars submersa perierit. ac fortuna tunc mirum in modum Christianorum rebus fauente, paulo pòst Constantinus cum Susia, Muauię nepote, prælio in Asia feliciter commisso: & trecentis Sarracenorum millibus in eo cæsis, eos sibi vectigales fecit: fœdere cum eis per Iohannem Pizigaudam patricium, quem ad hoc in Arabiam ad Muauiam Cōstantinus misit, in triginta annos his legibus icto, vt Romanorum Imperatori quotannis auri pōdo ter mille, octonos seruos, totidemq; præstantissimos equos tributi nomine darent: & præterea ex captiuis Christianis, qui apud eos erant, quinquaginta, quos Cæsar petiuisset, libertate donarent. Fuerunt autē & alia, quæ Sarracenos ad hoc fœdus impulerunt. Nam his cladibus in Syria cognitis, quidam Sarracenicarū nauium præfectus, Calinicus nomine, animo ex illorū aduersis rebus sumpto, naues omnes quæ ibi erant incendit, & pòst Byzantium confugit. Et in Ægypto quoq; eadem fortuna res illorum afflixit. Pestilentia enim tantopere ibi tunc sæuiit, vt Sarracenorū genus in ea prouincia penè extinctum fuerit: & Constantinus paulo antè, vt conatus illorū quauis ratione reprimeret, consilio non satis prudenti Caucasia claustra, ab aliis Caspia errore dicta (quæ ab Alexandro magno occlusa veteres semper, montanorū, simul ac Septentrionalium populorū ferocitatem metuentes, magis clausa & septa voluerant, vnde pòst Turcas egressos ferunt) aperuit: & populos quosdam intra eos montes latentes, Mardaitas appellatos, euocauerat, qui speculis omnibus montiū à Tauro, qui hodie Maurus dicitur, ad Libanum occupatis, Sarracenis formidabiles facti erant. quibus enim graue erat Sarracenorū iugum, omnes se ad hos in montes transferebant: & inde crebris excursionibus subiectos agros populantes, omnia illis infesta reddebāt: quibus tot tantisq; cladibus Arabum vires valde imminutæ erant: vnica tantū illis classi reliqua, quę tunc Fadala & Cadallo ducib. Cretam vastabat. His autē successib. visa est nonnihil Ro. Imperij maiestas reuirescere. Sed Muauias pace, quę Christianis perniciosissima fuit facta (tunc.n. poterant Sarracenorū iam ita fractæ & conquassatæ vires, si non magis præsens ocium, quàm diuturna Reip. tranquillitas, quæ nulla ratione diuturnior tutiorq; cū barbaris, quàm perfecta victoria paratur, Cęsari tunc cordi fuisset, penitùs opprimi ac deleri) vires aduersus Mardaitas conuertit: iisq; de speculis illis & montibus quos insederant deiectis ac deturbatis, ad religionis suæ, in qua iam multæ sectæ erāt obortæ, cōtrouersias cōponendas animum applicuit. Ideoq; concilium suæ sectæ indixit, ad q̄ edicto promulgato doctos omnes, qui ve aliquod Muamedis aut superiorū pontificū rescriptū haberent, suum agnoscentes imperiū, venire, & scripta secū adferre iussit. Celebratus hic cōuentus exitiabilis fuit Damasci. cumq; ibi ob sententiarū pugnantium varietatē nihil statui posset, sex omniū sapientissimos ex eo numero cōi consensu seligi iussit: & sic delecti fuere Mulcin[9], Boarius, Auora, Anœcius, Armindus & Dauid. his in vnam domū, cum omnib. scriptis quæ allata fuerāt inclusis, vt

singuli

ſinguli ex illis ſcriptis omnia Muamedis facta & dicta, quæ veriſimilia viderentur, in vnum volumen colligerent, iniunxit. Cumq; illi ſex volumina feciſſent, reliqua omnia ſcripta in flumen proiici curauit: quæ tot fuerunt, vt illis ducenti cameli fuerint onerati. Deinde lege lata grauem eis pœnam propoſuit, qui ſecus crederent, facerent, dicerentve, quàm in iis ſex Alcoranis præſcriptum eſſet. Ex quibus ſex voluminibus ortæ ſunt poſtea quatuor Sarracenorum ſectæ, quæ Melici, Aſafij, Alambeli & Buaniſi vocantur. Afri enim, Melici: Arabes & Damaſceni, Aſafiji: Armeni & Perſæ, Alambeli: Alexandrini & Aſſyrij, Buaniſi. In Cairo verò, maxima Ægypti vrbe, omnes ſectæ, nemine repugnante, vigent. His peractis Muauias Damaſci, vbi ſedem habuerat, obiit: ibidemq; ſepultus fuit. Hic primus Sarracenorum ducum, vnà cum Ozmeno, Homare regnante, Romanas prouincias cum exercitu eſt ingreſſus: primusq; imperij Sarracenici fines ad Occidentẽ, in Ægyptum ſcilicet atque Africam, ad Orientem in Meſopotamiam, & ad Septemtrionem in Aſiam promouit, & primus ſibi certam regiamq; ſedem conſtituit Damaſci: cuius vrbis ager omnem alium vbertate, cœlique temperatione ſuperat, & ſeruis regio more, atq; eunuchis, qui coram ſe aperto capite ſtarent vſus eſt. fuit enim vir prorſus militaris, & in rebus gerendis prudens: colore albus erat, facie iucunda & graui, oculis varij coloris, ſtatura mediocri, barba ſemper nigra: quia vbi caneſcere cœpit, tingebat. Vixit an. LXXVII. regnauit XXIIII. Sigillum geſtabat cum hoc ſymbolo: Ô DEVS IGNOSCE MIHI. Literas nullas, & ne ſcribere quidem norat: cum tamẽ magno eſſet alioqui ingenio. vnde ferunt Muamedem aliquando in conuiuio (vt coram hominibus ſolebat) orantem dixiſſe: ô Deus doce Muauiam ſcribere & numerare, eundemque à periculis libera. quibus verbis vir callidus, qui Muauiæ ingenium acre & ferox norat, duo voluit indicare. Primùm, illum, ſi aliquid literarum didiciſſet, potuiſſe ſectam ſuam vehementer adiuuare. nam qui ſcribere norunt, ij etiam legere poſſunt, & inde prudentiores fieri. Deinde, quia ob ferocitatem multis ſeſe periculis obiecturum videbat, numerandi artem ei à Deo precabatur, qua tempora metiri & obſeruare poſſet, occaſionesque rerum gerendarum captare. eandemque ob cauſam à Deo, vt eum periculis eriperet, petebat: ſed viro per ſe & natura callido, nihil his opus fuit. Muauia defuncto, ſtatim Iezidus eius filius, pontifex & rex fuit ſalutatus: qui nihil admodum memoratu dignum geſſit. erat enim ocio & luxui deditus, nec corpore ſatis firmo: niſi quòd multos ex Arabum nobilitate interfecit: ſororẽ ſuam libidinoſè adamauit, & literis atque poëtice delectabatur, multaq; carmina faciebat, legis Muamedicæ & cuiuſuis religionis maximus contemptor. hoc regnante, Mutar, quem ipſe Perſidi prouinciæ præfecerat, eius ignauia cognita, ſe vatem eſſe prædicans, tyrannidem in ea inuaſit: ab eoq; Perſarum reges, qui hodie Sophi vocantur, originem ducunt. Iezidi ſymbolum fuit: DEVS EST MEVS DOMINVS. regnauit annos tres: obiit autem Arrani, ætatis ſuę anno XL. cũ paulo antè Cuſæ ciues Hocemum, Alis filium, pontificem creaturi vocaſſent: quem Abdalamus, Iezidi filius, in Carbalenſibus campis prope Cuſam inſidiis oppreſſum interemit: ibiq; ſepultus fuit. in cuius rei memoriam, ad eius ſepulchrum vrbs poſtea fuit condita Carbala, de cãpi in quo eſt nomine appellata. Hocemus duodecim filios mares reliquit, Zeinalum videlicet Abadinum, Zeinalum Muamedem, Baguerũ Muamedem, Giafarum Cadenegum, Giafarum Muſam, Cazinum Muſam, Hali Muceratium, Alle, Muamedem Taguinum, Muamedem Halinaguinum, Alle Hacemum Aſquerinum, Hacemum Muamedem Mahadinum. qui variis in locis ſepulti ſunt, nempe alij prope Muamedem abauum, alij Bagadati, alij Herini: ſolum Muamedem Mahadinum Perſæ nondũ obiiſſe dicunt, quem equo inſidentẽ ad legem cunctis gentibus declarandam venturum, & omnes gentes conuerſurum, id autẽ in Maſſadale vrbe, vbi Ale aui eius corpus iacet, incoaturũ aiunt. Ideoq; ſemper ibi equũ pro illo paratum habent: quem, cum ſacra fiunt, facibus accenſis ad templum deducunt: & quodam anni die apud eos ſolenni hunc equum quanta maxima poſſunt pompa ad templum, in quo Ale ſepultus iacet, ferunt, rogantes eum, vt hunc ſuum nepotem, quẽ ipſi expectant, quàm certiſſimè mittat. is dies magno vndiq;

mortalium cõcursu celebratur. Itaq; Hocemo interfecto, & Iazido mortuo, Maruanus quidam pontificatum est adeptus, qui non plus q̃ nouem menses regnauit: quoniã Abdalamus, Iazidi filius, eum regno expulit, eoq; annum vnũ ipse potitus est. quo tempore Arabes cõcilio in Cufa interioris Arabię vrbe habito, Abdimelicũ pontificem creârunt ẽt tum iuuenem: aduersus quem motus excitauit etiã quidam alius, nomine Dadacus. Sed Abdimelicus Ciafam consanguineũ suũ ad Abdalanũ persequendũ misit (erat Abdalanus ex Eubocarę stirpe oriundus q̃ stirpem Arabes Maraunionã vocant) & vt ex iis quæ narrata sunt patet, multos annos per vim pontificatum obtinuerat: ideoq; Sarracenis qui Alis stirpẽ, quæ à Muamede recta ferè linea originem trahebat, magis amabant, erat inuisa. Abdimelicus verò ab Ali genus ducebat, quod illi Abazionẽ vocant: ipse verò Abdimelicus cum altero exercitu Dadacũ est persequutus. Abdalanus tunc fortè in Mesopotomia nouum Califam ibi exortum deleuerat, & cum exercitu victor Damascum redibat: cum eum Ciafas ad Euphratem fluuiũ offendit, & commisso prælio cruenta victoria est potitus. Damascenus Califa Abdalanus, Damascũ confugit: vnde ibi, quia tyrannicè imperiũ exercuerat, non admissus, Cairum tunc non magnam vrbẽ ad Nilũ, non procul ab Memphiticis amplissimę vrbis ruinis sub Homare à Muauia, vt Nili transitũ in sua potestate haberent, cõditam, & præsidio munitam, q̃ pòst ita creuit, vt nũc inter maximas orbis terrarũ vrbes numeretur, petiit: vnde quoq; à p̃sidio quo tenebatur exclusus, atq; à suis omnib. ob sæuitiem, qua in secunda fortuna vicissitudinis hamanæ parũ memor, vsus fuerat, desertus, in Græciam nauigare cum vnico seruo voluit: sed ventis in insulam quãdam, in qua notus erat, delatus, ibi trucidatus fuit: & sic Califorum, qui Damasci regnauerant genus interiit. Ciafas verò Damasco potitus, Iazidum Califam iam ante multos annos sepultum extrahi, eiusq; ossa cremari, & cineres in flumen proijci iussit: & in omne genus Maraunium ferro ac flamma sæuiit, cadauera illorum feris dilaceranda proijciens, vt Hocemi & aliorum ex Abazia familia ab ipsis interfectorũ iniurias vlcisceretur. erat tunc quidam ex Maraunia stirpe homo diues & potẽs, nomine Abedramon, cuius maiores Damasceni Califæ fuerant: & sunt, qui eum tradant Muauię filium fuisse. Hic Abdimelechi & Ciafæ immanitatẽ, qua genus suum persequebantur, videns, sibiq; talia metuens, magno amicorum, propinquorum & clientũ numero collecto, in extremas Mauritaniæ Tingitanæ partes penetrauit: vbi, tum quòd ex Damascenorum pontificum familia esset, tum ob virtutem fortitudinemque, magno honore ab iis Sarracenis, qui illic erant (nam multi iam Romanis, maritima quæ ad Mediterraneum spectant loca tantũ defendentibus, eò venerant, ibiq; sedes posuerant) acceptus fuit: qua potentia & sectæ opinione elatus, primus omnium se Miralmuminum, quę vox Arabica lingua credentiũ principem significat, ausus est appellare: quẽ post nostri historici corruptè Miramulinum vocauere. itemq; Maroci vrbem maximam & nobilissimam prope Atlantis radices, ad Agmeti portas cõdidit, & regni sui metropolim constituit: quamuis multi à Iosippo, Tesfini filio, & alij ab alio cõditam velint. Contra hunc autẽ Abdimelicus tum quia illum reb. suis cum aliò arma conuerteret, quò ipse Asiæ rebus intentus spectare non poterat, nihil obesse vidit: tum quia multis aliis molestiis affligebatur, nihil tentauit. nam etsi Dadaco cum sua factione deleto victor Damascum & ipse venisset, non tamen diu ea læticia frui potuit: quia & sæua pestilentia grassari cœpit, quæ Sarracenicam geentem penè ad internecionem deleuit: cui malo accessit dira etiam in omnibus suis regionibus fames: & Mardaitæ monte Libano iterum occupato, fines suos Hierosolymam vsq; promouerant, & Persidis à Mutare occupatæ, res animũ eius angebant. Quibus aduersę fortunę fluctib. agitatus Abdimelicus, ne qua maiori tẽpestate obrueretur metuens, p̃ legatos à Iustiniano, qui tũc annos natus 16. imperiũ erat adeptus, pacis, q̃ Muauias cũ Constantino pepigerat, confirmationẽ rogans, vt Mardaitæ Libano amouerentur petiit: quod si fieret, se Romanis quotidie decẽ auri pondo, seruum & equum eximiæ pulchritudinis tributi nomine daturum pollicebatur. qua impetrata, quo melius Cæsar posset Mardaitas, qui iam non vltra 12 millia erant, Libano monte amouere, mediam Cypri

Armeniæ

Armeniæ & Iberiæ annorum tributorum partem ei conceſſit. His igitur rebus ex ſententia confectis, & Mardaitarũ ferociſſimorum hominũ metu liberatus, Ciaſam aduerſus Mutarem, qui ſub religionis ſpecie tyrannidem in Perſia occupauerat, cum magnis copiis miſit. quæ expeditio infelicem & ipſa exitũ eſt ſortita: quoniã Mutarus cũ exercitu occurrens fregit eum, ac fudit: vnde maiorem ſibi quàm antea exiſtimationẽ comparauit. Abdimelicus, vt ex propinquiore loco Perſicas res ſpectaret, in Meſopotamiã tranſit: vbi rurſus multis ſimul calamitatibus iactatus fuit. nam Iuſtinianus Sclauis partim deditione acceptis, partim armis domitis, delectis ex ea gente iuuenum fortiſſimorum circiter XXX CIↃ. legiones conſcripſerat: quibus fretus prætextu ex eo ſumto, ꝙ moneta annui tributi non Rom. ſignũ, ſed nouũ Arabicũ haberet, fœd⁹ fregit: & Leõtio patricio cũ his nouis legionibus in Aſiã miſſo, Iberiã, Albaniam, Ircaniã & Mediam, quæ regiones Sarracenorũ parebant imperio, ſubegit. Eodem tẽpore Saidus quidam ſeditionem contra Abdimelicũ excitauit: aduerſus quem cũ exercitu ꝓfectus Abdimelicus, ita eum terruit, vt ſupplex veniã peteret. cui Abdimelicus ſimulans cõdonauit: ſed paulò pòſt clã interfici iuſſit. Excitatus etiã eſt hoc ipſo tẽpore inter Sarracenos & alius tyrannus, nomine Abdala Zubir, q Muſubum fratrẽ contra Mutarem in Perſiam miſit: ab eoq; Mutarus & victus & trucidatus fuit, ſed eius victoriæ fructu frui nõ potuit. Abdimelicus enim totis viribus aduerſus eũ collectis prælio victũ cum exercitu deleuit: ac inde in Perſidẽ profectus, totam illã prouinciã ſubegit. quo ſucceſſu territus Abdala Zubir, Meccam cõfugit. ad quem perſequendũ Abdimelicus Cagianũ cum magno exercitu miſit, qui Mecca capta Zubirum interfecit, & antiquiſſimũ eius vrbis idolũ cum templo incẽdit: & ſic Abdimelicus Perſide recepta, & æmulis extinctis, ſoluſq; Sarracenicarũ rerum potitus, cũ ſæpius Roman. Imperatorẽ fruſtra obteſtatus eſſet, ne fœdus violaret, vires aduerſus Græcos, bellũ cõtra iura omnia humana atq; diuina inferentes, Muamate duce cõuertit: quibus apud Sebaſtopolim inuentis, fœderis tabulas inſtar vexilli haſtæ appendit: ac Deum (cuius illæ numine interpoſito cõfirmatæ erant) vindicẽ implorãs, acie inſtructa in eos impreſſionẽ facit: Sclauis tamen prius pecunia corruptis: quorũ ſtatim, vbi prælium eſt initũ, circiter XX CIↃ ad Sarracenos defecerũt. quæ res adeò Græcos perculit, vt nullo labore fuſi fuerint: quos illi perſecuti, ferè omnes cæciderunt: & Imperator Iuſtinianus (nam & ipſe huic prælio interfuit) turpi fuga cum paucis conſeruatus, vbi ad Leucatem peruenit, reliquias Sclauicæ illius & nouæ militiæ omnes trucidari, & cadauera in mare præcipitari iuſſit. Vnde Sarraceni pòſt impunè non modò ſua recuperãrunt, verumetiam reliquas Romanas prouincias inuaſerunt: & Sabatius patricius, Armeniæ prætor, Romanorum clade cognita ad eos ſe contulit, eiſque Armeniam tradidit: neque illi Orientem vniuerſum vaſtare, & Chriſtianos in ſeruitutem abducere deſierunt. nam etiam illa Perſidis pars, quæ adhuc Romanum agnoſcebat imperium, à Cagiano ſubacta fuit: & Muamates cum Sclauis qui ad eum transfugerant, Thraciam prouinciam ingreſſus, eam ferro & flamma vaſtauit: Romano imperio interea ciuilibus diſcordiis atque inteſtinis odiis ita dilacerato, vt nemo illorum audaciam reprimere poſſet. Leontius enim patricius, Iuſtiniano in Cherſonem inſulam relegato, Imperium occupauerat: ſtatímque Ioannem patricium cũ claſſe ad Sarracenorum Africanorum, qui ex mediterraneis quæ illis ex fœdere ad inhabitandum erant conceſſa, denuò maritimam oram inuaſerant, vim inhibendam miſerat: qui Sarracenos acie victos, Romanorũ finibus expulerat. Sed cum opes illorum in Syria totóque Oriente formidoloſæ eſſent, & maiores copias iis qui in Africa degebant Sarracenis ab Abdimelico auxilio ſubmitti crebris rumoribus nunciaretur: Ioannes ſe nimis paruum exercitum ad eam prouinciam tutandam habere ratus, Byzantium, vt nouas à Leontio in ſupplementum copias acciperet, exercitu in Africa relicto poſtulauit. Sed dum hæc nimis lentè à Leontio comparantur, Abdimelicus ſuorum qui in Africa erãt ſtatu cognito, iacturamq; iniquo ferens animo, claſſem ingentem mittit ad prouinciam recipiendam: cui cum Romana claſſis impar eſſet, inde receſſit: cumq; in Cretã perueniſſet claſſis, principes partim tur-

perati, Africa amissa, & hostibus concessa reuerti: partim ira in Imperatorem, qui tam segniter bellicas res tractaret, commoti, classiarios ad defectionem cōcitant, ac vt Absimarum Imperatorem salutent suadent, quem & Tyberium nominarūt. is cum copiis Byzantium confestim profectus, Leontium imparatum offendens, statim vrbe est potitus, & Leontium truncis naribus in vincula coniecit: Sarraceni verò Africam totam Romanis vndiq; præsidiis pulsis occupârunt: erant autem qui tunc Africæ maritima loca tenebant, magna ex parte Gottici generis. Hic Tyberius statim vbi imperio potitus est, Heraclium fratrem suum cum maximis copiis in Asiam contra Sarracenos misit. qui in Syriam irrūpens, Samosata vsq; progressus est. finitimaq; loca omnia populatus, circiter CCIↃ illorum cecidit: captiuisq; plurimis, & ingēti prędа parta, magnum eis terrorem iniecit. eôdem tempore Armeniæ principes, Sarracenos omnes qui in Armenia erāt, per seditionem trucidarunt: ac legatis ad Absimarū missis, Rom. denuò in prouinciā receperunt. q̄ Muamates magnis copiis adortus, iterum Sarraceno subiecit imperio, ac principes populi viuos cremauit. dein Ciliciā quoq; inuasit, totā eam vastans, non tamē sine magno suo malo. quoniā Heraclius cum eo congressus, magnā eius exercitus partē deleuit, cæteris captis: quos Cōstantinopolim ad Imperatorē vinctos misit. quo tempore obiit Abdimelicus, regni sui an. XXI. Diximus suprà, Abedramonē quēdam ex Marauniа stirpe initio Abdimelici pōtificatus in Mauritaniam secessisse, & tantā sibi existimationē apud suam gentē & sectā conciliasse, vt quasi alterum Califam, vel etiā Califa maiorem illū, quotquot Sarraceni in ea prouincia degebant, venerarentur: sed quia bellicis reb. se nō immiscebat, & remotior erat Abdimelicus eū vt alios non est persecutus. verū tamen eius nomen etiam in Arabia magnum fuit. is moriens filium reliquit Vlitū nomine, qui Abdimelico in pōtificatu successit, Miralmuminus & ipse appellatus, An. salutis Christ. DCCVIII. quo imperante Armenia Sarracenis pulsis iterū sub Rom. rediit imperium: & Arabes in Romanas prouincias irruptione facta, Mistam vrbem cum multis castellis ceperunt, atq; opima præda onusti domū redierunt. Deinde rursus Abatio duce in Galatiā irruperunt, eamq; totam deprædati sunt: & Iustiniano Cæsare à Trebellio Bulgarorum rege in imperiū restituto, Sarraceni horū motuum occasione multo maiore q̄ vnquam antea apparatu ex Ægypto profecti, Libyā vniuersam ad Oceanum vsq; occupârunt. Libyā nunc dico, quia prius Africā ab illis captam ostēdi, quæ Libyæ pars est: vt intelligatur, me non de parte tantū loqui, quæ iā capta erat, sed de tota. nam cū Libya siue Africa vniuersa instar peninsulæ à Septētrione nostro mari, ab Occasu & Meridie Oceano Atlantico, ab Ortu mari Eoo, Rubro & Arabico sinu clauditur, paruo ibi isthmo inter Arabici sinus extremū & nostrum mare Asiæ cōiuncta: Ægyptus tamen, q̄ prouincia circa Nilū fluuiorū maximum ab eius cataractis ad ostia patet, vnà cū Æthiopia q̄ supra illum est, à plerisq; veterum, atq; etiam recentiorū scriptorum Africę nō adnumeratur. & vt Nilus fluuius peninsulę Orientalem partem, hoc est Ægyptum atq; Æthiopiā, in qua Preteiannes latissimè regnat: sic Niger amnis iisdem (vt multi tradūt) fontibus ortus, ac vt ille à Meridie in Septentrionem, sic iste ab Ortu in Occasum atq; in Atlanticum Oceanum defluens, Nigritarum ditissima regna ab illa diuellit: adeò vt Libya (de qua nos intelligimus) Nilo & Nigro fluminibus, Oceano Atlantico & nostro mari contineatur: q̄ totam, quanta ab Occasu in Ortum patet, Atlas maximus mons mediā secet: hodie in tres partes distributa, Barbariam, Numidiā & Libyam. Libya, quæ Arabicè Sarra, id est deserta vocatur, Nigritarum regnis à Meridie, à Septentrione Atlante monte, ab Ortu Nilo flumine, & ab Occasu Oceano. Numidia apud Arabes Biledulgerid, hoc est, palmifera regio nuncupata, ab Ægypti finibus ad Oceanum protensa, Atlantis australe latus occupat. Barbaria verò ab Ortu in Occasum iisdem contenta finibus. quicquid Atlantem inter & nostrum mare iacet, cōprehendit. Hæc autem rursus in quatuor prouincias est distributa: Mauritaniam Tingitanam, quæ Marrocci & Fessæ regna continet: Cæsariensem, in qua Telensini regnum est: tertia pars Africa propriè & olim & hodie dicta, in qua olim Carthaginienses floruerunt, hodie Africa vrbs, & Tunes atq; Tripolis.

hanc

hanc sequitur Cyrenes, quæ Bugię regno comprehenditur. Prima igitur irruptione, quæ Ozmeno imperante in hanc prouinciam facta est, Sarraceni ex Ægypto progressi, Cyrenaicam & Africam occuparunt: sed cum pòst pace cum Imperatore inita, à maritima ora recedere iussi sunt, in Numidiam & Libyam fines promouerunt: & Muauia regnante rursus in Carthaginiensium fines irrumpentes, maritimam Africæ orã subegerunt. Nunc verò armis promotis vtramq; Mauritaniam inuadunt, & sic imperij fines Oceanum & Nigrim amnem constituunt. Cui prouinciæ Vlitus pontifex Mucam summa cum potestate, Admirantem dictum, præfecit. Veruntamen in ea adhuc partem illam Tingitanæ quæ ad fretũ Herculeum est, obtinebat Hispaniæ rex Rodericus Visigottus. Gotti enim tunc rerum tota Hispania, Romanis præsidiis pulsis, iam à trecentis fermè annis potiebantur, Vnicum Rodericũ regem agnoscentes: qui nõ modò citeriori & vlteriori Hispaniæ imperabat: verùm etiam omnia ad fretũ posita in Mauritania Tingitana possidebat. Habet autẽ fretum in Africa tria promõtoria, duos sinus efficientia: & in Hispania totidem promontoria, totidemq; sinus. Vrbes ad fretũ nobiles erant, in Hispania quidem Carteia, ad Calpe promõtorium sita, quæ pòst Tarifa dicta fuit: in Africa Tingis, vnde Mauritania Tingitana nomen habet, ad Abylæ promõtorium posità: & Cepta, Ptolemæo Essilissa nuncupata. Hispaniam Rom. vniuersam in duas prouincias diuidebant, duosq; proconsules aut proprętores in eam mittebant: quorum alter Citeriori, Vlteriori alter imperabat. Sed hę partes non semper eandem magnitudinem habuerunt. nam cum nondum tota Hispania potirentur, citerior Hispaniæ flumine Ibero & Pyrenæis montibus continebatur: quicquid verò vltra Iberum erat, ad vlteriorem spectabat, quæ Carthaginiensium erat. Sed postquam Punicis præsidiis vndiq; pulsis, totam Hispaniam, quæ nostro mari ab Ortu & à Meridie, ab Occasu Oceano Atlantico, à Septentrione Cantabrico & Pyrenæis montibus instar peninsulę clauditur, occuparunt, præter Lusitaniam & Beticam, quicquid terrarum in Hispania est, Citeriorem vocarũt: illas verò quas Anas fluuius diuidit, & Oceanus ad Astures vsque ambit, Vlteriorem hanc quidem quæ ad fretũ est, quæ Beticam, quæ nunc Vandalusiam & Granatæ regnum continet: illã verò quæ ab Ana flumine ad Duriam amnem pertingit, Lusitaniam & citeriorem totam Tarraconensem vocantes. quam diuisionem tripartitã Geographi tradiderunt. His igitur tribus prouinciis, ac præterea Asturibus & Cantabris, qui cis Pyrenæos ad Oceanum Septentrionalem sunt, nec non prouinciæ Narbonensi ad Rhodanum vsque, quæ tunc Gottica Gallia vocabatur, imperabat (vt diximus) Rodericus Visigottus, cum Sarraceni imperij fines in Africa ad Oceanum promouerunt, anno salutis Christianæ DCCXII. Is Iulianum Ceptæ comitem, genere Visigottum, virum fortissimum, quiq; magnas opes in Hispania habebat, & insulæ cuidam quæ nunc Viridis vocatur, in ipso freto sitæ, multisque aliis tum in Hispania, tum in Tingitana locis imperabat, Beticæ, & iis quæ in Tingitana possidebat, præfecerat: eique, Hispanię ab illa parte à Sarracenis tutandæ, ac freti custodiendi curam commiserat. Habebat hic filiam Cabam nomine, forma præstantem: adeò vt eius forma Hispaniæ non minus perniciosa fuerit, quàm Helenæ Troianis. nam eius amore captus Rodericus, siue vi, siue fraude (nam vtrumque fertur) pudicitiam eius violauit: quod illa quamprimùm potuit, parenti indicauit. qui iniuriam dissimulans, & vlciscendi cupiditatem celans, impetrauit à rege, vt sibi Ceptam migrare liceret, quòd se inde melius Sarracenorum conatus reprimere posse diceret: sicq; omni suppellectile sua collecta, cum vxore se Ceptam contulit. Deinde, vbi eò peruenit, coniugem suam grauiter ægrotare fingens, regem rogauit, vt Cabam ad matrem, quę fortasse esset moritura, visendã ire pateretur. Nam Caba cum aliis principum filiabus (vt moris erat) in aula degebat. Deinde hoc pignore recepto Mucam (quem ab Vlito toti Libyę præpositum fuisse diximus) adit, secessionis suæ caussam narrat: seq; Hispaniæ eum dominum facturum, si modò id aggredi auderet, pollicetur. Mucas rem totam Vlito proponit, cuius voluntatẽ præterire in re incerta nõ audebat. à quo responsum accepit, rem difficilẽ esse q̃ proponebatur: nec in tã graui negocio temerè homini callido, &

ab ipſorum religione alieno, credendum. Sed tamen vt Comitis fidem experiretur, paruo ei militum numero tradito: cui ſi res initio bene ſuccederet, poſtea maiores copiæ ſubmitti poſſent: tentari poſſe. Mucas igitur, etſi Comitis oratione ita permotus fuiſſet, vt rẽ omnino bene ceſſurã crederet: non auſus eſt Vliti mandatum præterire. quamobrem ducem quendam ex ſuis, nomine Tarifem Auenzarcã, cum C equitibus, & C C C C peditibus Iuliano tradidit. qui omnes, quatuor nauibus, in inſulam paruam, in ſinu illo quem Calpe mons facit, ſitam trãſuecti ſunt, quæ pòſt ab hoc Tarife duce Gelzira Taref dicta fuit: quò Iulianus amicos ſuos & propinquos omnes aduocauit, & commodis quæ ipſe regi ſua opera, laboribus ac periculis dederat enumeratis, eiusq; ingratitudine & filiæ ſtupratę iniuria indicata, animum ſuum eis aperuit: addens etiam, eum iniuſtè illud regnum obtinere, quod ad Vitizæ filios hæreditario iure ſpectaret: idcirco rogare ſe illos, vt ſibi in tam iuſta cauſa adeſſe vellent, ſeq; totis viribus iuuarent, venturum proximo anno cum exercitu ad rem perficiendã idoneo. Quibus rationibus permoti omnes illi, cum tempus foret, ſuam operam ſunt polliciti: & hoc animo domum quiſque ſuam rediit. Iulianus verò, vt belli initium faceret, Gades inſulam in exteriore Oceano prope fretum ſitam inuadit, quæ poſt Alzira Dalfrada eſt dicta: eamq; totam ferro & flamma incolis in ſeruitutem abductis vaſtauit. inde Luſitaniæ ac Beticæ oram pari clade afflixit, & ſpoliis oneratus in Africam rediit. Quo viſo Mucas id ſatis bonum initium ratus, ei duodecim millia Sarracenorum eodẽ Tarife duce adiecit, cum quibus ille ad Calpes promontorij radices appulit claſſem: qui mons poſtea ob id Gabel Tarif, id eſt mons Tarifius eſt appellatus, & nunc Gibel terra nũcupatur: & copiis expoſitis Carteiam vrbem, quæ poſt ad noſtram vſque ætatem Tarifa dicta fuit, cepit. cuius rei rumore per Hiſpaniam diuulgato, Iuliani comitis propinqui quàm maximis potuerunt viribus collectis, ſe ad hos Sarracenos repellẽdos ire fingentes, eò contenderunt, ſeq; illi adiunxerunt: & ſic viribus coniunctis, Bętis fluminis, qui hodie Guadalguibir vocatur, oram, Andaluſia, ſiue à Vandalis Vãdaluſia vocatam, magna ex parte ferro & flamma ſunt populati. Interea Rodericus maximo exercitu collecto, Ignicum, patruelem ſuum, cõtra hos miſit: qui ſæpius infœliciter cum illis congreſſus, tandem etiam cum ſuis omnibus deletus fuit. Sarraceni verò magna populatione facta, præda onuſti, ingẽtemque mortalium multitudinem in ſeruitutem abducentes, in Africam redierunt. Quo tempore Vlitus in Aſia, dum ſe ad bellum Conſtantinopolitanũ parat, obiit. & poſt illum factus eſt pontifex Zulciminius, Abdimelici filius: quo regnante, Sarraceni Byzantium ſecundò obſederunt. Statim enim, vbi pontificatum eſt adeptus, Malſanam cum terreſtribus copiis, & Aumarem cum nauali claſſe Byzantium verſus miſit: ipſe autem cum maiori exercitu ſubſecutus eſt. Sed hunc tam validum conatum aliquantiſper repreſſit Leo, Armeniæ prætor: quem dum ipſi fallere nituntur, ab eo decepti fuerunt: qui locis opportunis occupatis, tranſire eos non eſt paſſus. Interea Mucas ex Africa ad Zulciminium nouum pontificem ſalutãdum veniens, ei Hiſpaniæ res narrauit: quamobrem ille imperij in immenſum propagãdi cupiditate accenſus, vt Tarifem rurſus cũ maioribus copiis in eam prouinciam mitteret, illi iniunxit. Mucas igitur in Africam reuerſus, ſequenti anno cum ingenti exercitu, Richila, Tingis vrbis comite, Iuliani propinquo, cui parum fidebat, obſide retẽto, in Hiſpaniam traiecit. quibus copiis in proximã oram expoſitis, Rodericus quanta potuit celeritate proximarum prouinciarum copias collegit, & Gottalaniæ ſic à Gottis & Alanis appellatæ, quæ nunc Catalania vocatur, vbi Lacetani olim fuere: nec non Iberiæ, in qua Tarracon, quæ nunc Aragon vocatur: atq; Cantabris, qui hodie in regno Nauarræ ſunt: & iis qui Gotticã Galliam incolebant, in qua ſunt vrbes Toloſa & Nemanſum, hodie Nimes ad Rhodanum vſque, nõ expectatis eis ad Bætim fluuium, prope Xerez oppidũ, occurrit. Sarraceni tunc in ea fluminis parte, in qua Andaluſia eſt, caſtra habebãt: & rex in altera parte, in qua Caſtellæ regnum eſt, metatus erat. Bætis enim fluuius ex Orthoſpeda monte, in Tarraconenſium finibus ortus, in Oceanũ freto proximũ decurrens, Andaluſiam & Granatæ regnum à Caſtella diuidit: mediamq; Bæticam

interſecat,

intersecat, quam Anas fluuius eodem mõte lapsus terminat. Lusitaniæ verò, Tarraconensis prouinciæ Occidentale latus claudẽs, ab Anasi ostio recta linea ad Duriã ducta excurrit, & Castulonensiũ fines ab Asturibus Pisguerra fluuius dirimit. In hoc igitur loco primùm cum illis, 4. Non. Septemb. qui dies Domino erat consecratus, anno DCCXIIII. prælium iniit. Pugnatum est ferocissimè pro transitu fluminis: dum hi transeunt, illi prohibere conantur, pari ferè vtrinq; fortuna: quamuis Hispaniæ iã duos annos annonæ penuria & pestilentia afflictæ, nõ eæ vires adessent, quæ antea solebant: & homines qui iam CL annor. spacio nulla bella viderant, ocio eneruati, penè omnem disciplinam militarem, & armorum vsum amisissent, & armis insuper carerent: quoniã Vitiza, qui Rodericum præcesserat, immanissimus tyrannus, arma omnia populo ademta frangi curauerat: nec eo solum die pugnatum est, sed per totam hebdomadem ad alterum Dominicum diem vsque, quotidie acerrima prælia fuerunt: octauo autem die, qui fuit XI Septembris, duobus Vitizæ regis filiis, qui præcedẽti nocte cum Tarife, regnum eis paternum promittente conspirauerant, cum suis agminibus quos ducebant, se pugnæ subtrahẽtibus, & Mucas copias omnes traduxisset, victa fuit Gottica acies: & Rodericus, qui primo die, quo prælium est initum patrium, hoc est Gotticũ morem seruans, aurea toga indutus, auream item coronam, & calceos aureos, omniaq; gemmis & margaritis preciosissimis ornata habẽs, in eburnea lectica duobus præstantissimis equis ferẽtibus, in aciem prodierat. quod idcirco faciebant in præliis Gotti, vt milites regem fuga euadere non posse scientes, sibi pariter aut in eo loco moriendum, aut omnino vincendum esse sciret. Turpe enim fuisset regem deserere. Quem morẽ secutæ multæ liberæ Italiæ ciuitates, quæ simul fœdere iunctæ erant, quandam quasi curulem sellam, cui infixa erant sociorum omniũ vexilla, ad belli vsum adornârunt: quã in præliis boues multi, ne qua exercitui honestæ fugæ ob boum tarditatem spes foret, trahebant: easq; sellas Carocios appellârunt. Hoc igitur modo Rodericus rex in præliis, quæ per septem dies commissa sunt, lectica ferebatur, summa cum pompa. Octauo igitur die rem ad extremum perductam videns, ipsemet cũ aliis pugnare statuit: ideoq; equum conscendit generosissimum, Oreliã appellatum, & militibus suis vehementissima oratione cohortatis, pugnæ signa canere iubet. Sed vbi aciem suam inclinare vidit, in proximum montem secedens, regias vestes insigniaq; exuit: indeq; suorum stragem videns, pœnitentia cõmotus, quòd se tantorum malorũ caussam esse sciret: amictu mutato, in quendam Lusitaniæ locum desertum confugit, vbi virum sanctum solitariam vitam agentem inuenit, cum quo reliquum vitæ suæ tempus transegit. Nam quòd illum stellam, siue Dei nuncium ducem secutum esse traditur, id quidem fieri potest, & aliis quoque accidit: verùm id etiam de occulta quadam stella, voluntatem ipsam mouente atq; ducente, intelligi potest. Quòd verò dicunt, à sancto illo viro cum serpente bicipiti in fouea inclusum fuisse, qui eum bidui spacio totum corroserit: id vt simpliciter intelligatur, minimè est verisimile. Nam quæ sanctitas, quæ religio, quæ deniq; pietas iubet pœnitentem, & solatium afflicti animi, institutionémque meliorem quærentẽ, diris cruciatibus & inaudito supplicij genere interimere? Quamobrem & illud mysticè dictum crediderim: & bicipitem serpentem esse malè sibi consciam mentem, qui nõ secus ac Furiæ, eos qui aliquod magnum scelus perpetrârunt, exagitat, vt poëtæ de Oreste atque aliis finxerunt. Eo igitur in loco obiit: & post aliquot annos Visei, in Lusitania, sepulchrum eius fuit inuentum cum hac inscriptione:

HIC IACET RODERICVS, REX GOTTORVM
MALEDICTVS, FVROR IMPIVS.
IVLIANI QVIA PERTINAX.
ET INDIGNATIO QVIA DVRA.
VESANVS FVRIA, ANIMOSVS INDIGNATIONE.
IMPETVOSVS FVRORE, OBLITVS FIDELITATIS.
IMMEMOR RELIGIONIS, CONTEMTOR DIVINITATIS.
CRVDELIS IN SE, HOMICIDA IN DOMINVM.
HOSTIS IN DOMESTICOS, VASTATOR IN PATRIAM.

REVS IN OMNES.

MEMORIA EIVS IN OMNI ORE MARCESCET.

ET NOMEN IN ÆTERNVM PVTRESCET.

Hoc prælio Gotticus equitatus omnis extinctus fuit, & totius Hispaniæ vires fractæ: eorum verò qui ex Gottica acie ceciderunt, numerus fuit infinitus, ex Sarracenis autem tantum viginti millia: quia cũ illis erat Iuliani factio, quæ totius Hispaniæ arma habebat: & ingens erat illorum multitudo: & qui pro rege pugnabant, penè omnes erant inermes. pauci quidam fuga, quo quenq; sors ducebat, sibi consuluerãt: & qui ex remotioribus prouinciis auxilio regi veniebant, hac clade audita, illis qui Egiciam confugerant coniuncti, Sarracenis iam instructa acie victoriæ cursum persequentibus sese opposuerunt: & summa ferocitate nõ secus ac leones, quibus catuli sint erepti, pugnantes, primam aciem fuderunt. Sed cum Iuliani legionem sustinere nõ possent, sese in vrbem receperunt. Tarifes verò, vbi fons est hodie Tarifius appellatus, castris positis, & inde oppugnationẽ aggressus, statim vrbe est potitus. Deinde Iuliani consilio exercitum in multas partes distribuit, quibus singulis duces erant adsignati: vt priusquam Christiani consilium aliquod capere possent, aut vires colligere, omnes simul vbicunq; essent, opprimerentur, Vitizę filiis & Opasio episcopo eos ducẽtibus. Itaq; exercitus vnus Malaccam, quæ hodie Malega dicitur, Beticæ ad nostrum mare portũ, quem citò capere magni intererat, cõtendit: alter Cordubam, cui pręerat quidã Christianus Sarracenus factus, Mageitar nũcupatus: ipse Tarifes cum tertio exercitu Mentesiam petiit vrbem, ei Aquitaniæ parti quæ Pyrenæis cõtigua, Guienna appellatur, proximam: & illa vrbe, quæ excindi quàm Sarracenicum iugum accipere maluit, deleta, Toletum: inde Guadalagiaram atq; Medinã Almeidæ expugnauit: quæ vrbs à mensa quadam satis magna, quæ vnica gemma viridi instar smaragdi constabat, in ea reperta, Arabum lingua nomen accepit. Inde Amaiam vrbem munitam cepit, in qua ærarium erat in belli vsum comparatum. Pòst regionem Gottici campi appellatã ingressus, Asturricam & Gegionem, quæ hodie Gigion vrbes Mugnuza duce Gotto tradente cepit: & Mugnoce, qui Gottus & ipse erat, Cardaniæ regulo adiuuante, Gottalaniã subegit. quamobrẽ Sarraceni eum locis Cerdaniæ finitimis præfecerunt: alter exercitus Granata occupata, Murtiam & Horihuelam petiit, vbi cruentum prælium inter nostros & Sarracenos in cãpis, qui hodie ob id Sanguinarij vocãtur, fuit cõmissum: in quo cum Sarraceni vicissent, ciuitas deditionẽ fecit. Pòst idem exercitus Valentiam inuadit: & Valentinis qui ad pugnã egressi erant fusis, cum vrbem viderent muro ac fossa munitam, deditione acceperunt ea lege, vt Christiani in ea templum vnum ad habitandum haberẽt, quod erat sacrum D. Basilij collegium, hodie Bartholomæi templũ appellatum. reliqua omnia Muamedi consecrarunt, præter illud templũ quod in Ficario foro erat, vbi Vincentius martyr interfectus fuit. quod pòst Christianorum diuersoriũ fuit. Ciuitatem Mauri repleuerũt, Iudæis tamen in ea manentibus: & paucis quibusdam Christianis, qui Basilij collegium inhabitàrunt. Quod audientes qui Puigum Enesæ oppidum incolebant, vbi erat aliud Basilij collegium, campana magna, cum marmoreo quodam simulacro in templo, in reditus spem sepulta, inde omnes aufugerunt. quò post Sarraceni coloniam Cebola duce miserunt. vnde oppidũ illud pòst Puigum, Cebulæ dictũ fuit: à quo & aliud eiusdem nominis paruũ oppidum fuit cõditum: & hoc pacto Valentia, Sogorbes, Tortosa, Lerida, Barcinon & Sarragotia, cum tota Hispania, in Sarracenorum potestatem venerunt. Tarraconem verò, quia diutius obstitit, penitus deleuerunt: quæ pòst à Bernhardo Toleti metropolitano, Vrbani II. Rom. Pont. iussu, anno MXC, iterum fuit ædificata. Hoc modo quatuordecim mensium spacio subacta fuit Hispania tota: quod illis facile fuit factu, populo pręsertim armis & ducibus spoliato, & Opasio Sibiliæ metropolitano populos ad deditionem cohortante, ac ipsis & religionem & iura omnia quibus antea fruebantur, integra fore promittẽte. quod tamen nisi in paucis quibusdam locis seruabatur, vt Valentiæ, Sibiliæ ac Toleti, in quibus templa quædam reliquerũt Christianis inhabitãda: vnde adhuc hodie Toleti in augustissimo vrbis templo,

templo, in facello quodam facra Mozarabica, id eſt cum Arabico mixta, appellata celebrantur, quæ ab eius temporis antiſtitibus ex D. Leandri inſtituto fuerunt comprobata. Poſt has victorias quotidie Sarracenorũ numerus in Hiſpania creſcebat, adeò vt non ſolùm religionem Hiſpani tunc mutarint, & mores, ſed & linguam corruperint, & vrbium, oppidorum, montium, fluuiorum aliorumq; locorum omnium nomina ſint mutata. Multi tamen in Galliam, Angliam, Italiam, Græciamq;, ad opem ab aliis Chriſtianis principibus implorandam confugerũt: alij illam Pyrenæorum partem, quæ in Aſtures inſtar brachij tẽdit, & intra Oceanum Aquitanicum extenditur, inſederunt: qui verò cum Sarracenis manſerunt, vbique antiſtites atque paſtores, ſanctitate claros habuerunt. Sed in Aſturibus primùm Hiſpanię ſalus nata eſt: quæ regio nõ modò à barbaris intacta fuit, verùm etiam prima curſum illorũ eſt remorata: ibidemq; et antiqua Hiſpaniæ lingua eſt cõſeruata, quod, vt qua ratione factum ſit, melius intelligatur, eſt nobis totus Pyrenæorum tractus breuiter deſcribendus. Hiſpaniam Cherroneſi ſiue peninſulæ formam habere diximus, cuius Borealis pars iſthmo Galliæ coniungitur, & Pyrenæi montes ab Ortu hyberno ad Occaſum æſtiuum porrecti inſtar muri eam claudunt. Iſthmi latitudo eſt circiter C C L X X. M. P. Sed Pyrenæi in maiorem longitudinem porriguntur. nam vbi ad Oceani Cantabrici angulum, & quaſi ſinum, qui Hiſpaniæ Septentrionale latus claudit, peruenerunt, quaſi brachium quendam intra eum ſinum rectà in Occaſum æquinoctialem immittunt: quod Cantabricum mare à Septentrionali Hiſpaniæ parte arcens, in apertum Oceanum vſque porrigitur, qui occiduum Hiſpaniæ latus claudit. hi montes quà Galliam ſpectant prorſus ſteriles ſunt: quà verò Hiſpaniam, arboribus pleni, & oppidis ac vicis frequentes. Horum igitur deſcriptionem ab Oceano ordiemur, vbi in Hiſpania Guipuzquæ regioni coniunguntur, in Gallia verò Vaſconum finibus adhærent. Ab Hiſpania Stephani vallis eſt, ſupra quam Beſaca & Guciutha ſunt, Vardulorum oppida, Nauarræ regioni quæ Cantabriam & Aſturiam continet finitima: hinc colles ex Pyrenæis manantes, Baſſam, & Squala, quæ Rocida ſiue Ronus valles appellatas efficiunt: ab Gallia verò, prope Vaſconum fines, Ioannis Pedeporti fanum, locus munitus. Prope Roſcidam vallem, brachium illud quod diximus, ab his intra Oceanum immittitur, per Galiciam ſiue Gallecos & Aſtures, ad mare magnum vſq; porrectum. Sed poſt Roſcidam vallem in Ortum progredientes, Salazari vallem, in qua eſt Ociogauia oppidum, efficiunt: inde Roncalis vallem, in qua eſt Iſaua, et Tarraconenſis atque Nauarræ, quæ olim Nagiera vocabatur, regnorum fines ab Gallia Bearniæ oppida ſunt. Sequitur deinceps Camfranci iugum: cui in Gallia finitimus eſt Peiraneræ ager, & Vrdos: in Hiſpania, Villa noua, antiqua vrbs & nobilis, Iaca, Chriſtinæ fanum, & Ioannis Pigniæ fanum: & in eodem tractu inferius, mons Aragon. Hoſca, à qua Occetani, & Cæſaraugusta, hodie Saragotia appellata. Ex monte qui Chriſtinæ fano imminet, otur Aragon fluuius. & quia ex Roncaliæ vallis montibus oritur alius paruus fluuius Aragon minor, ſiue Suborda nuncupatus, hic Aragon maior vocatur: & regio interiecta, ab iis Aragonia dicta fuit. Sequitur in Pyrenæis Gauas mõs, ab Gallia Larunti Bigerronum, ab Hiſpania Teniæ agro finitimus: quo in agro oppida ſunt Salentum, Helenæ fanum, & Bieſca. Ex Gauaſio iugo oritur Gallecus amnis, qui per Teniam vallem deſcendens, prope Cæſarauguſtam in Iberum influit. Dehinc ſequitur Horcæ iugum omnium aſperrimum, cui ab Gallia finitimus eſt Aruntis ager, & ab Hiſpania eadem Tenia vallis. tum Tarlæ iugum, ex quo oritur Ara fluuius, qui pòſt Cincæ amni prope Inzam oppidum commiſcetur, ab Hiſpania Broti, ab Gallia Voteiam Guiennæ valles habens. In Broti valle ſunt hęc oppida: Torla, Brotum, Oto, Linaris, Faulũ, Breſla, Sarbiſe, Aierue, Lareſitalla, Scartinum & Giaſa. Sequitur Bielſæ iugum, ex quo Cincæ fluminis pars oritur, & Bioi vallis: infra verò in hoc ipſo tractu, Sobarbria regio: tum in Pyrenæis, Giſtau vallis: ex cuius montibus oritur alter Cincæ fluminis ramus, qui Sobarbriam regionem irrigans, Segrem amnem prope Scarpum excipit, & in Iberũ prope Meſchinentiam labitur. In Giſtaui valle nobiliora oppida ſunt hæc: Giſtainum, Senias,

Serbetum, Ioannis Carauelí fanum, Plaunium, Poma, Gistaina, Cerquetum, Lamiana, Catalauigna, Badainum. Post hæc in Pyrenæis Bonasia vallis, & Ribagorgiæ tractus, in quo sunt Gabaleria, Grausium, Benauarrium, Peralta & Paniellum. Inde castri Leonis iuga, quibus subiacet Arani siue Fiscalia vallis, quæ hæc oppida habet: Biollam Fiscalem, Lardius, Vorastrium, Iusti fanum, Ligarrium, Aretisa, Sciabierre, Olaliæ fanum, Acortum, Tricasium, Abesum, Planielum, Felicis fanum, Sason, Silues, Spierlum, Ascasum. & infrà est Solana vallis. Rursus in Pyrenæis sequuntur Petræ Blaniæ, Altalauaccæ, vbi transitus est, Torri, & Pimorentis atque Pallasij comitatus oppidorum iuga. his subiacet Henui vallis, in qua sita est Valentia, Pallasia, tum Andoria iuga, vbi transitus ex Hispania in Galliam est, cum eiusdem nominis valle, cui eregionè in Gallia est Azachsium in Aquitania. Hactenus Nauarræ loca. Dein per Cerdaniam mons Bellamir, vallis Bibesia, mons Liuia, & Persæ iugum. Pòst Rocilionis agrum ingrediuntur, eregionè Puigiualedij, Caudiesij, Arotonij, Galamij fani, Perapertusæ, Eitori & Leocatæ oppidorum, vbi ad mediterraneum mare desinunt. in quorum fine in Hispania est Salses arx munitissima, copiosissimum intus fontem habens: vbi olim Gerunda fuit, & eregionè in Gallia Veneris templum. His eregionè in Gottalania respondent alij montes, qui minores Pyrenæi, vel Antipyrenæi nuncupari possunt. hi ad locum Cobliure dictum, à mediterraneo incipientes, Pertusium, vbi Bellaguarda est oppidum Darnilsium, Campredum & Canigum excurrunt, montem præstigiis dæmonum celebrem. inde ad Nuriæ virginis fanum: vbi Segrius amnis, qui Leridam alluit, oritur. Iunonis collem, Pandisium, Cadium, Vansam, Organam: quam Segrius amnis iam magnus, qui in Gottalania Naualis aqua vocatur, alluit: atque ibi rursus alius mons incipit, qui ad Setcomelsium oppidum vsque, & Callagatium porrigitur: vbi Nogera, Pallaresiæ fluuius montes hos terminat, quibus in montibus multa sunt oppida. ex hac igitur descriptione, quænam horum montium pars tunc in Sarracenorum potestatem venerit, facilè patebit: & quæ illis obstiterit. Nam cum diximus, Mugnocem Cerdaniæ principem sese Sarracenis dedidisse: sciendum est, totam Cerdaniam regionem eis subiectam fuisse, quæ Pyrenæorum partem mediterraneo mari proximam, vbi Salses nunc est, ad Arani vallem vsque, totúmque Lampurdanum, Puigcerdanum, Rocilionensem & Pallasium agrum comprehendit. Sed tamen quia tractus hic valde asper & incultus est, multi Christiani in his montibus et syluis manserunt, clàm in oppida ad commeatum capiendum irrumpentes, & Sarracenos semper ex opportunis locis infestantes. Contra quos exercitum duxit Mugnoces, vir immanissimus: qui quòd regionis & locorum peritus esset, magnis eos cladibus afflixit. Nec non in ea Pyrenæorum parte, in qua Benacum est, Ribagorzam, Camfrancum, & totum eum tractum ad Gislaui & Bielsæ valles vsque occuparunt. nec vlterius sunt progressi, castellis & munitis locis, tum quæ prius ibi erant, tum quæ tunc temporis in hunc finem ædificata fuerunt, impedientibus: cuiusmodi erant in Sobarbria regione, Arcussa, Castellacium, Castellum Monclusij, Scaniella, Clamosa, Abizanla, vbi Sobarbriæ regis arx est: & in altera parte Builium, Buesa, Vicieni fanum, Castellones, & pleraque alia. quo in tractu conseruati sunt Christiani illi qui Garziam Scimenesium Tarraconensium regem creârunt: & apud eos mansit lingua illa qua Gotti tunc in Hispania vtebantur incorrupta. In ea verò Pyrenæorum parte quæ Oceano propinquior est, hoc est in Roncalia, Salazaria, Squala, & Stephani fani vallibus, hisque finitimis locis, vt Alaba, Cantabria, & aliis huius oræ, Christiani tam ab Sarracenorum iniuriis tuti & remoti degebant, quàm prius ab Romano imperio intacti permanserant: linguam etiam suam antiquissimam ad hodiernam diem conseruantes, quæ ab Armenica corrupta est: nec non & montes illi rectà ad Oceanum Occidentalem intra sinum porrecti, quos Astures incolunt, ab Sarracenorum tyrannide liberi manserunt. & ij quoque Gotticam linguam

retinue-

retinuerunt, nonnihil tamen immutatam. Qua in parte primùm Hiſpaniæ vires ſimul colligi cœperunt. Pelagius enim, cuius patrem Faſilam Vitiza rex, vt vxore eius ad libitum frueretur, interemerat, Vitizæ inſidias metuens, in Logroniam vrbem, quam alij Cantabriã, Nebriſſam alij dictam olim putant, confugerat: ibique apud Petrum Cantabriæ ducem ſimul cum ſorore, quam habebat, formoſiſſima degebat. Sed Roderici clade, & Sarracenorum in victoria perſequenda celeritate audita, vnà cum ſorore ſe Gigionem contulit, eum locum tutiorem ratus: cumque Mugnuza, Gigionis dux, contra ſpem ipſius ſe Sarracenis coniunxiſſet, Pelagius nihilominus ſimulans apud eum ducem manſit, donec Magnuza ſororis ipſius amore captus, vt ea liberè potiretur, Pelagium Cordubam ad negocia quædam cum Sarracenorum principibus tractanda miſit: mox illo abſente, ſororem eius falſis matrimonij promiſſis deludens, ſtuprauit. Qua de re Pelagius ſtatim, vbi rediit à ſorore certior factus cum illa in ardua atque inacceſſa loca ſeceſſit. quod ægrè ferens Mugnuza, Tariſæ dixit, Pelagium aliquid contra Sarracenici imperij maieſtatem moliri. Quamobrem Tariſes ducem vnum, cum cohorte militum, ad Pelagium ſi poſſet, comprehendendum miſit. Iamque milites Bretum, quo in oppido Pelagius erat, peruenerant: cum ipſe à Chriſtiano, quodam, qui cum illis erat, & conſilia illorum nouerat, admonitus, equum conſcendit: & ad Pioniam fluuium currens, eum (quia magnus erat) tranſnatauit. Quod cum, qui perſequebantur, facere non auderent, manus illorum effugit, & in Canicam vallem mœſtus peruenit: vbi Dei prouidentia obuios habuit multarum Cantabriæ & Aſturum ciuitatum atque oppidorum magiſtratus ac optimates, qui ad ſeſe cum ſuis ciuitatibus Sarracenis dedendos ibant. Ex quib. cum itineris cauſſam cognouiſſet, talem ad eos orationem habuiſſe traditur:

Equidem viri, horum temporum calamitatem non ſummopere deplorare non poſſum: & niſi id impium foret, fata accuſarem, quæ ortum meum in ea tempora diſtulerunt, quibus tot meæ gentis ſtrages, & (quod maius eſt) tantam ignominiam, tantumque Dei contemptum viderem. nam à quibus nunc magis Dei honor & gloria contemnatur, non facilè poſſum diiudicare: à barbaríſne, qui in tenebris, quas mentibus illorum dæmon ille Muamedicus offudit, degentes, & verum Deum, eiusque cultum ignorantes, templa, in quibus Deo immortali honores haberi ſolebant, eiúſque cultui dicata profanant: infantes, quos Chriſtus ad ſe duci iuſſit, in prima ætate impiis ritibus & religione imbuunt, nefandiſque ſacris initiant: virgines ac mulieres veram religionem agnoſcentes decipiunt, rapiunt, & concubitu ſuo non ſecus ac mali dæmones fœdant: mortaleſque cunctos, quos ſemel in poteſtatem habuerint, dira ſeruitute premunt: nec ſolum fortunis, coniugibus ac liberis captiuos ſpoliant, corpora duro ſeruitio affligentes. verùm etiam omnem cultum adimunt, ac denique impia religione Dei gloriam obſcurant, & animas in Tartara detrudunt. an verò à vobis, qui de benignitate ac potentia Dei, quem nouiſtis pro ſalute veſtra ſanguinem profudiſſe, à quo ſalutem æternam vobis datam eſſe ſcitis, ac cuius beneficio tot adiumẽta habetis, certiſſimam vobis de hoſtibus victoriam promittentia deſperantes, vltrò turpiſſimum iugum ceruicibus veſtris imponere vultis? quaſi nulla amplius ſpes ſalutis eſſet: quaſi Deum nullum haberetis, à quo auxilium ſperari poſſet. vel quaſi nulla munimenta poſſideretis: ac denique quaſi non longè ſatius eſſet, fortiter pugnando breuem hãc fragilemque vitam cum ſempiterna, cui ingens quoque gloria adiuncta ſit, commutare, quàm ea quę ſuprà enumeraui perpeti: tamen qui Romanis orbis terrarum domitoribus obſtitiſtis, qui ab omnium mortalium fortiſſimis viris, quibus Germania, Britannia, Gallia, Hiſpania, Græcia, & omnium terrarum regina Italia, Europa vniuerſa, totaq; Africa & Aſia parebant, debellari nõ potuiſtis: qui optimè inſtituti imperij leges poteſtatemq; detrectaſtis: qui denique aduerſus Gottos, eiuſdem imperij vaſtatores ferociſſimos ſoli inuicti manſiſtis: vos (inquam) nunc totius Europæ viribus integris, Hiſpaniæ tantum apertis locis partim proditione, partim Roderici regis imprudentia occupatis, qui fato

eum ad tot nefariis facinoribus debitum excidium trahente, iis viribus quibus patriæ proditorum acies frangi poterat non expectatis, temerè cum hoſtibus cõgreſſus, & inſidiis ſuorum circumuentus, temeritatis ac flagitiorum ſuorum pœnas dedit: quæ tamen à capite (vt neceſſe erat) in reliqua etiam membra redũdârunt vltrò, viliſſimæ, ignauiſſimę, quaſi ſanctiſſimæ fidei deſertores, gentis intolerandum iugum ſubire & accipere vultis. Si Deus ob noſtra flagitia ita auerſus à nobis eſſet, vt nullus noſtras preces admitteret (quod tamen nunquam crediderim, cum pœnitentes, & auxilium ſuum implorantes deſerere non ſoleat) & reliquus terrarum orbis Sarracenis parêret, nullaq; munita loca nobis ſupereſſent: præſtaret tam fortitur mortem oppetere, quam illa videre & pati quę ab his nobis erunt perferenda. Bruta animantia & ſylueſtres feræ, ſi catuli ipſis rapiantur, ſummo furore raptores perſequũtur: quos ſi inuenerint, ſtrictorum gladiorum acies, mortemq; pro ſuorum vindicta contemnentes, ſe in extrema pericula coniiciũt: & uos qui uiri eſtis, quibus natura liberorum educationem dedit, non ſolum vt aliis animantibus procreationem, & nutriendi curam: quiq; eos in vero Dei cultu, vt vitam inde ſempiternam conſequantur, inſtituere debetis, eos ſponte accerſetis, qui poſt liberos veſtros à vobis & ſimul à Dei cultu abſtrahant. Vbi nunc eſt illa antiqua fides, pietas & religio, cum pueri nondum pubertatis annos ingreſſi, & ſanctæ virgines dira omnia perpeti, quàm deos illos colere, quos (quamuis falſos) fortiſſimæ & ſapientiſſimæ gentes paſſim colebant ac venerabantur, maluerunt? Vbi illi qui pro libertate tot bella geſſerunt? Fornaces, eculei, gladij, ſecures, omnia ſuppliciorum genera olim pueros ad ſimulacrorum cultum flectere non poterant: & nunc viri adulti, & viri omnium gentiũ fortiſſimi, et ciuitatum principes, quibus ſacroſancti Euangelij lux affulſit, Sarracenorum nomẽ horrent ſupplices illos nullis armis viſis vel auditis, adeunt. At fortaſſe ſperatis, mitius vobiſcum, ſi ſponte vos dedideritis, actum iri: religionem iuraque omnia integra fore: coniuges ac liberos inuiolatos. huiuſmodi enim promiſſis decipere ſolent miſeros populos nefarij illi, et ſceleſti patriæ proditores: quaſi fides vlla in iis eſſe poſſit, qui dominos, qui patriam, qui amicos & propinquos, qui Deum ipſum prodiderunt. ſcilicet Valentiam vrbem munitiſſimam, maritimam, & clariſſimam, deditione acceperunt, eadem promittentes: & tamen ſtatim vbi ingreſſi ſunt, omnes aut eiecerunt, aut trucidarunt, aut in ſuam ſectam coegerunt. Toleti idem factum, idemque Sibiliæ, & tot aliis claris vrbibus, quæ hac ſpe, & his veneficis orationibus deceptæ, ſeſe illis dediderunt. Hæc exempla vos docere poſſunt, longè ſatius eſſe fortiter mori: quod quanto magis faciendum eſt rebus nondum ita deſperatis? Habetis montes arduos, & in iis multa inacceſſa loca, & munitiſſima oppida, quibus freti pauci ingentes ſæpe exercitus fuderunt: & vos viri, quos cœli ac terræ natura fortes fecit, laboribus aſſuetos, & hactenus inuictos metu fatiſcitis. multi etiam ſub Sarracenis degunt, qui ſi modò vos caput extollere viderint, accurrent vndique. Eſt à tergo Gallia hodie armis et viris florentiſſima, vnde haud dubiè auxilia præſtò erunt. Neque enim ferent Galli hanc ignauam gentem, quæ iam ad mediterraneum vltra Pyrenæos tranſgreſſa eſt, tam liberè in regni ſui fines debacchari: & Deus ipſe (ſi modò ad eum conuerſi, vitam corrigamus) nobis aderit, quo adiuuante vel centum impiorum millia ſingulis non ſunt timenda.

Hac oratione permoti (erat enim Pelagius valde vehemens in dicendo, & magnæ ob prudentiam & vitæ ſanctitatem apud illos populos exiſtimationis) domum redierunt, populiſque conuocatis reditus cauſas eis indicarunt. Pelagium videlicet, cuius virtus & ſanctitas iam illis omnibus nota erat, cum (vt ſuprà oſtendimus) diu apud eos verſatus eſſet, miraculo ex impiorum manibus ereptum, ipſis quaſi diuinum aliquem nuncium obuiam factum, quantum ſcelus committerent, quamque pernicioſum conſilium cepiſſent, oſtendiſſe. Quamobrem cùm & ipſe tum concionibus, tum priuatis colloquiis populos ad conſtantiam & pietatem accendere non deſiſteret, communi populorum conſenſu rex eſt Cantabriæ & Aſturũ creatus, anno Salutis DCCXVII. Deinde omnes Auſeuam montẽ conſcen-

conſcenderunt. cuius rei fama Hiſpaniam diuulgata, omnes Gotti qui ex barbarorum manibus effugere potuerunt, ſpem magnam concipientes, armis arreptis ad eum venerunt: qui id ſtatim facere non poterant, omnem occaſionem intenti obſeruare. Tunc Tarifes Abraemum Adcamacem, cum magno exercitu, & cum eo Opaſium, Egicæ regis filium, Sibiliæ metropalitanum, quem Iuliani & proditorum patriæ factionem ſequutum ſuprà indicauimus, aduerſus eum miſit. Quod audiens Pelagius, cum ſe ad tantam multitudinem repellendam parem non eſſe videret, paucis ex ſuis, ſed fortiſſimis ſelectis, Auſeuæ montis ſpecum quendam natura munitiſſimum cum iis eſt ingreſſus reliquos ad anguſtias viarum tutandas reliquit. Quò cum Sarraceni peruenerunt, Opaſius his qui anguſtias obtinebant, vt ſeſe Mauris dederent, multis rationibus perſuadere eſt conatus: ſed cum labor eius irritus appareret, atrox pugna cœpta eſt: & Sarraceni tot ſaxa & ſagittas in ſpecus fauces iaculabantur, vt de cœlo inſtar nimbi pluere viderentur. Verùm Deo iacula in eoſmet qui iaculabantur prodigio retorquente, tot ex illis ceciderunt, aut vulnerati ſunt, vt fracti retroceſſerint. Tunc Chriſtiani numinis præſentia et ope cognita gratias Deo agentes, audacter egreſſi, penitùs eos repulerunt. Ceciderunt in hac pugna Sarracenorum ad viginti millia: Chriſtianorum verò vel nulli vel admodum pauci. nam nihil de eo tradunt ſcriptores: & qui Sarracenorum ex pugna euaſere, cum Abraemo duce in verticem montis confugerunt: quo vertice terræmotu, diuino miraculo, concuſſo, ac in Iuam fluuium, qui eius montis radices alluit, corruente, omnes interierunt. Opaſius verò & Mugnuza proditores, fugientes (neque enim cum aliis in montem aſcenderant) capti ſunt: & Mugnuza quidem in loco qui Olaglias appellatur, ab Aſturibus ſtatim interfectus: ac Gigion vrbs ad Mugnuzæ principis perpetuam ignominiam deleta. De Opaſio autem quid factum ſit, à nullo traditur. Mucas his auditis, Iulianum & cæteros coniuratos occulta cum Pelagio conſilia agitare ſuſpicatus, illicò Iulianum, & ſimul Siſibertum atque Ebaſium, Vitizæ filios, obtruncari iuſſit. & ſic proditionis præmium acceperunt. Quo exemplo multi ex iis qui Iulianum ſequuti erant, territi, ſe ad Aſtures contulerunt: & iis qui ſub Sarracenorum tyrannide degebant, quotidie clàm ad Pelagium confugientibus, breui vires eius ita creuerunt, vt qui paulo antè vix ſua tuebantur, mox multa ex iis quę Sarraceni occupauerant, recuperarint. Statim enim Legio vrbs, quę hodie Leon vocatur, recepta eſt: nec non Rota, Manſilia, Canicas, quæ vulgò Cangas dicitur, Tineum, & alia eius tractus oppida.

CAELII AVGVSTINI CVRIONIS SARRACENICÆ HISTORIÆ

Liber ſecundus:

Eius imperii inclinationem ad Turcici initia vſq; continens.

IN Oriente Sarraceni apparatum, quem ſuperioribus annis ad Conſtantinopolis oppugnationem fecerant, irritum fuiſſe ægrè ferẽtes: & Leonem, cuius opera conatus ipſorum repulſus fuerat, imperium adeptum eſſe audiẽtes, ingentib. copiis collectis denuò eandem expeditionem bipartitò ſunt aggreſſi. Malſamas quidem legatus Abydo cū magnis copiis in Thraciam tranſuectus, magnam eius prouinciæ partem populatus eſt: impetuq; in vrbem regiam facto, ad Occidentalem vrbis partem, vbi Iſthmus eſt, prope mœnia caſtra poſuit, atq; ab ea parte ipſe vrbem oppugnauit: Zulciminius autem pontẽ mari cum trium millium (vt multi tradunt) nauium claſſe. Eſt enim Conſtantinopolis vrbs cùm maxima atq; ornatiſſima, tum loci natura & arte munitiſſima, ad Boſphori Thracij, vbi exiguo tantum dirimente freto Europa Aſiæ penè coniungitur, fauces, quibus in Propõtidem exoneratur, ſita: vbi modicus ſinus ab Oriente in Occidentem ſinuoſis portuoſus lateribus panditur, ob id etiam Cornu appellatus, quòd ſeptem vrbis collibus in eum prominentibus multiplices quaſi ramos, vt cerui cornua, habeat. inter hunc ſinum & Propontidem mons quidam excurrit, peninſulæ ſiue Cherroneſi formam habens, qui ab Occaſu in Ortum circiter xxx ſtadia, non tamen admodum in altum aſſurgẽs, qua Propontis eſt perpetuo iugo eius faucibus obuerſo excurrit: à Septentrione verò, qua in Cornu (quem ſinum eſſe diximus) vergit ſeptem habet annexos colles, ex quib. quatuor in ſinū prominent: et qui Boſphoro alluitur, maximus eſt, & quaſi trianguli baſim efficit. nam triquetra eſt peninſulæ & vrbis forma. Habet hic duo promontoria: vnum, quod Propontidem intuetur, Occidentale Hebdomi: alterum Septentrionibus obuerſum, quod ſinus fauces à ventorum iniuria tutas reddit, Chryſoceras nūcupatū. à quo ſi lineam ad ſeptimū & intimū omnium collem, qui ſinū itidem ab Occidentali vẽto tuetur, ducas, Galatæ ſiue Peræ planiciẽ intra arcus, quẽ perpetuū Cherroneſi iugū facit, ſinū incluſeris. Sinus longitudo circiter ſexaginta ſtadiorū eſt, in cuius intimo receſſu Cydri & Barbyſæ fluminū oſtia ſunt: latitudo autẽ varia, vbi maxima ſex ſtadiorū: vbi verò minima, trium. Fauces eius anguſtiſſimæ ſunt. nā & ab Septentrionali parte, in qua Pera eſt oppidū, promõtorium in Meridiẽ obuerſum prominet Metopicum atq; Cyclobium: & item aliud ab Aſia, mediis ſinus faucib. obiectum, Damalicum appellatum. Cherroneſus hic ab Occaſu, qua in parte continentem Thraciam habet, iſthmo ſinū hunc à Propontide ſeparat. Iſthmi latitudo eſt, vbi ſeptimum collem & interiorẽ vrbis angulum cõtingit. paſſuū quinquaginta: vlterius verò maior. In hac igitur peninſula ſita eſt Conſtantinopolis, olim Byzantium appellata: cui in altero ſinus littore oppoſitum eſt Pera oppidum, olim Galata, quatuor et ipſum promontoria in Cornutum ſinum immittens: & in Aſia ex oppoſito, Chalcedon. Sinus ſiue portus fauces, vbi anguſtiſſimæ ſunt, catena clauduntur, quæ ab Pharea turri ad Chryſoceram promontorium ædificata, ad Galatæ promõtorium Metopicum, vbi aliud propugnaculum eſt, trahitur: vrbs ipſa triplici muro, dupliciq; latiſſima & profūdiſſima foſſa, frequentibusq; turribus ac propugnaculis munita eſt. nam circum circa planiciem habet: media verò vrbis pars paulum collibus ſublata conſurgit. totus vrbis ambitus eſt circiter XIII. M. P. hanc talem & tantam Conſtantinus, vbi prius Byzantium erat, ædificauit: Imperiique ſedem & omnia Romanæ vrbis ornamenta in eam, non ſatis ſano conſilio, tranſtulit. nam etſi locus

ipse ad Imperii sedem aptissimus videatur, cœlum tamen & fatum hanc vrbem Romani Imperij sedem esse non patiebantur. Vt enim singulæ non modò regiones, verum etiam vrbes sua fata moresque suos proprios & ritus habent: sic illa in alium locum tranferri non tutò possunt, etiam si homines ipsi & leges transferantur. Cœli namque temperies hominum mores mutat, cum quibus & fata ipsa commutantur. quod sic esse, exitus comprobauit. Imperio enim ferè in Asiam translato, Imperatores ex ea prouincia legionesq; Romanæ deinceps fuerunt: quę & Græca leuitate & ambitione in factiones diuisæ, atque Asiæ mollicie eneruatæ, barbarorum incursiones repellere non potuerunt: cum interea Itali & Roma, orbis terrarum arx, capite carens, atque militari disciplina amissa omnibus gentibus prædæ esset. Sic imperium illud, quod vt arbor bona, in proprio solo optimos fructus ferebat, in alienum cœlum et solum traslatū breui interiit. Sed vt ad institutam narrationem redeamus: Malsarnas eam partem à terra oppugnandam suscepit, quam in Isthmo esse diximus inter Cornu et Propontidē, quæ sola terrestribus copiis oppugnari poterat: & vt omnino commeatum obsessis adimeret, simulq; mœnib. instaret, ita metatus est, itaq; præsidia vndiq; disposuit, vt frōs castrorum quasi cornu proxima mœnib. esset. indeq; vt sese campi ab Isthmo recedentes magis diffundunt, circa sinum ad fluuiorum, quos in sinum exonerari diximus, ostia inflexa pertingerent. nam ingens erat exercitus, adeò vt loci spaciū amplissimum occuparet, vnde excursionibus totam regionem vastabāt: & oppugnationē cuniculis, turribus, omniq; machinarum genere tentabāt. Zulciminius verò maritima classe totam vrbem, qua Propontidem & Bosphorum respicit, ab Isthmo ad Metopicum promontorium cingebat, adeò vt & Propontis & Bosphorus ex vrbe intuentibus ligno strata viderentur. nec minus ipse quàm Malsamas instabat operi: & pontibus naualibus in altum sublatis, tormentis item iis quæ illa tempestate in vsu erant, oppugnationem vrgebat. Sed tanta erat propugnatorum vigilantia & virtus, vt omnes illorum conatus omni ex parte irriti redderentur. Itaque ad diuturnam obsidionem conuersi sunt. Verùm interea Zulciminio hic defuncto, Sarraceni in nouo pontifice eligendo seditionibus iactati sunt, atque ob id oppugnatio aliquandiu intermissa. tandem verò Aumar, Abdimazidi filius, in defuncti locum pontifex creatur, Anno DCCXXI: quo anno hyems tam sæua fuit, vt fluminibus glacie concretis, quamuis commeatus assiduè ex AEgypto in castra veheretur, tamen quia ingens erat hominum & iumentorum multitudo, & frigus immensum, magna illorum pars fame, frigore & morbo periit: & ingens illorum manus quæ prædæ cupiditate è castris in Bulgariæ fines irruperat, à Bulgaris, qui in eam populabundam impressione facta, magnam stragem ediderunt, oppressa fuit. vbi quidam triginta millia cæsa tradunt. Et Leo imperator artificio quodam ignis per speculum (vt Archimedes Syracusanus faciebat: cuiusmodi speculum & Alexandriæ AEgyptiacæ in Pharia turri fuisse tradunt, quo incolæ solis radiis obuerso, hostium naues, vel longè venientes comburebant) in hostilem classem eiaculandi, quo vel mare ipsum circa naues arderet, ab architecto quodam inuento, classem illorum ita afflixit, vt paucæ superfuerint naues, quæ à Græcis captæ fuerunt, ipsis prę̄fectis illius ignis metu sese sponte dedentibus, & in Græcorum manus confugientibus. Interea verò cùm Mucas & Tarifes, qui Hispaniam subegerant, Aumaro suspecti essent redditi, ambo ad nouum pontificem salutandum, & suspicionis causas remouendas venerant: vbi Tarifes Mucam peculatus in Hispanicarum rerum administratione accusauit atque redarguit: cuius criminis damnatus, mœrore confectus obiit. in cuius locum Aumar Gizidum Africæ præposuit: Tarifem verò toti Hispaniæ. Itaque Gizidus trecētarum & sexaginta nauium classe instructa, cum supplemento legionum & commeatu Byzantium versus iter direxit: sed ignis illius, quo Byzantini naues consumebant, nuncio in itinere accepto ad Bithyniæ littora prædabundus substitit: vbi Romanæ legiones quæ in præsidiis erant eos aggressæ, multos occiderunt, ac territos repulerunt. Et nihilominus terrestris exercitus oppugnationem vrbis nō intermittebat: & si tanta fame pre-

meretur, vt nullius animantis cadaueribus abstineret. quin & stercus exsiccatum comedebant, & humanis quoq; carnibus manus admouisse perhibentur: tanta barbarorum animos regiæ vrbis capiendæ cupiditas tenebat. Nec tamen minus interea Byzantij laboratum fuerat, qua in vrbe ad CCC hominum millia pestilentia absumpserat. Sed Aumar tot tantarumque cladium nunciis territus, literis ad Malsamam datis, vt exercitum reduceret, iussit: quamobrem Malsamas exercitu nauibus imposito discessit. Sed vehementi tempestate exorta, omnes, decem tantum nauibus exceptis, perierunt: quarum quinque à Romanis captæ sunt, reliquæ cladis nunciæ domum redierunt. At in Hispania Abdeluzitus Mucæ nepos, quem Mucas discedens sibi substituerat, Egilona regina Roderici coniuge sibi matrimonio iuncta, eius consilio Sibiliæ quæ Hispalis olim fuit, se regem appellari iussit. Quod Sarraceni ægrè ferentes, eum vnà cum coniuge trucidàrunt: & in eius locum quendam alium Mucæ propinquum, Aiubum nomine, tamdiu, donec summus ipsorum Pontifex alium mitteret, substituerunt. Hic Aiubus Bilbilis vrbem, quæ Martialem poetam Epigrammatis clarum dedit, eo bello euersam, & nonnullas alias vrbes in Hispania instaurauit, ac de suo nomine Calataiub nuncupauit, quæ nunc Calataiud dicitur. Sed varij in diuersis Hispanię partibus regna occupantes, quominus cogitata sua perficeret, obstiterunt. Nam cum Cordubæ totius Hispaniæ regni sedes & caput esset, reliquarum verò vrbium ac prouinciarum præfecturæ gentis principib. essent distributæ, singuli Abdeluziti factum imitantes, præfecturarum suarum se reges appellârunt. Et sic in multa tūc regna Hispania fuit distributa, vt Sibiliæ, Granatæ, Giaenæ, Murtiæ, Deniæ, Sciatiuæ, quæ olim Setaba fuit, Valentiæ, Tertosæ, Leridæ, Fragæ, Cæsaraugustæ, & multorum præterea locorum quæ his minora sunt. Qui reges dum concordes inter se erant, magnis sæpe cladib. Christianam Rempub. afflixerunt: iidemq; seditionib. diuisi, Christianis Hispaniæ recuperandæ occasionem præbuêre. Cui rei, quemadmodum suprà narrauimus, initium dedit Pelagius, qui & fortitudine, & prudentia, & miraculis, & hostium dissidiis feliciter vsus, multas vrbes & oppida ab illorum tyrannide liberauit. Huic se adiunxit Alphonsus Petri Cantabriæ ducis filius, ab Richaredo Gottorum rege originem ducens, cui Pelagius Orismundam filiam in matrimonium dedit: & hi duo simul multas ex Mauris victorias retulerunt. Sed vt in Orientem redeamus, Aumaro Califa defuncto, successit anno Salutis DCCXXII, Gizidus Abdimelici filius. quo imperante excitatus est in Persíde alius Califa Gizidus, & ipse Moalabs appellatus. cōtra quem missus fuit cum magno exercitu Masabnacus, qui eum prælio vicit, Persidemque subegit: & sic Gizidus, Abdimelici filius, solus Sarracenorum omnium Califa mansit: qui cum tres annos regnasset, obiit: et pòst Euelitus eius filius, Califa est creatus, qui magnis viribus Romanas prouincias in Asia atque Europa est adortus: sed nulla re memorabili gesta, ita se ad ocium & voluptates conuertit. Verùm tamen iterum secundo imperij sui anno Malsamam cum exercitu in Cappadociam misit, à quo Cæsarea vrbs capta fuit, & ab altera parte Euelitum in Thraciam, qui ea populata in Syriam rediit. Hoc tempore prope Asiæ minoris littora, terra in fundo maris ita arsit, vt primò fumus ex eo incendio: deinde tanta pumicum accensorum copia extitit, vt monticuli in mari nati viderentur, quib. pumicibus omnia Asiæ minoris, Lesbi, Abydi, & Macedoniæ littora repleta sunt, mareq; ipsum iis stratum esse videbatur: quinetiam traditur tunc insula quædam prope Sacram insulam nata esse. Deinde Euelitus Muauiam quemdam et Amerum duces cum, XC Sarracenorum millibus ad Nicæam Bithyniæ vrbem oppugnandam misit: qua summis viribus, & omni arte oppugnata, Christianis fortissimè propugnantibus, & illos semper magna cum cæde repellentibus: tandem re infecta, nisi quod ab retrocedentibus Ateum oppidulum captum, domum redierunt. Postmodum Gazariæ princeps, Cacani Bulgarorum regis filius, Sarracenis in Armeniæ finibus bellum intulit: & Gradaco Armeniæ ac Mediæ prætore Sarraceno prælio deuicto, atque trucidato, duas illas prouincias rursus Romano subiecit imperio. Anno DCCXXX Malsamas cum ingentibus copiis Caucasia claustra ingressus cum

Turcis,

Turcis, qui & Vnni Teutazitæ, id est gentiles tunc vocabantur, intra eos montes degentibus ferocissimis populis, cruento vtrinq; prælio per integrum diem dimicauit, donec tãdem nox victoria adhuc incerta eos diremit. Sed Malsamas in Armeniam (iam enim cum Cacani filio pacem inierat) se recepit. Interea in Hispania Pelagio res feliciter aduersus Sarracenos gerente, & Tarraconenses, qui in montib. degebãt exemplo Asturum Garziam Scimenecium in Ioannis Pigniæ specu, Panouio appellato, regem crearunt: & paulo pòst Pelagius cum regnasset annos XIIII, obiit, Anno Salutis DCCXXXII. cui successit Fafila filius, qui regni sui anno secundo in sylua quadam ab vrsis deuoratus, nullos liberos reliquit. hi reges sedem regni Legioni collocarunt, & leonem purpureum in argenteo clypeo depictum pro insigni sumpserunt, non quidem ob vrbis in qua sedem habebant, nomen, quæ non a leone, sed à militum legione, quam Nerua Cocceius Imperator ibi collocauit, nomen habet: sed quòd non secus ac ferocissimi leones, pugnæ pro patriæ salute desiderio arderent. Hoc Fafila regnante, Sarraceni per eam Pyrenæorum partem, quam ad mediterraneum mare obtinebant, in Galliam transierunt. Galliam tunc Franci, Germanica gens, obtinebant: qui anno Salutis circiter quadringentesimo suis sedib. ad colonias aliò transferendas moti, ab Aetio patricio Rom. qui tum Galliæ prouinciæ prætor erat, eam Sequanorum agri partem, quæ Germaniæ proxima est, vt aliquod aduersus Hunnos, qui Attila duce finibus suis egressi Europam vastabant, si fortè in Galliam venissent, præsidium haberet, habitandam acceperant, ob id adhuc Franciam appellatam. Erant enim Franci, populi in Germania bellicosissimi, eam (vt opinor) regionem quæ adhuc Franconia vocatur, incolẽtes: & pòst paulatim finibus promotis, totius Galliæ imperium occupauerant, adeò vt Francorum nomen latissimè pateret. Sed cum Franci reges voluptatib. & ocio dediti, ab antiqua illa ferocitate degenerassent, nec quidquam per se administrarent, sed omnia per domus regię magistros curarẽt: quem honorem primus Pipinus, Arnolphi Bauariæ ducis filius, regiarum prouinciarũ præfectis, qui regem imbellem videntes, ad tyrannidem aspirabant, domitis adeptus erat. Tunc autem Theodorico secundo regnante, Caroli Martelli, huius Pipini filij secundi in eo magistratu virtus inclyta erat in tota Gallia, adeò vt is populi princeps haberetur. Eodem tempore Aquitaniam, quæ tũc Gottica Gallia vocabatur, obtinebat Eudo, Gottus et ipse, qui ei prouinciæ à Roderico rege præpositus, vbi regis sui cladem audiuit, regem se in ea fecerat. Hic Carolo Martello aliis bellis in Germania occupato, cum vicinorum locorum præfectis Francis, de finibus armis contendere cœperat, eosq; iura sua defendere nitentes multis cladibus affecerat. Quamobrem Martellus arma aduersus eum mouit. & eodem tempore Sarraceni Pyrenæos transgressi, Narbonem ceperant: in eaque, vt eo exemplo cæteris terrorem incuterent, crudelissimè sæuierant. itaque Eudo sibi difficile fore, Francicum simul & Sarracenicum bellũ sustinere animaduertens, quia Mugnocem generum habebat, qui multum apud Sarracenos gratia valebat, cũ Sarracenis maluit quàm cũ Christianis fœdus inire. Quo Mugnocis opera impetrato illorum auxiliis subnixus, multas Francis clades inferebat: sed cum Sarracenos omnia oppida et vrbes, quas ingrediebantur, præsidiis suis munitas sibi retinere animaduerteret, serò errorem suum agnouit. illi enim iam Nemausium, Montem pessulum et Auenionem cũ omnib. aliis circumiectis locis occupauerant. Veruntamen Eudo, vt eos repelleret, virib. suis omnib. collectis, cũ eis pugnauit, victusq; fuit: cumq; Mugnoces, cuius opera fœdus illud initum fuerat, fidem sibi non seruari quereretur, Abderama Gottalaniæ rex, exercitu in eum ducto, illum in Cerdaniæ arce obsedit: ex qua, cum ob aquæ penuriam Mugnoces in aspera & saltuosa loca profugisset, in aliam Sarracenorum manum incidit, qui eum captum obtruncarunt, & caput Abderamæ miserunt, vnà cum eius coniuge, Eudonis filia: sicque omnes patriæ proditores breui miserè interière. Itaque hostibus, qui à tergo timeri poterant, omnibus sublatis, Abderama in Galliam reuersus, flumen Rhodanum traiecit, multaque Christianorum loca vastauit: & tantam stragem Arelate edidit, vt etiam hodie ossium ille aceruus, qui tunc factus

est, ibi extet in loco Alies campi appellato. Inde in Eudonem iterum vires suas colligētem arma conuertit: Tolosam, Gotticæ Galliæ regiam sedem obsedit: qua in oppugnatione, quia vrbs fossa & mœnibus, nec non machinis & omni armorum genere, idoneoque pręsidio ac rebus omnibus ad propugnationem necessariis optimè munita erat, magnas Sarraceni ex machinis, præsertim peritorum architectorum ingenio excogitatis, & variis strategematibus clades acceperunt. capta tamen tunc fuit à Sarracenis Burdegala: & omnes ad vnum in ea, etiam mulieres cum paruis infantibus cæsi, nec non templa solo æquata. Dein, per Pytagorum fines vltra Garumnam fluuium in Santones excurrerunt atque Angolismam, Blaisiumque euerterunt. inde per Lemouices & Pictauos in Turones deflexerunt, vbi Martini templum donariis opulentissimum direptum incenderūt. Quibus cladibus afflictus Eudo, cum Martello fœdus iniit: & sic coniunctis viribus Abderamam in Turonum finibus ante ipsam vrbem, trecentis septuaginta quinque millibus Sarracenis cæsis, prælio fuderunt. ex Francis mille tantum & quingenti desiderati. Et ne tunc tota illa Sarracenorum manus deleretur, in causa fuit nox prælio nondum confecto superueniens. Abderama enim noctu clade sua cognita, sequentis diei fortunam expectare noluit: sed impedimentis omnibus in castris hostibus prædæ relictis, maximis itineribus cum iis reliquiis quæ illum sequi potuerunt, ad Pyrenæos, inde in Hispaniam rediturus, fuga contendit. Sed Nauarri itinerum angustiis occupatis, omnes interfecerunt: sequenti die Martellus statim vbi sol illuxit, suis ad pugnam instructis, in aciem prodiit: qui hostes fugæ se dedisse conspicati, ad prædam sunt conuersi, quæ in hostium castris opima fuit. Eudone autem defuncto, regni eius partem Martellus suo adieceratimperio: quamobrem filij eius Hunoldus & Vaifarus Narbonensem prouinciam solicitantes, bellum cum Martello redintegrārunt: & Rhodano transmisso, summa immanitate in oppida, vicos, agros, animantia, & omne genus hominum, omnemque ætatem & sexum ferro & flamma sæuierūt: quam procellam, præcipuè Allobrogum ea pars quæ hodie Delphinatus ꝑpellatur, antequam Martellus iusto cum exercitu occurrere posset, sensit. Qui vbi venit, Visigottus in vastam solitudinem, quam fecerat, recessit: & fœdere cum Sarracenis cautius quàm Eudo fecerat, obsidibus videlicet datis atque acceptis, icto, eos rursus in Galliam aduocauit: qui non iam, vt antea, sexu ætatéve imbelli armatis intermixta, sed flore iuuentutis, militumq; robore delecto terra marique, et commeatu instructi, Atino duce in prouinciam transierunt: vbi Auenione Mauricii præfecti proditione capta, eam vrbem cum Narbone belli arces delegerunt. Quos liberè vagantes, Childebrandus cum validis copiis à Martello præmissus, primo statim aduentu intra Auenionis mœnia compulit. Auenio vrbs ad Rhodanum sita, tunc mœnibus, crebrisq; turribus ac propugnaculis munita satis erat: & Atinus, eam se defendente, nec segniter (vt certè vir fortis, & rei militaris peritus erat) rem administrante, expugnari non posse existimabat. Præsidia enim vbique locis opportunis disposuerat, mœnia, turres & propugnacula, armis, telis, machinis ad saxa in hostes eiaculanda, & ignis fomento, quò in irruentes faces accensæ proiicerentur, propugnatoribusque compleuerat: portas stationibus fidissimis excubiisq; firmarat: commeatus quoque magnam copiam introduxerat, & denique nihil quod ad propugnationem spectaret, prætermiserat: ducibus singulis ac centurionibus decurionibusq; sua munera & loca adsignarat. Ipse custodias vigiliasq; circumibat, laborum, vigiliarum, inediæq; patientissimus, exemplo potius quàm pœnarum metu milites in officio continebat, & ad præclara fortiaq; facinora excitabat. Childebrandus castris admotis oppugnationem tentauit: quem Atinus non modò repulit, verumetiam castra procul ab vrbe remouere coegit. Sed vbi Martellus cum suis aduenit, iunctæque copiæ sunt, situ et munitione vrbis inspecta, propugnatorumq; viribus exploratis, omnia maturè & forti consilio agens, non modò erumpentes intra mœnia compulit, sed castra in pristinum locum promota muniuit. Cum enim Martellus rei militaris peritissimus esset, duces ac milites secum habebat tot bellis, quot & quanta gesserat, exercita-

ercita-

ercitatissimos,& castrensis disciplinæ, quam sub illo didicerant, obseruãtissimos: qui siue metandum, siue castra mouenda, siue acies instruenda esset, singuli signo tantum accepto sua munera locosque norant. Cum castra erant munienda, statim alij locum ab Imperatore diligenter exploratum, ac indicatum metari, alij vallum et fossam ducere, alij tentoria figere, alij stationes et vigilias collocare, alij extra vallum hostium in laborantes impetum arcêre: si verò mouenda essent castra, singuli vicissim partes officiaq; sua norant: si in pugnam prodeundum, ordines singuli, modò qua forma acies esset instruenda indicaretur, certos habebant: & quo loco pugnãtes pedem fixerant, ab eo recedere morte peius ducebant, laudis & gloriæ auidi. Si oppidum oppugnandum esset, alij scalas, fasciculos alij, & turres ac pontes, quibus mœnium altitudo superaretur, admouebant: & certatim mœnia conscendebant, nunquam ne in capta quidem vrbe ad prædam extra ordines vagantes, neque vnquam prædę auiditate ferro sęuire desinebant, dum hostes supererant, qui arma non tradidissent. Cum huiusmodi igitur exercitu Martellus vbi castra admouit, dum recens terror erat, & militũ animi feruebant, quia gentis suæ naturam norat, quæ primo impetu, dum recens est iniuria, & animus audacia atque victoriæ spe feruet ferocissima: breui si bellum trahatur, ita mollescit, vt agni videantur, nulla militi quiete data, nisi vt corpora curare possent, pugnæ signum dedit, eorumq; animos huiusmodi oratione accendit:

Nisi mihi virtus vestra, milites, multis laboribus ac periculis mecum exantlatis nota, & si hostis ignotus esset, multis vos verbis incitare conarer: nunc autem cum vos tot bellis inuictos expertus sim, & hunc ipsum hostem superioribus annis longè maioribus viribus sibi Galliæ imperium deposcentem, facillimè penè ad internecionem deleueritis: mihi non multum laborandum esse video, vt spem vobis victoriæ, quam scio vos tot bellorum difficillimorum nostro ductu feliciter confectorum exemplis edoctos, certam in manu habere faciam: nisi quis fortè ex i stimet, difficilius nobis nunc fore hos paucos, qui vt lepores antris, sic ipsi illis mœnibus inclusi latent, superare: quàm in Turonibus fuerit, totius penè Orientis vires delere: aut quasi mœnia plus valeant in bellis, quàm quadringenta hominum millia, quorum gladij & arma simul in cumulum congesta, his mœnibus quæ videtis altiore maioréque aggere hanc vrbem possent cingere. Ferro, mihi credite, non mœnibus se tuentur viri: & qui muris nituntur, vbi eos virtute superatos vident, pauidi vt damæ arma abiicientes diffugiunt, velut pecora sternuntur. Accingite igitur vos ad oppugnationem, opima in ea vrbe spolia inuenturi, & vilissimum istud genus hominum cauea inclusum opprimite: digna, præter prædam, qui fortius se gesserint, à me præmia accepturi. Ego ipse nõ solum consilio, verumetiam manu (vt soleo) vbi opus erit, vos iuuabo: & virtutis vestræ vbiq; testis & iudex, periculorumq; particeps adero. ite muro illo transcenso, Galliæ bis liberatores conseruatoresq; ab omnib. celebrandi.

Quib. dictis, sublato vndique clamore mœnia summa vi oppugnari sunt cœpta: scalæ, turres, pontesq; admota. exercitu in tres partes (quarum vni Childebrãdus, alteri Carolomãnus Martelli filius, tertiæ ipse Martellus, summi duces præerant) diuiso, tripartitò oppugnationem sunt aggressi. Sarraceni saxa ingentia, ad id preparata, deuoluentes, scalas frangebant: sagittarum nimbum in oppugnantes iaculabantur, et picis accensæ ollas in propius accedentes coniiciebant, nullũ deniq; telorũ genus cessabat. Atinus ipse circũcirca discurrens, et omnia prospiciẽs, periti Imperatoris simul et strenui militis officio fungebatur: multis q primi murũ ascendere voluerãt, audacia necẽ attulit. Sed Martellus cũ scalæ partim ab hostib. partim ascendentiũ multitudine grauatæ frangerẽtur, vt ab aliqua muri parte hostes deturbaret, turrim ligneã erexit, ex qua machinis quibusdã saxa ingẽtia in eos q in muro stabãt iaculabatur; in eademq; multi milites sagittarij erãt, eosdẽ sagittis à ppugnatione mœniũ deturbãtes. Hæc turris pontẽ habebat, q machinis pariter attollebatur, & vicissim deprimebatur: quẽ qui in terra stabãt, ascendere nullo labore poterãt. machina tota corio bubulo tecta erat, ne ignis obesse illi posset. Itaq; ea mœnib. admota (rotis. n. impellebatur) põs muri fastigio appositus, & sic statim

murus Francis militibus in illa parte completus fuit. Tunc cum penè par dimicatio esset, virtus vicit, clamorq; vndique sublatus aliis per scalas, qui clypeis se quasi testudine facta tegebant, dum in summum venirent, ascendentibus & cæsis vel deiectis propugnatoribus, reliquisq; amissa spe dilabentibus, Atinus cum proceribus nauibus quæ instructæ in Rhodano stabant, secundo flumine aufugit: multi in fuga cæsi, multi aliorum super alios ruētium multitudine obtriti: multi, dum nauib. iam discedentib. adnatant, vorticib. absorpti. Atinus in mare delatus, Narbonem vrbem munitam, opulentam, et maris auxiliis intromittendis opportunã, quanq; alia Sarracenorum manus insederat, petiit: ad quam Martellus quoq; oppugnandam contendit. Iamque non minore vtrinque certamine oppugnabatur defendebaturq; Narbo, quam modò Auenio: cũ Amorreus, alter Sarracenorum rex obsessis opem ferens, Martellum in se conuerit. Ad Illiberim fluuium signis collatis, pugna atrox commissa: sed tandem, cum Amorreus in prima acie fortissimè pugnans cecidisset, Francus vicit, hostes fusi cæsiq; sunt, adeò vt ne nuncius quidem cladis domum redierit. qua suorum clade comperta, Atinus, & qui cum eo Narbonæ erant, classe Gallia decesserunt. Hoc tempore Mauris tota Aquitania pulsis, nouem proceres ex Martelli exercitu viri fortes, Sarracenis in Gottalania bellum intulerunt: & Martellus obiit, eiq; successit Pipinus alter filius: in Oriente autem Malsamas Thraciæ, quæ nunc Romania vocatur, fines populatus, Cursianum munitissimum Cappadociæ oppidum occupauit. Deinde iterum ad Caueasia claustra cum exercitu profectus, ea ab Vnnis siue Turcis ita munita reperit, vt cum eis congredi non ausus, retrocesserit. Biennio autem pòst altera Sarracenorum manus Euelito, Mauniæ filio duce rursus in Thraciæ fines irrupit, magnaq; populatione facta, in Syriam rediit: qua in prouincia multa Sarracenorum millia morbo interierint. Nec tamen ideo ab incursionibus in Romani imperij fines abstinuerunt. Zulciminius enim cum magno exercitu Armeniam & Thraciam tertiò deprędatus est, & Sideronium oppidum cepit: deinde in Cappadociã cum LX. mil. transiit, eodemq; tempore Melicus & Batalus cum centum millib. Sarracenorum quartò in Thraciam irruperunt. Leo verò imperator cum exercitu contra eos qui Thraciam vastabant, profectus, penè omnes deleuit. Quo tempore obiit Euelitus: in cuius locũ Gizitus II. pontifex, Salutis anno DCCXLIIII. creatus est. qui, dum Romanum imperium in se diuisum erat, Constantino Copronymo, Leonis filio, cum Artabasdo de eo dimicãte, ad imperij Sarracenici res constituendas animum conuertit. & quoniam Cyprus insula tunc bene habitata motus aliquos faciebat, populo vniuerso in Syriam translato, insulam vacuam reliquit: & cum annum regnasset, decessit. Ices post illum, pontificatum est adeptus: quo ante annum expletum defuncto, Maruanus pontifex creatus est. In Gallia verò Pipino II regnum administrante, Sarraceni denuò Pyrenæos transgressi, ab eo summoti sunt: & ita mulctati, vt id amplius eo viuo tentare non sint ausi. Quamobrem Childerico, ad quem Galliæ regnum hereditario iure spectabat, deposito, Franci Zacharia Rom pont. adnitente Pipinum regem salutãrunt: atque cum eo Carolum, qui pòst Magnus cognomento dictus est, eius filium, in regni spem vnxerunt. quem, cum pòst multa, propria autoritate, quasi iam rex esset, contra patris voluntatem gereret, Pipinus in exilium extra omnes regni sui fines abire iussit. quamobrem ille multis ex Francica nobilitate eum sequẽtibus, se ad Galasiũ, Toleti regem Sarracenum, contulit: eiusq; opera vsus est Galasius in bello, quod tunc contra Marsilium Saragotiæ regem, itidem Sarracenũ, gerebat. quo in bello Corolus, qui regis Toletani copiis omnib. præerat, fortissimè se gessit, multaque damna Marsilio regi intulit. Pòst Galianæ regis sui filiæ amore captus, multa præclara facinora in eius gratiam patrauit: præsertim verò aduersus Bramantem, itidem Sarracenum regem: qui vt Galianam inuitis parentibus coniugem haberet, Toletum oppugnabat: quem Carolus, cum ipse Toletani regis milites tum Francos, tum Sarracenos funderet, ad pugnam instaurandam egressus, sua manu interemit. Tandem verò, ea in hortis siue balneis extra Toleti mœnia ad Tagi fluminis ripam sitis, qui adhuc hodie Galianæ palatia vocantur, rapta, cum illa Bur-

degalam

degalam confugit: vbi ei magnificas ædes ad Toletanæ regiæ ſimilitudinem, quę adhuc extant, & Galianæ palatium & ipſe appellantur, ædificauit. In Syria verò Maruano imperante, multæ ſeditiones inter Sarracenos ſunt obortæ, & plures tyranni facti: vt Tebidus, Dadacus & Zulciminius. quos armis perſecutus Maruanus, Tebidum cepit, atque occidit: Zulciminius autem fractus in Perſidem fugit. At Dadacus meliore fortuna vſus, Maruani filium prælio fudit. Sed non diu ea lętitia frui potuit. breui enim cū ipſo Maruano atroci prælio congreſſus, victus & trucidatus fuit. Horum inter Sarracenos ciuilium bellorum occaſione Conſtantinus Copronymus Syriæ bello illato, magnam eius prouinciæ partem occupârat. Itaque Maruanus Dadaco extincto in Syriam victricia arma conuertit, eámque magna Chriſtianorum cæde recuperauit: eo autem anno paulò antè quàm hæc clades Chriſtianis inferretur, Syria, Palæſtina, Aſia penè vniuerſa, Thracia, Græcia atque Italia cum multis aliis regionibus ingenti terræmotu cōcuſſæ ſunt. Poſt, maiores motus in Perſide ſunt exorti. Aſmulinus enim eius ſectæ, quæ à Mutare, cuius ſuprà mentionem fecimus, Alim Muamede maiorem fuiſſe dicente, fuerat excitata, princeps apud Coraſenos Perſidis populos degens, Catabani cuiuſdam conſilio ſeruos ad dominos ſiue inſidiis ſiue aperta vi interficiendos concitauit: quorum deinde diuitiis ſerui potentes facti, in duas factiones ſunt diuiſi, quorum hæc Caiſmorum, altera Lamonitarum vocabatur. Aſmulinus verò Lamonitarum dux factus, Caiſmos deleuit. Inde in Perſidem cum Lamonitis & Catabano perrexit: cui prouinciæ pro Maruano præerat Iblinus quidam, qui cum centum armatorum millibus ſe Aſmulino oppoſuit. Sed Lamonitæ quamuis inferiores longè numero eſſent, tamē Aſmulini & Catabini, quos ſanctos, & diuino numine plenos exiſtimabant, promiſſis freti, fortiſſimè dimicârunt, adeò vt Iblinum fuderint. Deinde tot victoriis elati, auſi ſunt etiam cum Maruano, qui trecenta mortalium millia in aciem produxerat, prope Zebanum amnem cōfligere: eúmque exercitum fuderunt. Maruanus ponte, ne ſe hoſtes perſequi poſſent, reſciſſo, cum quatuor tantum millibus in Ægyptum transfugit. Quem perſequutus Salinus, Aſmulini filius, in Ægypto cruentiſſimo prælio deleuit, & ſic omne Maruanium genus expulerunt. Cuius familiæ, quæ tot annos regnauerat, reliquiæ, pars in Mauritaniam, vbi Feſſæ regnum conſtituerunt, pars in Hiſpaniam tranſiit. Et ab Aſmulino pòſt orta eſt illa familia, quę hodie in Perſide regnat, Sophiana nuncupata. Mortuo autem Aſmulino & Catabano, Abubalanus cognomento Muamat, Syriæ & Perſidi, Salinus verò Ægypto imperauit: & ſic cœpit Ægypti Sultanorum, qui Cairi ſedem habebant, imperium. ſic enim Ægyptij Califæ appellari voluerunt, quæ vox ſummum principem, & regum regem ſignificat. Eodem tempore in Gallia Pipino defuncto, regnum iniit Carolus eius filius: & in Aſturibus Fafilę ſucceſſit Alphonſus, Pelagij gener, cognomento Catholicus nuncupatus. is in Gallecis lucum, Tui & Aſturicam, in regione campi appellata, quicquid Stola, Carrione, Piſquerra, & Duerro fluminibus includitur: in Caſtulonenſibus, Simancas, Duengas, Amaiam, Caniciares, Aleſanium, Tranſineram, Supuertam, & Carraciam: in Luſitania, Bracham, Viſeum, & Portum, à quo & Gallecis eiuſdē prouinciæ populis Luſitania tota hodie Portogallia appellatur de Sarracenis recepit. Multa loca muniuit, vt Alabam, Ordugniam, in Cantabria, quæ hodie Biſcalia dicitur: in Nauarra, Ruconiam, Sarracecaſium, & alia loca vſque Pyrenæos: quo, regni ſui anno XVIII defuncto, Froila eius filius rex ſalutatus fuit. Hic Sarracenos, qui Gallecos inuaſerant, Omare illorum duce cum quinquaginta millibus cæſo, Ioſepo Cordubæ rege in fugam compulſo, fudit, & Gallecorum regionem totam, hodie Gallicia nūcupatam, ſuo ſubiecit imperio: quo pòſt à ſuis interfecto, Aurelius eius patruelis regnum eſt adeptus: qui nihil memoria dignum contra Sarracenos geſſit. & eo quoq; breui defuncto, Silo eius frater rex creatus fuit: qui vt Gallecos rebellantes debellaret, pacem cum Sarracenis iniit. Regnauit octo annis: eique ſucceſſit anno ſalutis DCCLXXX, Alphonſus II, Froilæ filius, cognomento Caſtus. Huic, Mauręgati eius patrui impulſu, bellum intulerunt Sarraceni. Promiſerat illis Mauręgatus, ſe, ſi illorum opera Legionis

regnum,quod maiores ipsius obtinuerant,adipisceretur,quotannis eis quinquaginta nobiles, & totidem obscuri generis virgines tributi nomine traditurum, multáque alia nefanda. Quamobrem Sarracenis eum summis viribus adiuuantibus, Legionem cum regno toto occupauit, & quinque annis obtinuit: eo autem vita functo, Vermudeces, Vimarani eius fratris filius, successit: qui post duos annos sponte regnum Alphonso restituit. quo audito, Sarraceni ingẽtem exercitum Muga duce contra eũ miserunt: cum quibus ille prope oppidum Lutum siue Ledum, acie congressus, eos, LXXXCIↃ cæsis, & multis captis, fudit. Dum hæc in Hispania geruntur, Sarraceni in Oriente intestinis seditionibus lacerabantur. Abubalano namque in Syria imperante, multi motus in Arabia contra eum à Maruani defuncti factione, Maruanum nondum obiisse dicente, & ideo arma pro eo reducendo capiente, sunt excitati: quibus motibus multi mortales vtrinque ceciderunt, magnæque populationes factæ. Abubalano mortuo successit Abedela frater: quem alius quidam Abedela ad Pontificatum aspirans, insidiis oppressum interemit, ipseq; regnum occupauit: quo imperante, Turcica gens Caucasiis portis egressa, anno videlicet Christianæ salutis circiter octingentesimo, Armeniáque populata, in patriam rediit. & sequenti anno iterum magno numero egressa, cum Sarracenis pugnauit, donec multis vtrinque cæsis, prælium nox diremit. Abedelæ secundo, anno imperij sui XIX defuncto, successit Madi filius: qui, nulla memorabili re gesta, cum annis nouem regnasset, obiit, Mosem filium imperij hæredem relinquens. quo anno secundo defuncto, creatus fuit Califa in eius locum Aaron. Sed vt ad Occidentis res redeamus, Ibnabala Cæsaraugustæ rex, ab cæteris Sarracenorum in Hispania principibus domo pulsus, ad Carolum in Galliã venit, eius opem implorans: & Alphonsi cognomento Casti, Asturum regis, legati eodem tempore ad Carolum venerunt, quò eum ad Hispanicas res capessendas incitarent. Itaque Carolus non modò regni sui viribus collectis, verumetiam externis auxiliis acceptis, inter quos fuerunt quidam Danicæ iuuentutis proceres, quos studium armorum virtutisque ostentandæ perduxerat, cum non quidem ingẽti, sed iusto selectorum militum ac ducum exercitu Pyrenæos per Roncisuallem, nemine impediente transmisit: & Nauarræ fines ingressus, ad Pompelonem, Cantabrorum regni caput, castra posuit. quam vrbem Sarraceni valido præsidio communierant. Et iam antiquis Hispaniæ artibus instructi, vnius prælij fortuna secus ac antè solerent vitata, bellum trahere decreuerant. Carolus, qui interrogarent, num deditionem facere, an belli fortunam experiri mallent, misit. Illi primò tempus ad deliberandum petebant: & diei spacio accepto, id agebant, vt ad reges socios amicósque mittere liceret, vt nisi intra quindecim dies auxilio sibi præstò adessent, sese cum vrbe dederent. E re Francorum esse, vrbe integra à clade belli potiri: potius quàm à victore per iram, & à victo per desperationem euersa: neque hac mora Francum vllius rei iacturam facere. Vrbem enim, vt omnes terrores ingruant, vim eo dierum numero laturam. Et Francos, si occurrentibus suis pugna superiores sint, portarum claustra solo verborum imperio refracturos: idque ex eorum dignitate ac vtrorumque commodo esse, ne insontes vrbes ad quas liberandas Franci se venisse dicerent, exempla belli vtrinq; paterentur, quæ oppugnationis necessitas insolentiáque afferat. Carolus ea à barbaris, vt bellum magno impetu cœptum, mora languesceret consenescerétque, callidè dici animaduertens, hostibus ad belli apparatum tempus dare noluit: quin statim bellum denunciat, iubétque militem, quę oppugnandis circumsedendísque vrbibus vsui sunt, parare. Oppugnatio per multos dies atrox fuit. hostis assiduus aderat: crebra eruptione, non Arabico, sed Hispanico more, ferro ignéque armatus, velox subitúsque omne tempus, omnem locum conatúmque varia ludificatione intutum, infidum, infestúmque faciens: prius circumfusus, quàm venturum quis suspicari posset: prius cæde incendióve facto ex oculis se proripiens, quàm contra eundi spacium daretur. Ad portas castra cum primò tumultum trepidationémque iniecit: deinde oppositis aduersus vrbis portas stationibus, ne tunc quidẽ arceri poterat, quin pari audacia impetũ faceret: nec prius quàm perfectis operibus, circum-

uallatúsque,

uallatúsque claudi mœnibus potuit. Tunc quoque præstanter non virtutem muris, sed muros virtute defendebant. Dúmque obsidio diutius spe trahitur, cæteri barbari reges, non quidem cum exercitu ad pugnandum iusto prælio aderant: sed per occasiones notis tramitibus leuis armaturæ equites submittebant, qui sæpius noctu quàm interdiu castra perturbarent. Quædam etiam manus cæsis custodibus, perruptísq; munitionibus in vrbem penetrans, spe obsessos repleuit. Carolus animo infracto suos adhortatur, admonet tolerantia vigilantiáque vincendum esse. Virtutem bellicam non acie tantum clarescere, sed longe magis optima disciplina, quæ insomnes maxima ex parte noctes, dies laboribus plenos, libidinum & luxus abstinentiam, perpetuúmq; cum mora temporis tædióq; certamen poscerent. Claustra illa quibus se impij tutarentur, vel vi refringenda, vel illos pertinacia edomandos. Quamobrem signa inferrent, hostem inclusum respirare non sinerent. Et in ancipitia munimenta facta, quibus castra à tergo, à fronte, à lateribus custodirentur. Mox, qui vt antè excurrebant coërciti, & fœdè pulsi, & res ad iustam obsidionem redacta. Pòst oppugnatio atrocior cœpta: quæ dies noctésque summa in aliis post alios in orbem succedentibus, omni operum, machinarum, tormentorum, scalarum, pontium, artis virtutísq; genere continuabatur, adeò vt tandem hostis consternatus, per æqua, per iniqua scandentium Francorum virtute deiectus, cæsúsve sit. In vrbe quoque magna strages edita, donec præconium à rege circummissum est, vt inermi parceretur. Tum Sarraceni ad eam diem assueti potius mori, quàm dum arma suppeterent, se dedere, abiectis telis dextras inermes supplicésq; tendebant. Pòst mœnia diruta, & vrbs direpta. Inde Cæsaraugustam, Tarraconensis prouinciæ caput perrectum: quæ hoc exempla territa, statim in conditiones descendit, vt concionatores admitterent, Ibnabalam reciperent, regémq; agnoscerent. Pòst in Gottalaniam transiit, duósque eius prouinciæ reges qui Ibnabalam domo eiecisse insimulabantur, Abutaurum & Deuisfezum in castra venire cum donis coëgit, & vectigal pacisci: omnémque Hispaniam nominis sui terrore compleuit. Sed vbi in Galliam reuersus est, sunt qui addant, venisse ex Africa Aigolandum quendam à summo Africanorum Sarracenorum satrape, qui Marroci sedem habebat, cum ingentibus copiis, ad ea quæ Carolus in Hispaniis ceperat, recuperanda missum, cum quo fuerint multi reguli & viri fortissimi: cum eóque Carolum ad Baionam, Vasconiæ vrbem, post aliquot singularia certamina ex prouocatione facta, cruento prælio dimicasse: in quo quadringenta Christiani nominis hominum millia ceciderint, & in his Milo Anglerius, Rolandi pater, vir fortissimus, qui vniuersum ductabat exercitum: restitutam tamen rem fuisse Caroli virtute, peropportunóque auxiliarium copiarum aduentu, quę tunc ex Italia Gallis adfuêre, adeò vt Aigolandus occultè fugam præoccupauerit. Sed mox reparato exercitu rursus Carolum in Vasconiam exciuisse: Gennúmque vrbem, quæ nunc Baiona dicitur, quam alij Aquas Augustas olim appellatam volunt septem mensium obsidione fatigatam: tandémque recedentem, in Sanctonum finibus Aigolandum ingenti prælio victum, in Hispaniam refugisse. Carolum verò, vt aliquando Hispanicum bellum ad exitum perduceret, maiore quàm vnquam antea exercitu contracto, Hispaniam ingressum, Aigolandum post multa leuiora certamina ingenti prælio victum interemisse: indéque vniuersam penè Hispaniam perdomuisse: multáque his fabulosa inserunt, quæ nos ideo prætermittimus. Sed si quis ea videre cupit, Turpinum Remensem antistitem legat, penes quem & horum quæ hic adiecimus, fidem esse volumus, non enim in iis quos sequimur maiore fide dignis scriptoribus, Carolum plusquam semel arma in Hispaniam promouisse, nec vnquam eo regnante Sarracenos in Galliam transiuisse, inuenimus. Verùm illud satis constat, cum bellum in Hispania contra Sarracenos gereret, Alphonsum Asturiæ regem rerum ab eo gestarum, virtutísque fama motum, vt suis popularibus consuleret, quia liberis carebat, & maioribus quàm eius regionis viribus ad perpetua cum Sarracenis bella sustinenda opus esse videbat, clàm ei per legatos, si modo sibi aduersus Cordubæ regem, cum quo tunc bellum gerebat, opem ferret, Legionis regnum obtulisse.

Ea conditione accepta, Carolum ei auxilia misisse. Quod vbi regni proceres audiuerunt, gentis finitimæ (vt plerunque solet) odio id ægrè ferentes, regem coegerunt à fœdere discedere: nec eo contenti, Carolum, vbi se derisum videret, hanc iniuriam vlturum metuentes, de eo cum vniuerso exercitu delendo cogitârunt. Itaque omnibus Asturum Cantabrorúmque populis ad arma coactis, & Sarracenorum quoq; auxiliis accitis, angustias mõtium qua in Hispaniam per Roncisuallem itur, clàm occupârunt (iam enim Carolus in Galliam reuersus erat, & iterum in Hispaniam, vt eam iniuriam vlcisceretur, contendebat.) Erat tunc Caroli exercitus ad Pyrenæorum radices, quæ in Galliam vergunt, in valle quæ adhuc Hospita nuncupatur: cum nunciatum est, Hispanos per vallem Caroli hodie appellatam, quæ planior est, contrà aduentare. Itaque exercitu Galeronis, siue Gani (vt aiunt) quem hostes pecunia corruperant fraudulento consilio, in tres partes distracto, Rolandum (quem nostri poëtæ Orlandum vocant) suum ex sorore nepotem, Britanniæ citerioris ducem, virum fortissimum, primo agmini præfecit, in eóque omnes Galliæ proceres & summos viros: in secundo innumeros nobiles, equitésque collocauit: ipse cum tertio agmine, in quo erat Galero, in castris substitit: & Rolandum cum primo agmine præire iussit: Hispanicus exercitus in Roncisualle venientes expectabat. In quem vbi primum agmen incidit, sic ab eis acceptum fuit (locum enim illi superiorem, & angustias omnes occupârunt) vt peius habuerint qui illorum manus effugerunt, quàm qui pugnando cadebant (hi enim citò moriebantur) illi per saxa de summis scopulis ruentes, membris fractis in summis cruciatibus aliquandiu versabantur. Et sic Rolandus & alij omnes, vt ex ascensu montis & armorum pondere fessi erant, facilè sunt trucidati: eodémque modo actum est de secundo agmine, in quo erant Galliæ XII viri, quos Pares siue Patres vocant, vt penes quos regis creandi, & omnium grauissimarum rerũm potestas est: Carolo semper in valle, quæ nunc ob id Caroli vocatur, in quam ex Hospita castra mouerant, hærente. qui vbi tantam cladem cognouit, in Galliam summa celeritate se recepit: sed Alphonsus per legatos hæc omnia se inuito & inscio facta excusauit, cum quo amicitia fœdúsque renouatum est. Inde ad pacis cogitationem conuersus, quam toto terrarum orbi nitebatur parare legatos in Ægyptum Syriámque misit ad amicitiam cum imp'orum satrapis contrahendam, quo illi melius Christianos sub imperio suo degentes haberent. quod impetratum est, adeò vt Aaron summus Persarum & Arabum Calyfa, qui cum CCC hominum millibus Asiæ prouincias, quæ adhuc Constantinopolitano parebant imperio paulo antè tumultuose adortus, Nicephorum ad pacem auro, quòd singulis annis penderet, redimendam compulerat: deinceps non modò Christianos non infestauerit, verùm etiam egenis, qui sub eius erant imperio, magnam quotannis pecuniæ vim largiretur: idémque legatos cũ muneribus ad Carolum misit. Nam cum Aaron Tyana, vbi ædem Muamedi dicauit, aliisque innumeris oppidis captis, Rom. imperium multis cladibus afflixisset: Nicephorus rebus suis iam desperatis, ad Arabem literas pacis impetrandæ causa in hanc sententiam scripsit: Cur tam iniustè, nulla à me iniuria lacessitus, mihi bellum inferas, aut quo impulsore id facias, non video: nisi fortasse, quod cædibus & rapina gaudes. Nam te id religionis causa facere, causari non potes, cum Muamedes, vates tuus, Christianos omnes fratrum loco habere vos iubeat. An existimas Deum Opt. Max. omnium rerum opificem, & mortalium curam gerentem, quos ipse ad imaginem sui creauit, sanguine iniustè fuso delectari? sed neque huiusmodi piacula illi exhibere vos iussit Muamedes vester. An fortasse argenti, auri, aliarúmque rerum inopia compulsus, alienas prouincias inuadis? atqui cum earum rerum nos egentes simus, preciosissima quæque, & paratu difficilia apud vos in magna copia sunt. Quin si qua re nostra opus habes, amicè petis: & nos eam tibi illicò amanter exhibebimus. Si genus humanum, & mortalium contemnis arma: scito Deum esse memorem fandi atque nefandi. Cum enim mortales simus, non decet nos immortalia odia inter nos ipsos exercere: in eóque dæmonem imitari, qui perpetuum gerit cum genere humano bellum.

His literis

His literis,quibus & dona quædam erant adiecta,placatus Aaron,& ipse multa munera Nicephoro misit: & pacem ea lege iniit, vt Imperator ipsi quotannis aureorum nummûm triginta millia, & terna pro suo, totidemque pro filij capite penderet, néve oppida à Sarracenis vastata instauraret. Sed leuior fuit apud Græcum quam apud barbarum fides. Nicephorus enim Sarracenis digressis, statim ea instaurauit atque muniit: quo cognito, Aaron exercitu rursus in Græciã misso,Thebas cepit: missaq; in Cyprum classe,templa euertit,& Cyprios expulit. Aarone autem cum annis XXIII regnasset defuncto, Muamates eius filius pontificatum est adeptus: qui cum Haldale fratre hostiliter congressus, vbi suarum partium fortunam inclinare vidit,conuênit vt ambo eodem titulo æquoque iure imperarent. inde quatuor tyranni sunt creati: quorum vnus Hispaniam, alter Africam,tertius Ægyptum, quartus Syriam & Palæstinam obtineret. Vnde Sarracenorum potentia inclinare cœpit, & aliquandiu Orientis res à Sarracenis pacatæ fuerunt. Syriæ autem Calyfa Muamates non iam Damasci sedem habere voluit: sed nouam vrbem prope veteris Babylonis ruinas, Bagadat nomine,condidit, in eaque pontificiam regiamque Syriæ & Orientis sedem collocauit. ei enim & Persæ adhuc parebant. Ægyptius Cairi,quam vrbem prope Memphis ruinas conditã, suprà ostendimus: sed post regia sede in ea collocata, ita creuit, vt hodie inter maximas totius orbis terrarum vrbes numeretur: & Africæ sedes Cairoani, quæ vrbs in Africa circiter C. M. P. ab Tunete, & XXXVI a mari, Ottmeno imperãte cõdita fuerat, ab Elaglebo fuit collocata. Hispania verò etsi pluribus regibus parêret,omnes tamen Marroci pontificem agnoscebant: quæ vrbs in Mauritania Tingitana est. Qui verò Assyriæ imperabat,Calyfa vocabatur: quæ vox successorem significat,quòd is Muamedis successorem se esse gloriaretur. Ægyptius pontifex,Sultanus est appellatus. Caiorani verò,& ipse Calyfa se vocabat: & Marroci antiqua eius vrbis conditoris appellatione Miralmuminum. Sub his & alia minora regna etiam in Africa sunt exorta: vt Tunetis, Tripolis, Algeriæ, Orani, Fessæ, & innumera alia his minora. vt enim quisque vrbi aut prouinciæ alicui præerat, sic se eius regem appellabat, idque quasi hæreditario iure possessum, posteris suis per manus tradebat. Sed tamen omnes hi reges aliquem ex his pontificibus agnoscebant: & vt quisque huic aut illi adhærebat, sic bellum cum alterius factionis regibus gerebat: quæ discordiæ & seditiones,tyrannorumque multitudo ita Sarracenorum vires attriuerunt, vt post hos quos enumerauimus pontifices paulatim ita decreuerint,vt tandem Turcis penè omne Sarracenorum nomen cesserit: & res illorum hoc tempore ita propter summæ regiæ perturbationem obscuræ fuerunt,vt nulla certa imperij illorum successione apud ipsorum quoque scriptores haberi possit. Nos tamen temporum ordine seruato, ea quæ de rebus ab illis gestis à variis scriptoribus memoriæ tradita sunt, quàm breuissimè cõplectemur. Hoc igitur Muamate Aaronis filio in Assyria,& Michaele Nicephori genero, qui Leonem Armenium expulerat, Byzantij imperante,Thomas quidam motus excitauit, de quo duplex fama erat. Aliqui enim eum obscuris atq; pauperibus maioribus ortum ferunt,iisque barbaris,diuque in paupertate vixisse,victum labore manuum suarum, nonnunquam etiam seruilibus ministeriis parantem. Deinde patria relicta Constantinopolim venisse,ibique apud quendam Senatorij ordinis seruientem,eò libidinis ac fœditatis progressum, vt heri quoque lectum polluere ausus sit. Quare detecta,cum ignominiam non ferret,ac pœnas talia facinora aggressis constitutas metueret, ad Sarracenos profugisse. Quibus cum se satis probasset,continuisq; & diuturnis experimentis fidem confirmasset (annos enim vigintiquinque apud ipsos egerat) sancta Christianorum eiurata religione,& Muamedicã impietatem amplexum, ab iis bellicæ cuidam phalangi præfectum, contráque Christianos missum fuisse, pollicitum se Romanum imperium in illorum potestatem redacturum. Ac ne Christiani fraudem struenti, vt alienigenæ fidem non haberent,Constantinum sese nominasse,Irenes filium quem ob ingenij morúmq; peruersitatem mater iampridem oculis imperióque orbauerat, mórsque iam tum viuis exemerat. Alij hunc Thomam quondam affirmant in familia

Bardanij, cognomento Turci, vna cum Leone & Michaele fuisse: quum is Philomelij degens, ac de imperio sibi vindicando cogitans, consilium suum monacho cuidam futurorum perito, Leone Armeno conscio aperuit. Cui monachus prędixit, si imperium affectaret, & oculis suis & opibus spoliatum iri: sed ex iis qui equum ipsi adduxissent, primum & secundum diademate potituros, tertium imperatorem declaratum iri: sed quod cupiuerat, minimè consecutum, statim periturum. Primum autem fuisse Leonem, secundum Michaëlem, tertium hunc Thomam, quem Leo Imperator fœderatorum cohorti præposuerit: eum ergo Thomam cum interfectum à Michaele Leonem cognouisset, cùm vt eius, cuius beneficentia vsus erat, necem vlcisceretur, tum vt suum animum expleret (nam inde ab adolescentia ei cum Michaele inimicitiæ intercesserant) arma contra Michaelem sumsisse: & primo Orientales copias, apud quas degebat, concitasse. Sic igitur exercitum minimè imbellem aut exiguum, sed grandem fortémque collegit, ex Sarracenis, Mauris, Indis, Medis, Persis, Assyriis, Armenis, Chaldæis, Iberis, Zigis, Cabiris atque aliis gentibus. Quorum alij coacti castra eius sequebantur: alij beneuolentia ducti, nulli spe prædę: quidam etiam odio in Michaelem, qui ob morum peruersitatem omnibus erat inuisus. Nam Thomas etsi alterum pedem mutilum haberet, ac genere barbarus esset: erat tamen ob caniciem venerandus, & in congressu comis & facilis (quæ gratissima sunt militari multitudini) nec cuiquam corporis robore posterior habebatur. Is ergo Sarracenorum, quibus Constantinopolitanum imperiũ promiserat, viribus & magnis etiam Christianorum copiis sibi adiunctis, Orientem occupauit: & publicorũ vectigalium exactoribus in suam redactis potestatẽ, animi magnitudine & secunda vsus fortuna, ex paruo magnus, ex imbecillo potens factus est: à quo tota Asia vastationibus populationibúsque miserè afflicta fuit: vrbibus aliis Thomæ se ob metum adiungentibus, aliis quòd fidem imperatori seruarent, direptis, atque incolis in seruitutem actis: adeò vt soli Opsiciani & Armeni, quibus Catacellas & Olbianus pro Imperatore præerant in tota Asia in fide manserint. Quibus vt gratiam referret Imperator publicum vectigal quod Fumarium dicebatur, remisit. Quo rerum successu elatus Thomas, Imperatoris nomen sibi arrogauit: estque Antiochiæ, ab eius temporis Antiochenæ ecclesiæ pastore Iobo diademate ornatus: quem ipse vicissim in filium adoptatum, imperij socium adiutorémque adsciuit, & nomine mutato se Constantinum Irenes filium appellauit. Quibus cognitis Imperator se quoque ad bellum parauit, & copias nequaquam certamini pares cum duce emisit: quas Thomas penitùs fudit. Inde Romana classe in suam potestatem redacta, cum LXXX hominum millibus Abydum, omnia in itinere populatus, inque cinerem redactis non humilibus modò sed & loco optimo sitis, ac expugnatu difficillimis oppidis petiit: inde nocte tenebrosissima in Thraciam traiecit, vbi multi quotidie ad eum ex Cæsaris militibus transibant. quin & Imperatoris copias, quibus Olbianus & Catacella duces præerant, nec non & instructissimam aliam classem aduersus se comparatam, instar torrentis alto monte decurrentis irruens, terra marique profligauit. Vrbem ipsam terrestribus simul ac naualibus copiis ferrea catena, qua portus claudebatur, perrupta oppugnauit. Sed cum nihil efficeret, ad obsidionem conuersus, castris optimè communitis, exercitus partem ad Euxini oppida subigenda misit. Deinde rursus oppugnationem vrbis summis viribus adortus, cum omnes eius conatus propugnatorum virtus irritos redderet, & classem eius grauis in mari tempestas oborta dissipasset, exercitum in Asiam in hyberna reduxit. Pòst, ineunte vere ad eãdem oppugnationẽ rediit: sed Michael iam & maritimis & terrestribus copiis melius quàm antea instructus, eius militum animis variis artibus prius ad defectionem frustra sollicitatis: tandem omnibus portis repentè copias in eum nihil tale suspicãtem effundens, exercitum eius fudit, classem quoque eo tempore paruo labore diffregit. Quibus rebus permotus Gregorius quidam, Leonis Imperatoris consobrinus, qui cum magna militum manu Thomæ aderat, vt in gratiam Cæsaris rediret, suos milites statim à reliquis separauit, Thomam à tergo adoriturus. Quod videns Thomas, nihil animo deiectus,

iectus, castris quę optimè munita erant, ab vrbe non dimotis, cum parte exercitus Gregorium est adortus, prælioque fusum, & in fuga comprehensum necauit. Inde celeriter in castra reuersus, literis in omnes partes missis, falso se aduersus Michaelem acie superiorem fuisse iactauit: classemque quæ Beryti erat, nauibus tum longis, tum onerariis CCCL constantem, statim veluti rem mari continuò gesturis ad se vocat. Qua re cognita, Romanæ classis præfecti eam noctu in statione adorti classiariis subito impetu perterritis multas ceperunt, quasdam artificioso igni combusserunt: paucis admodum, quæ celeri fuga auectæ, se cum terrestribus copiis coniunxerunt, periculo ereptis. Dum terrestres copiæ leuioribus præliis circa Byzantium varia vtrinque fortuna sæpius dimicant, huius belli fama per totum terrarum orbem diuulgata: Mortago Bulgarorum rex, etsi Imperator (vt erat natura sordidissimus) pecuniæ parcens opem ab ipso oblatam gratiis actis sibi minimè necessariam esse dixisset, tum quòd belli & prædæ cupidus esset, tum verò vt fœdus tricennale cum Leone Armeno pactum confirmaret: cõtra Thomam expeditionem suscepit, eumq; in loco cui Cedocto nomen erat, haud procul Byzantio, sibi obuiam cum omnibus copiis progressum, prælio vicit, magnaque strage edita cum multis captiuis & spoliis amplissimis domum rediit. Qua clade audita, Thomæ classis quam ad obsidionem reliquerat, tota ad Imperatorem defecit. Thomas exercitus sui reliquiis collectis, in campum quendam Diabasis appellatum, aliquot ab vrbe stadiis remotum verùm excursionibus aptum, & ob aquarum copiam commodum, copias traducit: ibique castra locat: atque inde crebris excursionibus suburbana ędificia, regio luxu facta, omnia vastauit. Imperator autem copiis auctis tripartitò eum adortus, exercitum ipsius (cui ipse, vt prius simulata fuga, pòst repentè se in hostem conuerterent, mandauerat) in veram fugam compulit, ex quo etiam multi ad Imperatorem transfugerunt. Thomas cum paucis Adrianopolim incolumis peruenit: & Anastasius eius adoptiuus filius, ex fuga Byziæ castellum occupauit. Quos statim persequutus Imperator, primò Adrianopolim, vbi Thomas erat, petiit: & ne vicini Scythæ machinarum, quibus vrbes oppugnantur, noticiam consequerentur, vrbem annonæ penuria ad deditionem compellere statuit: eamque vallo ac fossa cinctam acriter obsedit, adeò vt obsessi cibarijs omnibus consumptis, occultè cum Michaele collocuti pactique delictorum veniam, Thomam arreptum, ipsi tradiderint. Cui, more antiquo Imperatorum vsu recepto, primò eius in pauimento prostrati ceruicem pedibus contudit: tum pedibus manibúsque mutilatum, & asino impositum, nihilque aliud vociferantem, quàm (Miserere mei, qui verus es rex) per castra circumduci iussit. Cumq; is ab Imperatore interrogatus, aliquos ex ipsius familiaribus quasi occulta secum consilia agitassent, accusare vellet, Imperator ab Exambulio patricio, inimicis amicos accusantibus fidem non adhibendam, monitus, eum audire noluit: qui tandem lentis confectus suppliciis, animam emisit. Et qui Byziam confugerant, Adrianopolitanos imitati, Anastasium Imperatori vinctum tradiderunt: qui & ipse supplicio affectus est. Hic finis fuit Thomæ, cuius res gestas nos idcirco minimè prætereundas duximus, quamuis ipse non fuerit Sarracenus: quia ea omnia Sarracenorum opibus & potentia subnixus gessit, adeò vt Sarracenorum Imperator fuisse videri possit. Dum hæc in Oriente geruntur, Sarraceni qui in Hispania degebant, per legatos à Ramiro Asturum rege, qui Alphonso Casto successerat, tributum ipsis à Mauregato rege pendi solitũ arrogantissimè petierunt: quibus Ramirus ex senatus sui decreto se mori centies, quàm id facere, malle respondit, statimq; cum exercitu ad fines illorũ populandos Nagieram vsq; est progressus. sed cum Sarraceni cruento prœlio ad Alueldam cum eo, quod mox diremerat, cõmisso superiores extitissent: Ramirus noctu cum suis in collem quendam prope Clauigium secessit, ibiq; sequẽtis diei fortunam valde timens, cũ exercitu vniuerso totã ferè noctem illam preces ad Deum fundens insomnẽ egit. Tunc aiunt, D. Iacobum apostolum (si credere fas est) se illi videndum præbuisse, suamq; ipsi opem pollicitũ: & cum sequenti die Ramirus hac diuina ope fretus in aciẽ prodiisset, eundem D. Iacobum equo albo insidentem, & rubram crucem gestantem, in

pugna viſum fuiſſe: eoque prȩlio ſeptuaginta Sarracenorum millia cæſa fuiſſe tradunt. Tunc Albaidæ, Clauigium, Calagurra, multaque alia eius tractus oppida Chriſtianis ceſſerunt: in cuius victoriæ præſentis numinis auxilio partę memoriã, D. Iacobi equeſtris ordo à rege fuit inſtitutus. Et Sarraceni, qui occiduum Hiſpaniæ ſinum, vbi Valentia eſt, accolebant, multitudine hominum aucti, & terram quæ ipſis obtigerat, parum fertilem & opulentam eſſe animaduertentes, à ſummo principe ſuo, qui Marroci in Mauritania Tingitana ſedem habebat, Amerummem appellato, vt coloniam eos aliò deducere pateretur, petierunt: quos princeps rerum nouarum cupidus, longarum nauium claſſe confeſtim inſtructa, ſimul vt eorum cupiditatem alienis opibus expleret, ac num aliqua ferax inſula eſſet, in quam commodè ſuorum poſſet deducere coloniam exploraret, ad inſulas Orientis miſit. ijque in Corſicam venerunt: ſed ab Abdemaro, quem Pipinus Caroli Magni filius, Italiæ rex, cum Genuenſi claſſe contra eos miſit, repulſi ſunt. qua in pugna ipſe Abdemarus fortiſſimè dimicans obiit. Inde ad Græciæ inſulas, quæ tunc claſſe, quæ ad eas cuſtodiendas deſtinata erat, Thomam adiuuante prȩſidio, ſpoliatæ erant, nauigantes, omnes penè diripuerunt. cumque inter cæteras Creta eis bonitate atque amœnitate præſtare videretur, nauibus omni præda oneratis domum redierunt: & ſequenti vere nauibus XL viris militaribus oneratis, Cretam rectà ſecundo vento repetierunt: copiiſque ad promontorium cui Carax exinde nomen eſt inditum, expoſitis, ignem nauibus iniecerunt. & caſtra ſtatim ibidem vallo ac foſſa munierunt, eique loco Caudax nomen impoſuerunt. Aduerſus quos Imperator ſtatim Photinum Orientis præfectum, & Damianum cum copiis miſit: ſed Damiano in pugna, quam cum eis commiſit, mortuo, reliqui fuga ſibi conſuluerunt. Tum monachus quidam ex inſulæ montibus ad eos venit, docuitque, locum quem delegerant, minimè aptum eſſe vrbi condendæ: & ſimul locum Candaces appellatum eis oſtendit, omnibus rebus longè commodiorem. Vbi illi vrbem, quæ veluti totius inſulæ arx eſſet, condiderunt, Candia nuncupatam: ex eaque in totam inſulam incurſiones faciebant, adeò vt breui omnes penè inſulæ totius vrbis incolis in ſeruitutem actis occupârint. Quo tempore Cyrillus Gortynius epiſcopus, Chriſtum ſeruatorem inter cruciatus moriens teſtatus eſt. Et alia eiuſdem gentis claſſis eodem ferè tempore, iterum Sardiniam & Corſicam occupare eſt conata, quam Carolus Pipini frater, Bucharedi comitis ductu quinque Sarracenorum millibus cæſis circa Sardiniam vicit: ac pòſt etiam Corſica expulit. Pipino cum Venetis bellum gerente, Sarraceni qui in Hiſpania erant, Chriſtianorum diſſidia in ſuum commodum vertentes, Sardiniam vnde non multo prius fuerant repulſi, cum inſigni cæde ſuorum, ex improuiſo inuadunt: indeque ſubitò auerſi, Corſicam petunt: Aleriaque vrbe direpta, præter eius antiſtitem & ſenes admodum paucos, cæteram multitudinem inde auehunt. Michael verò imperator aliam claſſem Cratero, Cybiretarum præfecto duce, contra Sarracenos Cretam obtinentes, miſit: qui cum LXX ſuis, & innumeris reliquarum inſularum biremibus ferox admodum in Cretam appulit: vbi Sarracenos inuenit, nequaquam pugnam ſubterfugientes. quamobrem prima luce ad meridiem vſque acerrimè vtrinque, & dubio euentu pugnatum eſt. ſed tandem die ad veſperam vergente, Sarraceni ſuperati, fugæ ſe mandarunt: quorum multi in pugna occiſi ſunt, plures abiectis armis capti: adeò vt etiam vrbs illorum eadem die, niſi nox ingruens obſtitiſſet, capi poſſe videretur. Quæ quidem nox & victoria, Græcis exitium attulit. dum enim victoria tumidi, vt qui ſuperſtites paucos ſe poſtridie nullo negocio in ſuam poteſtatem redacturos ſperarent, perinde ac ſi non in hoſtico, ſed domi ſuæ agerent, potationibus & luxuriæ ſe dedunt: neque excubiarum aut vllius ſalutaris rei curam habent, de ſolo ſomno ac quiete & ſocordia facile omnia euertente cogitantes, à Sarracenis, qui id animaduerterunt, ſomno vinoque ſepulti media nocte opprimuntur, & ſic omnes ne nuncio quidem ſuperſtite cæſi ſunt. Solus dux Craterus, mercatorio vſus nauigio, ſaluti ſuæ conſulere eſt conatus: quem Sarracenorum dux diu multumque inter cadauera & captiuos quæſitum, cum non inueniret, ac fuga elapſum perciperet, miſit qui

eum

eum persequerentur: à quibus in Co insula comprehensus, in crucem actus fuit. Quibus auditis Michael Orypham, virum prudentē, & rei militaris peritissimum, prætorianam legionem (quæ tum, quòd quadraginta aurei nummi singulis illius legionis militibus penderentur, Quadragenaria vocabatur) colligere iussit. is Sarracenos passim per alias insulas prędatum excurrentes, partim insidiis locatis, partim aperto marte congressus interemit: & eorum qui Cretam obtinebant, immodicam audaciam repressit, atque inhibuit. Hoc ipso tempore Euphemius, turmæ cuiusdam in Sicilia dux, virginis, quæ à tenera ætate castitatem vouerat, seq; sacris dicârat, impotenti amore captus, eam Imperatoris sui (qui & ipse huiusmodi facinus perpetrârat) exemplo, è sacris ædibus raptam, ad se inuitam traduxit. Cumq; eius fratres eum apud Imperatorem accusassent, Imperator Siciliæ præfecto mandauit, vt (siquidem hoc crimen verum esset) Euphemio nasum præcideret. Quod sentiens Euphemius, coniuratione cum iis quibus præerat, & aliarum turmarum doctoribus facta, ad Ambulacum Mauritaniæ Sarracenorum pontificem transfugit: eique promittit, se, modò ab ipso Imperator Romanorum declaretur: omnem ipsi Siciliam subiecturum, magnumque tributum soluturum: qua conditione accepta Ambulacus, eum Imperatoris Romani titulo insignitum, magno exercitu instruit, eiusque opera Sicilia potitur: sed Euphemius, dum Siciliam Imperatoris habitu obit, Syracusis fuit interfectus. Inde Sarraceni Calabriam quoque, & plerasque alias Italiæ partes incursionibus populationibúsque infestare cœperunt: quorum vna classis circa Sardiniam deleta fuit, altera (nam duæ emissæ erant) fugienti similis domum est reuersa. quod fecit, vt Ambulacus cum Galliæ rege pacem inierit. Sed paulo pòst Bernardo, Pipini filio, in Italia regnante, Sarraceni Ambulaci pacem aspernati, Corsicam inuasere: quos præda onustos alto mari adeptus Ermengarius, qui pro Italiæ rege ex Balearibus insulis, maiorem præsidio tenebat, primo congressu fudit: atque aliquot nauibus ex ea classe interceptis, quingenti Christiani captiui seruati sunt. Nec tamen ob eam cladem Sarraceni quieuere, quin classe circumacta Italiam petunt, Centumcellas in Hetruriæ ora (quod oppidum nunc Ciuitas vetus appellatur) repentino impetu adorti occupant: captum oppidum diripiunt, ferróque & igni vastant. Narbonensem inde oram populati Sardiniam inuadunt, prædæque & populationis omnia complent. In quos licentius vagantes Ermengarius, iterum cum insulanorum manu repentè impetum fecit, fusosque cum multa cæde ad mare egit: vbi dum naues tumultuariè ascendunt, ad hostium satietatem cæduntur: atque ita grauiter affecti, magnaque parte classis amissa, in Africam traiecêre. Et qui in Sicilia erant, Venetos in Constantinopolitani imperatoris (cui insula illa tunc subiecta erat) gratiam classem contra se mittere audientes. præda onusti abiuerunt. Posthæc Haido, quem Ludouicus Galliæ rex & imperator, Aquitaniæ præfecerat, Ausonia vrbe dolo capta atque direpta, Sarracenorum Hispanorum auxilia accersiuerat: quibus fretus, tum Aquitaniam, tum citeriorem Hispaniam latè populabatur. quem conatum Ludouicus breui repressit: & Alphonsus cognomento Magnus, Asturiæ atq; Legionis rex, duos Toletani regis Sarraceni exercitus ad Legionem vrbem oppugnandam missos, prope Duerum amnem fudit: Coimbram præterea, quam Sarraceni oppugnabant, obsidione liberauit. Et cū Zamorram vrbē conderet, eosdem Sarracenos Alchama vate, suo duce, cōtra se venientes, multis ex ipsis, ac inter cæteros etiā Alchama cæsis, vicit: & Aboalinum magni apud eos nominis ducem cepit, qui se ducentis aureorum nummûm millibus redemit, qua pecunia rex D. Iacobi templum, ꝙ Ouiedi est, ex marmore, cum antea latericium esset, ædificauit. At in Italia Sarraceni Panormū, clarissimam Siciliȩ vrbem, ceperāt: nec quisquam erat qui eorū conatibus obuiam iret, nisi Bonifacius Corsicȩ comes, cum Beatrio fratre, & paucis Hetruriæ comitib. classe in Africam delatus: ac inter Vticam & Carthaginem in terram egressus, quatuor prælijs, tot hostes cæcidisset, vt non secus ac Pœni olim Annibalem ab Italia, sic Sarraceni tunc suos ex Sicilia reuocare fuerint coacti: ita Sicilia pestifero bello liberata est. Bonifacius verò ex Africa victricem classem reduxit, multa præda onustam.

Sed non diu Sarraceni quieuerunt: quin mox maiore quàm vnquam antea vi Italiam adorti, Centumcellas iterũ capiunt. inde citato agmine Romam petunt, Vaticanum nullis adhuc munitionibus septum facilè adepti: templumq; D. Petri direptum, argenteisque quas habebat ingentis precij foribus sublatis, ferro & igni prophanant: ibiq; plures dies commorati, cum vrbem oppugnare in animo haberent, audito auxiliarium ex Cisalpina Gallia copiarum aduentu, recedentes, inter Appiam & Latinam vias suburbana omnia vastant. Pauli basilicam Ostiensi via spoliant, atque igni iniecto magna ex parte absumunt. Inde in Latinam viam flectentes, populabundi in Cassinensem vsque saltum excurrunt. Cassinense fanum opulentissimum sacra veste & donariis spoliant, magnaque ex parte excindunt. Hinc dextra Liris ripa ad mare instar rapidæ procellæ sese effundunt: ibique præda nauibus suis, quæ illic præsto fuère, imposita, in altum abiuêre: & in Hispania Abdurahmenus Cordubæ rex, Cantabriæ fines ingressus, cum Ordonij Legionis & Gartiæ, Ignigenij Cantabriæ, regum copiis, ferocissimè per diem integrum pugnauit, & fortuna in neutram partem inclinante, recessit. Ordonius verò fines eius ingressus, Cintiliam oppidum, quod nunc Santiliana vocatur, euertit. At in Asia Impraelus Syriæ Calyfa, qui Muamati successerat, cũ maximis copiis in Imperij Romani fines irrupit. Aduersus quem profectus Theophilus Imperator, Theophobi & Manuelis præstantissimorum ducum virtute fretus, acie dimicare statuit: quo aduentante Impraelus siue arrogantia ductus, siue quod prælij fortunam timeret, Abuzachare quodam cum LXXX armatorum millibus ad pugnam relicto, cum parte exercitus discessit. Commisso autẽ prelio, quum Sarraceni vincerent, Theophilus cum prætoria cohorte & duobus Persarũ millibus & Theophobo in collem quendam euasit: quo ab Sarracenis cincto, illis summo conatu Rom. Imperatorem capere nitentibus, his autem Imperatorem suum fortissimè propugnantibus, in vesperam vsq; acriter est dimicatũ. Sed vbi nox venit, Theophobus Sarracenos arte delusit. Mandauit enim militibus, vt quantũ possent, streperent ac conclamarent, sonitumq; cithararum & chordarũ tubarumq; ederent, quasi subsidium ipsis aliunde aduentaret. Quod suspicantes Sarraceni, ne ab hostibus circumdarentur, ad VI. M.P. recesserunt: & sic Imperator cum suis periculo erepti, ad exercitum, qui fugam è prælio fecerat, contenderunt. Quamobrem Imperator Theophobum vniuerso exercitui præposuit. & sequenti anno rursum contra Sarracenos expeditione suscepta, eos apud Charsianum prælio fudit, & XXV millia captiuorum secum domum rediens abduxit. Rursum tertio anno cõtra eosdem profectus, commissa pugna ab hostibus circumuentus, penè in manus eorum peruenit: quod sentiens Manuelus dux exercitus, animis suorum vehementi oratione collectis audacter eò perrupit: Imperatoremque iam fatigatum, ac de salute sua desperantem, causantem tamen fuga se suos prodere nolle, & inuitum periculo eripuit: mortem ei, ni se iter aperientem sequeretur, minatus. Et quartò cum copiis vtrique exercitus in aciem progressi, nulla re gesta domum redierunt. Quinto anno Theophilus longè in Syriam vastando ac populando progressus, Sozopetram Impraelis patriam expugnauit. Qua re vehementer irritatus Impraelus, copias vndique ingentes comparat, Amorium Theophili patriam petiturus. Copiæ eius Tharsum conuenerunt: vbi cum Impraelus venisset, filium suum cum parte exercitus ad Romanum exercitum, qui ad Dorylęũ tridui ab Amorio itinere castra habebat, tentandum præmittit, eique decem Turcarum millia & omnes Armeniæ copias adiungit: qui cum ad Drazymenum esset metatus, Theophilus contra eum progressus ad locum venit cui Anxino est nomen: atque inde statuit, priusquam manus cum hoste consereret, multitudinem hostium speculari. Itaque à Manuelo in altissimam ductus speculam, hostiles copias (etsi Manuel non multitudinem, sed hastarum segetem spectandam moneret) suis robustiores iudicauit. Sed tamen post multam deliberationẽ prima luce prælium acerrimè est initum: quo in prælio Romanis legionibus fortissimè pugnantibus, Sarraceni fugæ se dederunt. Sed Turcis sagittarum nimbo Romanos ab illis persequendis arcentibus mutata est pugnæ fortuna. Romanæ enim legiones Turcica-

rum

rum sagittarum vim non sustinentes, Imperatore deserto fugerunt, ducib. illarum & Persis pro eo summa vi dimicantibus. Verùm cœlum tunc Imperatorem iuuit. pluuia namq; exigua delata, neruos arcuum Turcicorū relaxauit: quo factum est, vt Romani sagittarum metu liberati, salutis parandæ occasionem habuerint. Hac suorum victoria cognita, Impraelus filij copiis cum suis coniunctis, Amoriū petiit: eumq; profunda fossa cinctum, omni vi oppugnare cœpit: sed cum nihil efficeret, Amoriēsis quidam Batidzes nomine, muneribus corruptus, quanam ex parte facilius in muros euadere posset, Sarracenis indicauit: & sic vrbs Orientalium pulcherrima expugnata, deletaq; fuit. Qua victoria elatus Impraelus, Cæsaris legatos ante oppugnationem cū ingentibus muneribus ad se, vt ab incœpto desisteret rogandum missos: & hactenus in vinculis detentos, omnia prius inspicere iussos, cladis nuncios ad dominum remittit. Quos cum Imperator rursus, vt de clarioribus captiuis, quorum magnus erat numerus, redimendis agerent, ac pro eis duo millia & quingenta auri pondo offerrent, misisset: barbarus iterum contumeliose remisit, stultum se fore inquiens, si captos ea pecunia redderet, cum ipse eo bello decies tantum impendisset. Cuius cladis mœrore confectus Theophilus, obiit. Huic successit Michael filius, qui & ipse expeditione in Sarracenos suscepta, Samosata vrbem ad Euphratem fluuium sitam opibus ac robore insignem, obsidione vallauit: sed dum (propterea quòd Sarraceni metum simulantes, intra mœnia se continerent) exercitus securè nimis & sine excubiis degit, tertio obsidionis die, cum milites omnes (erat enim is dies Domino consecratus) ad sacra conuenissent, Sarraceni armati sese patentibus portis effundunt, Romani vndique opprimuntur, adeò vt vix ipse Imperator impedimentis omnibus amissis, euaserit. Rursus biennio pòst Sarracenis imperij Romani fines cum XXX millibus ingressis, Michael vt cladem prius acceptam victoria sarciret, XLV millibus Thracum atque Macedonum collectis, eis obuiam it. Sed illi eo cognito, per difficilia loca compendioso tramite eum dissipatum in itinere repentè adoriuntur, atque in fugam conijciunt: & tunc quoque Michaelem in hostium potestatem venturum fuisse tradunt, nisi Manuel phalange perrupta eum eripuisset. Deinde biennio pòst Mamumo, Impraelis filio, Calysa Syriæ imperante, Sarraceni XL milliū exercitu coacto Armeniam & maritima populati vastârunt. Quo quidem tempore imitatum tunc Calysam Xerxis factum ferunt, qui mare flagris cædi iusserat, quòd vlterius sibi ad libitum progrediendi facultatem ademisset. quod grauiter ferens Michael, Petronam auunculum suum, qui tunc Thraciæ prouinciæ præerat, cum magnis copiis contra Mamumum misit: qui in loco quodam Lalacæon nuncupato metatus, insidiis vndique positis, Mamumum ad pugnam prouocat: qui instar feræ indagine cinctus, deque exitu anxius, de regionis locique in quo castra posuerat, ac præterlabentis fluuij nomine, quendam è captiuis Romanis percontatus, cum audiuisset regionis Lalacæonis, loci Prosontis, amnis Gyris nomen esse (vt erat Græcarum Latinarumque literarum non ignarus, & philosophiæ studiis deditus) statim nomina illa sibi copiarum cladem, easq; in gyrum à Romanis inclusum iri denunciare dixit. Suos tamen monet ne desperent, sed fortiter se ad pugnam parent. Itaque sequentis diei, prima luce se vndique inclusum sentiens, per eam partem quam Petrona statione tenebat, exitum quærere statuit, hostesque ingenti sublato clamore inuadit: sed conatum suum irritum cernens, paulum se recipit: rursumque inde impetum facit, idque sæpius iterans: tandem desperata salute in aduersos hostes vehementi cum impetu irruit, ibique & ipse cadit, & exercitus eius ad internecionem deletur: & filius eius cum parte copiarum populatū missus, cladis nuncio accepto, statim fuga Melitenā petiit. Sed eum qui Charsianis angustiis præerat insecutus, captum Petronę tradidit. Fuit Mamunus vir certè multis præclaris virtutibus ornatus. nam cum ipse doctus esset, viros etiam doctos vehementer amabat, magnoq; in honore habebat: cuius rei præclarum exemplum hic narrare lubet. Erat Byzantij insignis quidam philosophus, Leo appellatus: qui cum Thessalonicensium esset episcopus inde ob imaginum controuersiam, quæ tunc Latinam & Græcam exagitabat ecclesiam, pulsus, Byzantium se contulerat:

vbiq; vili quadam in domo degens, quibus quisq; vellet artibus homines instituebat, vnde multi ex eius priuata schola insignes in artiũ & philosophiæ studiis prodierunt: ac inter cæteros iuuenis quidam summam ex eius disciplina Geometriæ peritiam adeptus, à Sarracenis in bello captus fuit, & in seruitutem cuiusdam clari inter eos viri venit: quem cum Mamumus Mathematicis disciplinis instructum audiuisset, coram se sisti iubet: cumque certamine proposito is Arabas geometras eatenus vicisset, quòd uarum rerum illi solum vsum habebant, ipse etiam causas & rationes adferebat: Mamumus vehementer admiratus (putabat enim artem illam apud solos Arabas vigere) à quo ea didicerit, & num præceptor eius adhuc viueret, quærit. Resondet ille: Leonem sibi fuisse præceptorem, inopem adhuc vitam agentem, & nulli alij rei quàm studiis deditum. Statim ergo ad Leonem literas in hanc sententiam Mamumus scribit: Vt ex fructu arbor iudicatur, sic nos ex discipulo præceptorem cognouimus. Ergo tu, qui tanta rerum ornatus scientia, ignotus tuis ciuibus, nullum sapientiæ fructum percipis, ne dedigneris ad nos venire, tuæque nos doctrinæ participes facere. Quòd si feceris, omne Sarracenicum genus tibi colla submittere: iisque diuitiis & donis cumulaberis, quibus nemo vnquam hominum. Has literas iuueni libertate & multis muneribus donato, Byzantium perferẽdas tradit. Quibus literis acceptis, Leo rem totam ad Imperatoris familiares refert: sicq; Imperatori innotuit, qui eum ditatum publicè docere iussit. Mamumus autem Leonis ad se aduentu desperato, Geometricas aliquot, Astronomicasq; & aliarum scientiarũ quæstiones ei discutiendas mittit: quibus à Leone optimè solutis, & insuper signis quibusdam ad futura prædicenda adscriptis, cum eas Leonis literas legisset, summo eius desiderio ardens fertur exclamasse: ô beatos illos, qui tua, diuine Leo, consuetudine fruuntur. Inde statim legatos cum donis ad Imperatorem misit, eiq; in hunc modũ scripsit: Statueram (vt candidum amicum decet) ipse ad te venire: sed cum à Deo cuius summa est potestas, mihi commissum imperium, populusq; subditus ferocissimus, id non concedant: peto vt Leonem, virum philosophia aliisque scientiis præstantem, quem habes, ad me mittas, quo exiguum tempus mecum degens, suæ me doctrinæ, cuius amore flagro, participem faciat. Neq; ob religionis & gentis diuersitatem hoc differas: sed mecũ amicè agas rogo. quod si præstiteris, tibi mille auri pondo dabimus, pacemque & fœdus perenne tecum inibimus. Cui petitioni Imperator, ne scientiæ quarum causa Romani cunctis gentibus admirationi erant, barbaris proderetur, non annuit, quin potius Græcus ipse, & Christianus, à barbaro impioq; homine virtutem colere didicit. quod vtinam & nostri principes hoc exemplo edocti facerent. Is enim Leonem deinceps magnis diuitiis locupletatũ, summo in honore habuit, Thessalonicensiq; iterum ecclesiæ pastorem dedit: vbi & summopere, propterea quòd Thessalonicensem agrum in summam sterilitatem redactum, adeò vt incolis aut fame moriendum, aut aliò migrandum esset, suo ingenio, & scientiarũ quas callebat ope ad frugem conuertisset, fertilemque reddidisset, eum omnes venerabantur. Sed tempus est, vt ad Occidentis res redeamus. Mauritani Sarraceni ex Sicilia, in qua iam diu multa oppida obtinebant, Saba duce in Italiam traijcientes, Tarentum oppugnabant: cũ Græca & Veneta classis simul iunctæ in Calabriam delatæ sunt, ad eam vrbem obsidione liberandam. quo audito, Saba timorem vt hostem in certamen traheret, fingens, soluta obsidione vitabundo similis concessit in Crotoniatem sinum: vbi non multo pòst prælio commisso, & Græcorum agmine statim in fugam verso, omnis Sarracenorum vis in Venetos fortius dimicantes versa est: paucique à tam valida classe circumuenti partim cæsi, partim fluctibus mersi, Veneti ad vnum eo prælio periêre. Qua victoria elatus Saba, Ionij maris ora celeriter enauigata, Illyricum petit: cuius prouinciæ oram dum populabundus legit, ad Venetarum nauium, quæ Syriaca onustæ merce aduentabat, famam, in Tergestinum sinum classem celeri cursu contrahit: vnde naues ex insidiis adeptus diripit, negociatores & socios nauales remigesque omnes incredibili Veneti nominis odio trucidat. Hinc transgressus, Anconem, nobilem Picæni vrbem, & pulchro portu celebrem, vi capit: captam diripit, & incendio absumit,

paucis

paucis oppidanorum captis. omnes enim ferè repentina trepidatione dilapſi, in mediterranea ſe receperant. Paulo pôſt alia eiuſdem gentis claſſis, vrbis Romæ oppugnandæ conſilio ad Hetruriæ oram appulſa eſt: cuius repentinus aduentus cum totam vrbem terrore repleuiſſet, Leo IIII pontifex populo ad concionem conuocato, in hanc ſententiam verba fecit: Quid vos filij trepidare video? aut cur tantus timor animos veſtros occupauit? nihil numine inuito, inſciove, aut nobis immerentibus accidit. Tum nos pauere & formidare decet, cum innumeris flagitiis Dei opt. max. iram in nos prouocamus: cum ciuilibus diſcordiis odiisq; accenſi, arma in noſtroſmet ſumimus, cum frater in fratris necem conſpirat. Omnes enim Chriſtum ſeruatorem confitentes, fratres ſunt. Tunc (inquam) hæc, vel his deteriora nobis erant ab irato numine ſperanda. nam ſi exiſtimatis, has barbarorum impiorumque hominum manus non diuinitùs in nos immitti, longè fallimini. Id enim & diuina oracula paſſim teſtantur, & docent exempla ipſo Deo dicente, ſe impiis & nominis ſui hoſtibus ad infidos perduelléſque perſequendos vſurum. ſcimus enim, Græcorum diſſidia atque flagitia huic peſtiferæ genti in Chriſtianos ſæuiendi occaſionem dediſſe. & in Hiſpaniam quoque nónne Gottorum & Roderici regis ſcelera eos traxerunt? quibus fractis atque mulctatis, vbi in bonos & ſanctos viros arma conuerterunt, à paucis repulſi, fuſi, cæſique ſunt. Ergo hanc ignauiſſimam gentem magis quàm Deum ipſum opt. max. timemus? cum eius iram ſingulis horis & horarum momentis in nos prouocare, cum in eum cōuicia iacere, eiuſq; maieſtatem lædere non dubitemus: huius verò gentis ſolo nomine audito, trepidemus? quaſi mortalia arma magis ſint timenda, quàm ſempiternæ pœnæ. Vbi nunc ſunt antiquæ illæ & Romanorum propriæ virtutes, fortitudo, laborum tolerantia, & animus in rebus aduerſis inuictus? Maiores noſtri priuſquam orbi terrarum Chriſti nomen innotuiſſet, cum adhuc ſub falſa religione degerent, nullam hoſtium vim timuerunt, & parua ſæpe manu ingentes hoſtium copias fuderunt. Galli, gens ferociſſima, & tunc ipſo aſpectu ob corporum magnitudinem formidabilis, imperij Romani adhuc anguſtis finibus, & vrbe non ita magna, animis hominum potius repentino ferociſſimæ gentis, & maximi exercitus atq; hominum inuſitata ſpecie aduentus terrore perculſis, vrbem hanc nulla tunc arte munitam ceperunt quidem, ſed tamen Capitolium nunquam capere potuerunt. & mox, vnius exulis Romani virtute, inſigni cum clade repulſi ſunt: & tamen non tantæ tunc erant Romani imperij vires, quantæ nunc ſunt. Neque enim imperium latius quàm Romanus ager patebat: nunc autem cum maxima Italię pars Romano ſit ſubiecta imperio, & vrbs ipſa frequentiſſima, & non iam vnicam Capitolij arcem, ſed præterea etiam integrum oppidum noſtra opera vrbi adiectum, & omni arte munitum ſit, cum tot principes viros habeatis maximis bellis exercitatos, & ſacroſanctæ religionis ſedem non Gallos, gentem nobiliſſimam, non Gottorum ingentes copias, non denique Hunnos nobiliſſimarum vrbium euerſores: ſed ignauiſſimam Aſiæ gentem, vel Mauritaniæ prædonum fœdam & contemnendam manum formidatis. Capitolinæ arci humanum caput in ea inuentum, eiuſmodi fatum dedit, vt à nulla gente capi potuerit. An exiſtimatis Capitolium Saturni ſede tutius ſanctiúſque olim fuiſſe, quàm nunc, vera religionis arce adiecta? Nunquam, mihi credite, in hac vrbe Sarraceni, vel vlla alia impia gens, quæ Chriſti nomen auerſetur, ſedem ponet. Eo ſidere condita vrbs Roma eſt, vt perpetuum habeat imperium: eoq; fato hoc nouum oppidum adiectum eſt, vt religionis ſedes ſit, quod Apoſtolorum principis baſilica auguſtiſſima promittit. Sed fortaſſe putatis, Deum peccatis noſtris irritatum, eis in nos graſſandi poteſtatem dediſſe. fateor quidem nos hæc & maiora cōmeruiſſe, nec ſine diuino numine hanc procellam in nos immitti, vt his cladibus moniti, ad frugem redeamus: & tamdiu illos poteſtatem in nos habituros, quamdiu nos in peccatis pertinaces erimus. Sed vbi ad Dei Chriſtique miſericordiam conuerſi, opem eius implorauerimus, ſtatim impia gens nobis cedet: ingentémque eius ſtragem edemus, iniurias ſuperioribus annis ab illa & nobis & diuino numini, cuius templa prophanârunt, illatas vlciſcentes. Niſi fortè arbitramini, Aſtu-

res, Cantabros & Francos, qui hanc gentem sæpius ingenti strage profligârunt, vobis meliores fuisse. Non erant, mihi credite: neque enim Deus anteactam vitam nostram magis quàm præsentem mentem animumque respicit. Sed Pelagio, & aliorum sanctorum virorum sermonibus admoniti, ad Deum conuersi opem eius implorarunt, qui se ex animo rogantes nunquam deserit. Resipiscite igitur, & cogitate nitendum vobis esse, vt pietate & fide nulli genti cedatis: & pristinæ virtutis nominisque Romani memores, arma audacter, vel me duce ac præeunte, in hostem ferte, certissimam (si modò vt dixi, feceritis) de barbaro hoste victoriam relaturi. quos verò in pugna cadere contingit, ij præter gloriam, vitam quoque sempiternam statim se consecuturos esse certò sperent.

His dictis omnes qui ad militiam erant apti, arma ceperunt, eumq; Ostiam sequuti sunt, hostem in littus egredientem prælio excepturi. quem vbi in conspectu habuerunt, pontifex militibus Deum precari iussis, huiusmodi verbis diuinam opem implorauit: Deus omnipotens, qui Gedeoni cum parua manu de hostibus victoriam dedisti, qui te sanctè colentes nunquam tua ope destituisti, preces nostras propitius suscipe: & filij tui, qui sanguinem suum pro salute nostra profudit, meritis concede, vt hæc piorum manus aduersus tuæ fidei hostes dimicatura, tuę maiestatis dextra roboretur. Et tu CHRISTE IESV Seruator noster, quemadmodum Petrum in fluctibus ambulantem, ne mergeretur, erexisti: & alterum Apostolum tertiò naufragium passum, de profundo mari seruasti: sic nos nūc hac procella eripe, & validiores contra impios redde, vt parto de his triumpho, nomen tuum cunctis sanctum sit, & gloriosum. Deinde pugnę signum dedit, nec vllo vnquam tempore populus Romanus alacrius pugnam iniit, vt non ad dubium pugnæ euentum, sed ad certam victoriam mitti videretur. Pugnatum primò est aliquandiu æquo marte, fuitque cruentum prælium. Postremò fusi fugatiq; Sarraceni, & ad naues cum multa cæde compulsi sunt. Ingens hostium numerus variis casibus periit, & multi capti: quorum plerique sunt circa portum ad aliorum terrorem, inuito tamē pontifice, qui vt miti erat ingenio, à captiuorum cæde abstinendum censebat, laqueo suspensi: reliqui Romam perducti, publicis operibus sunt attributi. Ædificauerat enim Leo in Vaticano ciuitatē Leoninam, quam hodie Borgum appellant: in eamque Corsorum, quos Sarraceni insula eiecerant, coloniam deduxerat, agro eis quem colerent, circa Vaticanum viritim assignato: hanc autem assiduè magis muniebat, ornabatque. Posthęc Sarraceni, qui Cretam obtinebant, in Illyricum & Histriam classe delati, Gradum vrbem, Venetorum imperio subiectam, circumsedere. Sed hinc subito Veneti ducis accessu depulsi, nauibusque repentè eductis in altum abiere. Fuit hoc anno Salutis DCCCLXV. In Oriente Basilius Macedo, bello contra Cretenses Sarracenos suscepto victus est: multisque cæsis, parum abfuit quin ipse caperetur. Quorum pòst audaciam fregit Christophorus, contra eos in Cretam ab eodem cum exercitu missus: & ipse Imperator cum exercitu in Syriam profectus, castellis quibusdam captis, & magna populatione facta, Tephricam, nobilissimam Sarracenorum vrbem oppugnauit: sed cum eam nisi longa obsidione capi non posse animaduerteret, castris inde motis, Euphratem fluuium nauali ponte traiecit: ac circumiecta loca populatus, multis castellis oppugnatis, aliis verò deditione acceptis, ad vrbem rediit. Inde rursus expeditione in Syriam contra Sarracenos suscepta, Germaniciam inuadit: & suburbiis incensis, vrbem Adatam obsidet, quam ciuibus negligenter defendentibus, non tamen cepit. cuius negligentiæ causam ab eis scitanti Basilio, respondit senex quidam: in fatis non esse, vt ipse eam caperet: sed Constantinus quidam, qui ab ipso genus esset ducturus: nec tamen eum esse Constantinum ipsius filium, quem secum in castris habebat. Quo responso irritatus Basilius, maiore conatu oppugnationem est aggressus: sed quum videret se nihil efficere, inde discessit: captiuis, ne motum aliquem excitaret, neve custodia opus esset interfici iussis. Deinde Tharsensib. Sarracenis prouincias Romanas infestantibus, Andream cognomine Scytham contra eos misit, quo audaciam illorū reprimente, Tharsensiū rex minaces, & in Deum contumeliosas literas ad eum misit:

quibus

quibus scribebat, si ipse illum inuasisset, nihil ei Mariæ filium profuturum quorum verborum mox pœnas dedit. Nam cùm ipsemet ad exercitum venisset, Andreas contra eum copias eduxit: commissaque pugna Sarraceni in fugam versi, maxima ex parte cadunt, ipseque rex iugulatur. Sed cum Andrea ob inuidiam apud Cæsarem, quasi Tharsum capere, cum potuerit, noluisset, delato Stypiota quidam in eius locum exercitui præpositus fuisset: Sarraceni nullas in castris eius excubias esse agnoscentes, noctu aggressi, multos cæciderunt, reliquos in fugam compulerunt. Ab alia parte Sarracenis Africanis Ragusium in Illyrici ora obsidentibus, & Ragusinis auxilium ab Imperatore petentibus, Basilius centum bellicas naues eis subsidio misit. quod vbi Sarraceni cognouerunt, soluta obsidione Italiam petunt: captoque Bario, Calabros, Apulos, Lucanos & Salentinos incendio, cæde, rapinis penè ad internecionem affligunt: & iam de Roma ac totius Italiæ imperio inter se diuidendo agitabant, quum Iohannes pontifex publico periculo motus, ab Alberico, cuius opes latè in Hetruria vigebant, auxilium implorat: qui cum validissimo exercitu etiam Romę delectu habito, cum illi iam in Romanum irrupissent agrum, primùm eos non procul ab vrbe prælio vicit: inde ad Lirim fluuium circa Minturnas, sic eos fudit, vt de Italia deserenda cœperint cogitare. quamobrem omni maritima ora incensa, in Apuliam concessêre: & arce in Gargano monte facta, ac sub iugo montis oppido ad belli sedem communito, per multos annos Italiam infestârunt. Inde Beneuentum adorti, vi capiunt, diripiunt, & incendunt. quo exemplo territæ finitimæ vrbes, eius gentis præsidia admisere. Verùm subsidiariis copiis à Romano pontifice missis, barbari præda magis quàm iusto bello rem gerentes, sine prælio Romanis finibus cessere. Et alia eiusdem gentis classis ex Africa profecta, Genuam graui obsidione pressam vi cepit: propugnatores primo ingressu trucidati, puellas, matronas & mares impuberes nauibus impositos, in Africam deportarunt. Sed Dandulus Venetus tradit, omnes virilis sexus pòst in patriam rediisse: quo autem modo id factum sit, nemo scribit. Fuit Genua capta anno Salutis Christianæ supra nongentesimum trigesimoquinto. Inde anno sexagesimo nono supra nongentesimum, ab Othone, Germanorum imperatore, à Gargani arce, prius à Dalmatis deiecti, & à Pannonibus multis cladibus attriti, prorsus Italia pulsi sunt Sarraceni. Græci hic Italiam Constantinopolitani Imperatoris ope, Francis in ipsius Imperatoris gratiam adiuuantibus, Sarracenorum metu liberatam gloriantur. Aiunt enim, Italiæ populos, vbi Ragusium à Græca classe obsidione liberatum audiuerût, se ei imperio subijcientes, auxilia & ipsos petiisse. Quamobrem Basilium per literas cum Francorum rege, vt eis opem ferret egisse, ab eoque Sultanum captum, & Capuam perductum fuisse: qui pòst populi Capuani, cum quo contra regem conspirauerat, beneficio, rege inde pulso, liberatus, ipsis Capuanis bellum intulerit, sed Græcis opem ferentibus recesserit: hunc Francum regem, cuius mentionem iniiciunt, Carolum Crassum v. Germanorum Imperatorem esse puto. eius autem rei fides penes Gręcos esto. Quod si fuit, non tamen tunc prorsus Italia pulsi sunt: sed multo pòst Othone imperante. nam diu Sarraceni arcem in Gargano habuêre. Et in Oriente Esmam Calyfa cum magna classe Euripi vrbem aggressus, nihil effecit: quin ipse in oppugnatione lethali vulnere accepto obiit. Et Cretensium Sarracenorum classis, dum Ægei maris oram & insulas populatur, in Romanam incidit: à qua multæ naues igni in cineres redactæ, multæ fractæ, & plures demersæ sunt. Quod periculum qui ex illis euaserunt, cum magis irritati Peloponnesum & vicinas insulas vexarent: & Byzantinæ classis præfectus, cum se ad portum Cenchrearum applicuisset, ac naues hostiles circa Methonem, Pylon & Patras crebrò stationes habere didicisset, triremibus per Isthmum Corinthiacum celeriter terra traductis, eos repentè aggreditur: iisque improuisa impressione perculsis, hostium naues partim cremat, partim cum ipsis viris demergit, duce quoque illorum Photio interfecto. Verùm ex Africa sexaginta ingentes naues Romanis prouinciis vastandis, Cephalenem & Zacynthum vsque processerunt: contra quos Narsam, Byzantinæ classis præfectus, missus est. sed triremibus remigû fuga penè

euacuatis, cum hoste congredi non est ausus. Sed cum classiarios aliquot Sarracenorum captiuorum, quos classiariorum more indutos palis affigi iussit, supplicio terruisset: illi noctu hostem aggressi, aliis cæsis, aliis captis profligârunt. Deinde in Siciliam transuecti, vrbes quæ Sarracenis parebant, vastârunt. Interea verò Mesembriaci Sarraceni nauibus aduecti, Phœniciæ & Syriæ oram infestârunt. Deinde Leone, qui Basilio Macedoni successerat, templis condendis occupato, Lemnum insulam multis mortalibus cæsis occupârunt. Inde aliquandiu quieuerunt, ad Romani Pueri imperium vsque. is enim Nicephorum Phocam contra Cretenses Sarracenos misit: qui septem mensium spacio, illis multis prælijs profligatis, oppida omnia subegit: Candacem metropolim eorum euertit. Leo autem eius frater, in Syriam contra Camadam, Chalepi dominum Sarracenum missus, barbaro acie superato, magnam eius exercitus partem prælio cæcidit: reliquam cepit, ipso duce cum admodũ paucis ægrè elapso. Quamobrem Leo triumphans, in vrbem rediit. Sed Camada vires reparante, Nicephorus ex Creta rediens, Syriam petere iussus est: qui pugna commissa, hostes illustri victoria superauit: & Berrœa præter arcem vastata, maximis diuitiis est potitus: captisque penè innumeris, multos Christianos vinctos liberauit. Deinde hoc Nicephoro Phoca imperante, Manuel patricius, Leonis nothus, in Siciliam cum valida classe contra Sarracenos missus, ob imperitiam cum omni exercitu ab illis cæsus est. Eodemq; tempore Ioannes Zimisca, qui pòst imperiũ est adeptus, in Ciliciam missus, apud Adanam vrbem Sarracenos vicit. Deinde ipsemet Nicephorus cum magno exercitu in Ciliciam profectus, Anabarzam, Rosam & Adanam, eius prouinciæ vrbes, aliaque plura castella in suam potestatem redegit: pòst in Cappadociam in hyberna regressus, veris initio rediens, fratre Leone cum copiarum parte Tharsum misso, ipse Mopsihestiam obsedit: quam cum mediam flumen Sarus diuidat, altera eius parte oppugnata, Sarraceni igni iniecto, in alteram se receperunt: qua & ipsa capta, omnes cæsi sunt. Qua re audita, Tharsenses imperatori se dederunt: ac triduo pòst classis Ægyptia Tharsensibus auxilio missa, ad terram appellendi facultatem non habuit: eademque in reditu & ventorum procellis, & Romanarum triremium incursionibus maxima ex parte periit. Imperator Constantinopolim reuersus, æneas Tharsi & Mopsihestiæ portas exquisiti artificij, nouis ornamentis additis, arci ad Orientalem & Occidentalem partem accommodauit: dein Syriam inuasit, & vrbibus ad Libanum & mare sitis partim expugnatis, partim vastatis, ad Antiochiam, quam flumen Orontes alluit, venit. Sed Antiochenis acrius resistentibus, accedente etiam commeatus penuria, & solo imbribus inundato, castellum in Tauro monte, quem hodie vulgò Maurum vocant, ædificauit: Michaele Burze, quem patricium fecit, & Tauri montis ducem nominauit, ad infestandos Antiochenos ibi relicto. Petrum verò quendam ex eunuchis suis, fortem, constantem, & rei militaris peritum, castrorum præsidem designauit, vt locum exercitui daret ad hybernandum in Cilicia: ipso autem Byzantium reuerso, Burzes crebris excursionibus Antiochenos Sarracenos infestabat, assiduè de capienda vrbe & gloria sibi comparanda cogitans: & turris eiusdem altitudinem clàm mensus, paratis scalis illi paribus, nocte hyberna tenebrosissima & niuosa tacitè mœnibus vrbis succedit: affixisque scalis cum trecentis, quos clam adduxerat, ascendit: custodes turris, & obuios quosque cædit: ac statim castrorum magistro nunciat quid fiat, illumq; ad opem ferendam accersit. Interea Antiocheni, vbi turrim occupatam esse cognouerunt, eò alacriter ad Romanos repellendos concurrunt. Magister autem castrorum, vt qui in mandatis ab Imperatore ne Antiochiam inuaderet (quòd vrbis eius captiuitatem interitum Imperatoris cõsecuturum vulgata fama erat) accepisset, ancipiti cura distractus: tamen vt tot viri fortes perirent, nullo modo committendum ratus, cum omnibus copiis Antiochiam inuadit: quo facto, statim & manus & animi Sarracenorũ conciderunt. Burzes verò cũ suis iam desperata salute reuixit: & porta bipenni refracta, liberum ingressum castrorum magistro præbuit. & sic facilè clarissima vrbs in Romanorũ potestatem venit. quam paulo pòst Ioanne Zimisca imperante,

rante, Sarraceni cõmunibus omnium tum Orientis, tum Occidentis viribus, sed quia Syriæ Calyfæ iam tenues erant vires, Cairoani Africæ Calyfæ auspiciis recuperare nixi, obsederunt, quibus cum ciues constantius resisterent, Imperator hac gentium conspiratione cognita, Mesopotamiæ ducem obsessis opem ferre iubet: à quo prælio commisso, Sarraceni etsi numero longè Romanis superiores, profligati sunt. sed quia video Sarracenorum imperium ad finem iam excidiumq; properare, sunt nobis prius quàm vlterius progrediamur, reliquiæ illorum in Africa atque Hispania, quàm breuissimè fieri poterit, persequendę: & primùm de Hispania dicemus, deinde in Africam transibimus. In Hispania igitur Ramirus, Legionis rex, anno pòst Christum Seruatorem natum primo supra nongentesimum, Sarracenis bellum inferens, Madritum illorum oppidum euertit, eosque prope Osmam fudit, ac Cæsaraugustæ regem Benaiam sibi vectigalem fecit: cumque iterum Abdurameni Cordubæ regi fœdere iunctus rebellaret, eum prælio quo triginta Sarracenorum millia ceciderunt, prope Simancas fudit & cepit, multaq; alia illis damna intulit. deinde cum Talaueram obsideret, Toletanos Sarracenos obsessis opem ferentes, septem millibus captis, & duodecim cæsis, vicit. Post Abduramen, Cordubæ rex, Sancium Legionis regem, regno à suis pulsum, qui ad ipsum, vt morbo quodam ab eius medicis toto terrarum orbe celeberrimis sanaretur, venerat, curatum suis copiis in regnum restituit. Sed eo pòst defuncto, Sarraceni, Simancas, Duengas, Sepuluedam, Gormas, Legionensis regni oppida ceperunt, ac Zamorram euerterunt: & paulo pòst etiam Portugalliam Lusitaniæ caput, atque Compostellam deleuerunt. Abduramene defuncto, Alliagibus, qui ei successit, se, vt multitudinem alliceret, Almansorem, hoc est Mansoris regis sui propugnatorem appellans (tunc enim Marroci, quam vrbem Occidentalis Sarracenorum imperij sedem fuisse ostendimus, Mansor regnabat, cui omnes Hispaniæ Sarracenici generis reguli parebant) maximis copiis collectis, Castulonensium, Legionis & Cantabrorum fines inuasit: & Legionis vrbem penè deleuit, turres & propugnacula, quæ omnia marmorea erant (vna tantum, vt memoria pristini eius vrbis splendoris extaret, relicta) diruit. Asturicam, Coiacam, quæ nunc Valentia est (non quidem illa ad Mediterraneum mare, sed in Legionensi regno & Pyrenæis) ac Sansagmum, aliaque oppida multa occupauit: & in Castulonensibus Osmam, Alcobetlam, Berlangam, Atienzam deleuit: atque in Gallecis Iacobi fanum inuasit, campanasque Cordubam ferri iussit, iisque pro lucernis in sua meschita vsus est, bellumque in duodecimum annum circumtulit. Sed tandem Bermudes Legionis rex, suis & Castulonensium atque Cantabrorum viribus collectis, in loco qui Calataiacor vocatur, cum eo congressus est: ibique per integrum diem pugnatum, multáque Sarracenorum millia cæsa, & Almansor cum suis fugiens præ mœrore obiit. Hispani castris direptis, opima præda sunt potiti. quam cladem sarcire volens Abdimelicus eius filius, fractus & ipse fuit. Sed pòst Alphonso Bermudis filio regnante, Sarraceni rursus in Castulonensium fines irrumpentes, Auilam deleuerunt, Ormetum aliaq; aliquot oppida ceperunt. Alphonsus verò Legionis vrbem instaurauit. Posthæc orta sunt varia inter ipsos Sarracenici generis regulos, qui Hispaniam obtinebant, ciuilia bella: vnde Christianorum vires quotidie magis in ea prouincia inualuerunt, adeò vt Mahometo Enasir, Marroci pontifice, prope Valentiam in Gottalania victo, & sexaginta Sarracenorum millibus cæsis, anno Salutis supra millesimum centesimo & quinquagesimo. pòst triginta annorum spacio Christiani Valentiam, Deniam, Alicantem, Murciam, Carthaginem nouam, Cordubam, Sibiliam, Iaem & Vbedam recuperârint: & Sarraceni solum Granatæ regnum retinuerint, quo tandem à Ferdinando, postremo Tarraconensium rege, Caroli V. Cæsaris auo materno, pulsi sunt. In Africa verò quidam qui se vatem, & ex Muamedis stirpe oriundum prædicabat, nomine Elmahelis, homo in montibus & natus & altus, anno à Christo nato circiter millesimo, seditione in religione excitata, Cairoani (quam vrbem haud procul Carthagine, sed in mediterraneis Africæ caput factam fuisse ostendimus) & itē Abraemo Marroci regibus pulsis, vtramq; Mauritaniam, & Africam totam,

Numidiam item & Libyam ad Nigritarum & Ægypti fines vsque, regia pontificiaq; sede Marroci collocata, subegit: & Marroci rex, Habdulmumenem, qui illum cum Elmahelis copiarum parte persequebatur, fugiens, Oranum vrbem ad mediterraneum mare in Mauritania Cæsariensi sitam, peruenit: vnde cum à ciuibus receptus non fuisset, miser rex omni spe amissa, solus cum vxore, quę eidem equo insidebat, altissimum montem, qui mare imminebat, ascendit: atque ibi equo calcaribus impulso, se de rupe cum vxore & equo præcipitem dedit: & sic tres illi mortui, totique cōfracti in littore sunt inuenti: & Habdulmumenes Marrocum reuersus, Elmahelim mortuum inuenit, ac ipse in eius locum rex & pontifex creatus est: cuius posteri, hoc est Iosippus filius, Mansor nepos, & Machometus Enasir, cuius suprà mentionem fecimus, pronepos, regnum illud obtinuerunt. Sed dum Mahometo defuncto, decem eius liberi inter se pro regno dimicant, Marina gens Fessæ regnum occupauit, & Habduluadea familia Telensini regnum inuasit: ac Tunetano magistratu moto, regem ibi creauit. alij Africæ reguli omnes ab Marroci regum imperio defecerunt: & Sarracenorum potentia in Africa non secus atq; alibi imminuta est, atq; imperij illorum nomen extinctum.

CAELII AVGVSTINI CVRIONIS SARRACENICÆ HISTORIÆ

Liber tertius:

In quo Sarracenici imperij euersio, & Turcici origo atque incrementa ad Ottomanum vsque, vnde Iouius & cæteri tum Latini tum Græci Turcicarum rerum scriptores historias suas auspicantur: & item Tartarorum, Mamaluccorum, Assassinorum, Sophianorumq; origines explicantur, trecentorum annorum ante Ottomanidas, Turcicas historias continens.



NOVVS mihi nunc rerum nascitur ordo, & res maximè memoria dignæ enarrandæ occurrunt. In ea enim tempora nos traxit Sarracenicarum rerum explicatio, quibus vetere & vero Sarracenico imperio corruente, quasi legitima Muamedis stirpe exclusa, nothi ac spurij filij hæreditatem occupârunt: & non vt illi, religionis specie, sed vi & armis, nouum duriusque ac firmius imperium constituerunt: quod tantum à priore illo distat, quantum ferri duricies à plumbi mollicie differt. Nam etsi ingens fuerit, & grauissima illius moles, adeò vt falsæ religionis feruore diffusa, totum penè terrarum orbem inundarit, obrueritque: sæpius tamen vel validis militum armorumque aggeribus obiectis, non modò inhibita est eius vis, verùm etiam arctioribus quàm antea finibus inclusa, vel intestinarum seditionum flamma concitata, in varias partes dilapsa disiunctaque est, quæ pòst longo terrarum spacio ab illius Arabicæ Babylonicæque officinæ, vnde eruperant, igne disiunctæ, ita gelu concretæ sunt, vt amplius mouere se non possent: sicque à tota mole distractæ, leuioresque redditæ, aut amotæ sepultæque sunt, aut nouo igne accendente tandem propria flamma conflagrârunt. quod & ipsi officinæ eadem ratione accidit, donec noui validiorésque fabri venientes, durius metallum sub incudem posuerunt, quo plumbi molliciem munirent, eiúsque officinæ dignitatem tuerentur. Nam quum, vt ex iis quæ duobus proximis libris narrauimus patet, cum Sarracenis per quadringentos fermè annos varia semper fortuna maiores nostri bella gesserint: adeò vt, quamuis ingentes fuerint statim ab initio illorum vires, & Christiana Resp. tunc semper & seditionibus intestinis agitaretur, & barbarorum crebras incursiones pateretur, & Byzantinæ arci eneruati mollésque imperatores præessent, sæpe tamen ingentibus illos cladibus afflixerint: & modò Syriam, modò Armeniam,

Armeniam, modò Persidis partem, aliásque prouincias recuperârint: semper autem Europam vniuersam, aliqua Hispaniæ parte excepta, Asiam minorem, Mediam, Parthorúmque regna, Bithyniam & Cappadociam, cum multis aliis prouinciis obtinuerint: Turcarum vires iam à sexcentis ferè annis in nos grassantes nunquam reprimere, aut imperij illorum incrementa sistere potuerũt, vel eos semel captis locis expellere: tantam vim habet militaris disciplina, tantúmq; distat Septentrionalium populorum ferocitas ab Australium mollicie. Qui, vnde & qua occasione eruperint, iam explicabimus. Basilio Porphyrogenito Byzantij imperante circa annũ Salutis nostræ millesimum, cum (vt superiore libro exposuimus) plures tyranni Sarracenicum imperium inter se diuisissent, & quatuor de summo pontificatu semper contenderent, bella atrocia inter se gerentes: ortum est inter Muchumetum Persidis, Corasmiorum, aliorúmque populorum principem, & Syriæ Calyfam, qui Bagadeti sedem habebat, graue bellum: in quo cum Muchumetum Babylonius Scleri, & Romanorum captiuorum opera superaret, Muchumetus Turcarum auxilia accersiuit: quorum opera (vt ex iis quæ suprà diximus, patet) iam ab aliquot annis Sarraceni in bellis, vt qui religionem ipsorum, ritúsque statim primis illis eruptionibus, quas in Sarracenorũ fines fecerunt, amplexi essent, vti consueuerant. Hi regiones intra Caucasum montem, nec non & vltra ad Septentrionem incolebant: sic etiam à Plinio nuncupati. nam illorum qui eos Tartaros fuisse putant, opinionem falsam esse, ex ipsa historia patebit: iidémque & Hunni Tentazitæ, vel Tussagetæ appellati. nec tamen me latet, hæc nomina à Plinio ita distingui, vt Tussagetas, Turcas, Moscos & Vdinos, quos nos Hunnos esse arbitramur, tanquam diuersos populos numeret: eosdémque à Græcis Byzantinarum rerum scriptoribus commisceri, adeò vt de eisdem loquentes, omnibus his nominibus eos absque discrimine nuncupent: quod locorum fortasse propinquitas effecit. Sed tamen cum Byzantinis scriptoribus, vtpote finitimis illorum, fidem omnino adhibendam censeam, nec interea Plinio, grauissimo scriptori, autoritatem derogare velim, sic existimo: Scythiæ populos, qui regionem Taurum montem inter & Borealem Oceanum à Tanai flumine ad extrema vsque Orientis littora, qui tractus mediam Asiæ partem complectitur, latissimè tenent, olim (vt hodie adhuc sunt) in multas tribus distributos fuisse: in quarum numero Hunni siue Vdini, Mosci, Turcæ, Tussagetæque, qui regiones Mæotidi, & Tauro propinquiores incolebant, fuerint. Sed vt modò hi, modò illi bellicis artibus & potentia præstiterunt ac cæteris imperârunt: sic reliquos omnes populos ab ea gente, quæ regnum obtinebat, cognominatos fuisse: quo factum est, vt ab rerum gestarum scriptoribus omnes hi populi, modò Hunni, modò Mosci, modò Turcæ fuerint appellati. Sed Hunnorum qui loca magis ad Scythicum Oceanum, vt Plinius & alij multi scriptores testantur, incolebãt, res multò antè Turcarum potentiam floruerunt. Illis autem ad Europam populandam finibus suis digressis, Turcæ, Tussagetæq;, & Mosci fines suos promouere cœperũt: & Mosci quidem, Mosci montis accolæ, regionibus circa Tanaim occupatis, ibi consedêrunt, vnde pòst regio illa Moscouia dicta est. Moscos autem Turcas esse, Cedrenus, Zonaras, & alij Græci scriptores testantur, eosdẽ passim etiam Hunnos appellantes: quapropter minimè absurdũ videretur, si quis diceret, hos omnes ab Hunnis oriundos fuisse, quorũ generis cõditor Hunnus Tuisconis filius (Beroso Chaldæo autore) fuisse perhibetur, qui pòst in colonias diuisi, varia nomina à ducibus suis sortiti sunt: semper tamen, vt à cęteris Scythis distinguerentur, gẽtis suę conditoris cognomẽ retinuerunt. ex his verò illos qui in regione à maioribus suis primò occupata permanserunt, patriasq; artes, hoc est, magicas, & dæmonũ commercia retinuerũt, absq; alio cognomine Hunnos appellatos. nã Hũnos ita magicis artibus deditos fuisse accepimus, vt multi eos à Faunis agrestib⁹ genitos crediderint. Verùm Turcæ atq; Tussagetæ ab illis oriundi, & Caucasi mõtis Septẽtriõnale latus, vt diximus, incolẽtes, haud multũ vita, moribus & institutis ab iis differebant, ita inter se similes & fœdere iuncti, vt pro eodẽ populo haberentur: & fortasse etiam iidem erant, sed ab vicinis Armenis, è quibus ritus accipiebant, quique

Sagæ, id eſt, ſancti vocabantur, ſic quaſi profani, appellati ſunt. Tentazitæ enim, vt in ſecundo indicauimus, gentiles vel profani eorum lingua dicuntur. nam à multis ſcriptoribus hæc nomina ita coniunguntur, vt alterum nomen, cognomen alterum eſſe videatur. Hos Procopius ait, reliquis Hunnis minimè vicinos fuiſſe, & nihil ad eos pertinuiſſe: ſed Borealium Perſidis partium, hoc eſt Armeniæ finitimos. nam Armenia ſemper ferè ſub Perſarum regibus fuit. Nec, vt cæteri Hunni vel Scythæ, Nomades erant: ſed optimam inter montes & colles incolebant regionem, ſolique Hunnorum albi erant. nec vt cæteri, fœdi aſpectu, vel ferarum more victitantes: ſed ſub vno degentes principe, bene inſtitutam rempublicā habebant: & non ſecus ac Græci, Romani, aliæve excultæ gentes inter ſe, & cum vicinis ius, fasque colebant: vrbem Corga nomine regni ſedem habentes. nobiliores ditioréſque inter eos, perpetuò viginti, vel plures, pro facultatum ratione amicos apud ſe conuiuas habebant, cum quibus & fortunæ & auctoritas, poteſtásque communia illis erant, vt & idem Procopius ſcribit, & hodierna illorum inſtitutio teſtatur. Nec deſunt, qui Turcarum originem ad decem illas Iſraelis tribus, quæ in Mediam translatæ fuiſſe, apud Ioſephum leguntur, referant: cuius rei argumento morum ſimilitudinem adducunt. alij verò ad Gogum & Magogum, quorum in ſacris literis mentio fit: à quibus nos Tartaros, & fortaſſe etiam Gottos ortos arbitramur, & alij ad Troianos. quas opiniones vel refellere, vel confirmare, minimè noſtri inſtituti eſt, cum nō probabilia indicia, ſed ea quæ veterum tum Græcorum & Thracum, tum ipſorummet Turcarum, & aliarum illis finitimarum gentium certiſſimis hiſtoriarum monumentis memoriæ tradita, inueniuntur, perſequamur: quæ ſic ſe habent, vt ſuprà explicauimus. Ab horum igitur principe Muchumetus tum contra Babylonium Calyſam auxilia poſtulabat, iiſque Tangrolipice Mucaleto duce acceptis, cum Piſaſirio Babyloniæ Calyſa confligit: eúmq; nullo negocio Arabibus Turcicarū ſagittarum nimbum non ferentibus ſuperat: & domum victor reuerſus, iiſdem Turcis voluit etiam in pugna contra Indos, cum quibus pariter bellum gerebat, vti: & petentibus vt domum ſibi redire liceret, atque vt præſidium ab Araxis fluminis ponte deduceretur, vim etiam minatus eſt. Turcis enim domum redeuntibus Araxes fluuius, qui Perſarum regni finis eſt, traiiciendus erat, isque vnico tantum ponte tranſire poterat: pons autem ille ab vtroque latere, turribus excitatis, ac præſidiis impoſitis munitus erat. Turcę maiora pericula veriti, ab eo defecerunt, & in Carbonitidem ſolitudinem (neque enim, quum nō plus quam tria millia eſſent, cum tam multis prælio congredi audebant) ſe ſubtraxerunt, indéque crebris excurſionibus Sarracenorum agros populabantur. quod iniquiſſimè ferens Muchumetus, ad triginta hominum millia contra eos mittit, decem nobiliſſimos notæq; fortitudinis ac prudentiæ tribunos exercitui præficiens. Hi ad bellum profecti, intrare in deſertum, ob aquæ alimentorúmque inopiam, noluerunt: ſed proximè aditum ſolitudinis ſunt metati. Turcarum dux de aduentu Perſarum certior factus, re cum ſuis communicata, Sarracenos & Perſas repentè adoriri ſtatuit: biduoq; magnis confectis itineribus, tertia nocte eos ſecurè in tentoriis agentes, nihilq; ſuſpicantes inuadit, atque illicò profligat: ibi curribus, equis, pecuniaq; plurima potitus, non iam vt fugitiuus latrocinia exercere, ſed palàm exinde in aperto caſtra habere: ad quem vndique confluebant, qui ob maleficia ſupplicium metuebant ſerui, atque alij rapto viuere gaudentes, adeò vt breui tempore eius copiæ ad quinquaginta millia vſque creuerint. At Muchumetus ob cladem acceptam iratus, decem illos duces luminibus orbat: & qui euaſerant milites, eos ſe muliebri indutos veſtitu, deuictis hoſtibus in triumpho ducturum minatur, ipſe ſe ad bellum accingit. qui antea victi à Turcis fuerant, minis perceptis ad Tangrolipicen tranſeunt: is tanta acceſſione auctus, cum omnibus ſuis copiis in Muchumetum it, vt collatis ſignis iuſto prælio rem decernat. Et Muchumetus armatis Sarracenis, Perſis, Arabibus & Cabiris, circiter quingentorum millium exercitu coacto, ac centum turrigeris elephantis, hoſti apud locum cui Aſpacham nomen eſt, occurrit. ibi atroci conſerta pugna, multiſq; vtrinq; cadentibus, ipſe etiam Muchumetus, dū hinc in-

de incautius obequitat, suósq; verbis ad pugnam accendit, equo collapso, ceruices frangit, ac moritur: eóq; mortuo exercitus cum Turcis conspirat, ac omnium voluntate Tangrolipix Persarum rex declaratur. qui statim suæ genti aditum in Persidem aperit: quorum mox ingens multitudo se eò contulit, oppressisq; Persis ac Sarracenis Persidem occupârunt. Tangrolipicen Sultanum, id est, summum Imperatorem, siue regum regem appellant: is omnes magistratus, omnésque dignitates à Persis in suos transtulit: & inter eos indigenis prorsus conculcatis, vniuersam diuisit Persidem. Ægypti autē princeps Daber, qui fœdus cum Romanis habebat, eo violato Hierosolymitanum templum, in quo Christi Seruatoris sepulchrū est, & sacra loca omnia diruit. nam sub illius imperio tunc erat Hierosolima. Et paulo pòst classem contra Cycladas insulas misit: quam Sami dux, duodecim nauibus vnà cum victoribus captis, reliquis dissipatis, deuicit. Deinde Romano Argyropylò imperante, Arabes, vrbes quas Nicephorus & Ioannes Zimisca in Syria ceperant, pręsidiis cæsis occupârunt. & Chalepi princeps perpetuis excursionibus, populationibusq; ipsam Antiochiam, aliasq; finitimas Syriæ gentes Romano subiectas imperio infestabat: à quo & dux Antiochenus, Constantino adhuc superstite turpiter victus, plerisq; suorum amissis vix effugerat. cui Romanus successore datò, ipse quoq; ad bellum iuit. Cui cum Chalepitæ legati dona ferentes, & veniam petētes, seq; eius imperio rursum subiicere volentes, in itinere occurrissent: quamuis multi ex ducibus eū ad pacem hortarentur, tamen se facile Sarracenos debellaturum, & magnam sibi gloriam paraturum sperans, in Syriam progredi voluit. cumq; prope Chalepum castra communisset, Arabes, homines audaces atque expediti, in celeribus equis nudi, insidiis vndique collocatis, si qui pabulatum aut aquatum exibant, eos impetu facto cædebant, aut capiebant: quo fiebat, vt & milites & equi siti deficerent. deinde incursionibus illis magis assuefacti, & Romanos ignauiæ accusantes, subitò ex montibus decurrere, & clamore sublato speciem multitudinis ingerentes, omnem exercitum territum in fugam verterunt: atque ipse Imperator à prætorianis militibus præ metu desertus, ac timore penè exanimis, nisi quidam eum in equum sublatum ad fugam cohortatus esset, captus fuisset. Sarraceni verò fictam fugam esse suspicati, fugientes non sunt persequuti: sed castra ingressi, paucis illustribus viris captis, direptoque imperatoris tabernaculo, variarum opum, & regiæ magnificentiæ pleno, cæterisq; impedimentis in equos impositis, recesserunt, Mesopotamiam incursionibus infestantes. Interim Ægyptia classis Illyrici orā populabatur: cum qua congressa Græca, multas illorum naues incēdit: & qui è pugna euaserunt, in mari Siculo tempestate perierunt. Ex Africa quoque circiter mille naues egressæ, multas insulas & loca maritima populabantur. Sed ab Romanis triremibus parte earum adepta, multísque interfectis, quingenti captiui ad Imperatorem missi. Georgius Maniaces, vrbium quæ ad Euphratem fluuium sunt, prætor, Samosatæ degens, Edessa expugnata, epistolam Seruatoris nostri IESV CHRISTI manuscriptam, ibi inuentam (si vera sunt quæ quidam literis mandarunt) Imperatori misit. quam vrbem pòst Michaele Paphlagone imperante Arabes obsedêre: & recuperassent, ni Antiochiæ dux Constantinus, Imperatoris frater, obsessis opem tulisset. Verùm Ægypti principe mortuo, vxor eius, quæ Christiana erat, vnà cum filio triginta annorum inducias cum Romanis pepigit, & templum aliáque sacra loca Hierosolymis instaurari curauit. Cúmque duo fratres Sarraceni Siliciæ imperantes, inter se dissiderent, eorúmque alter Imperatoris opem implorasset, Georgius Maniaces patricius auxilio illi missus est: qui antequam in Siliciam venisset, illi inter se reconciliati, & Maniacen insulæ aditu prohibere conati, auxilia Carthagine euocârunt. Sed pugna commissa Romanus exercitus vicit: magnáque cæde Sarracenorum edita primò tredecim vrbes vastauit: deinde paulatim progrediens, totam Siliciam Romano Imperio restituit. At in Oriente parum abfuit, quin Edessa ab Sarracenis dolo caperetur. Nam duodecim illorum principes, quingentos camelos Edessam adduxêre, binas cistellas gestantes, quæ totidem armatos claudebant, simulantes se Imperatori munera ferre: qui si intromissi essent, in animo ha-

bebant, noctu eductis armatis vrbem capere. Sed quum quidam Armenus mendicus, Arabicæ linguæ peritus, apud Arabes foris diuersitantes mendicaret, audiuit quendam è cista percontantem vbi essent? Itaq; vrbem ingressus, insidias prætori aperuit. Is Arabum principes in vrbe conuiuantes reliquit: & cum suis egressus, apertis cistis, armatos omnes interfecit: mox in vrbem regressus, duces quoq; trucidauit, vno tantum dimisso, cui ambas manus, nasum & aures abscidit, vt cladem illam nunciaret. Ab alia parte Cairoani Africæ Calyfa suarum copiarum interitu cognito, ipse cum maiore exercitu in Siciliam proficiscitur. Maniaces verò castris contra eum positis, classis præfecto mandat, vt oram maritimam diligenter tueatur, ne Carthaginiẽsis victus effugere queat. deinde prælium committit: quo tot Sarraceni periêre, vt numerari nullo modo possent. Sed illorum princeps pugna elapsus, conscensa celoce domum rediit. Tangrolipix verò, iam, vt suprà ostendimus, Persarum rex, regni sui rebus præclarè cõstitutis, factaq; in Pisasirium Babylonis ducem expeditione, pluribus eum pręliis vicit atq; interfecit: & sic Babyloniis subactis, Cutlumum fratris filium cũ exercitu contra Carbesum Arabiæ regem misit: à quo superatus Cutlumus, per legatos à Stephano patricio Mediæ, quę hodie Baas Pracham vocatur, pręfecto per fines ipsius itineris faciendi facultatẽ petiit; quod non modò non impetrauit, verùm etiam Stephanus armatus illi occurrit: qui multis suorum amissis, victus & captus est. Cutlumus autem ad Tãgrolipicen reuersus, Medicum bellum referens, eius religionis fertilitatem celebrat, eam expugnatu facilem esse asserens: sed Tangrolipix illi ob cladẽ acceptam iratus, ipse contra Arabes proficiscitur. Cutlumus metu cum suis aufugit: & Pasare Chorasmiorum vrbe occupata, à Sultano deficit. Verùm Sultanus eo ad tẽpus omisso, cum omnibus suis copiis contra Arabes proficiscitur: à quibus ipse quoq; profligatus, domum rediens, maxima cum parte exercitus eum obsidet: cui Cutlumus loci munitione fretus, diu obstitit. Et tamen interea Tangrolipix Asanem, alterum nepotem, cognomine Surdum cum x x armatorum millibus in Mediam mittit. is impetu in prouinciam facto, & prælio cum Romanis commisso, cum toto exercitu paucissimis exceptis cadit. Quo Sultanus cognito, vt iacturam illã sarciret, Alimum Abramium cum centum armatorum millibus in eam prouinciam mittit. Cuius præfectus auxiliis ab Imperatore petitis, Liparitam partis Iberiæ dynastam expectabat: nec prius sibi cum Turcis dimicandum censebat, quàm Iberum auxiliares copiæ aduentassent. quamobrẽ Romanis intra munitiones se continentibus, Alimus negata pugnandi copia, Arzeni vicum nullo muro circumdatum, quem innumeri ditissimiq; mercatores incolebãt, se primo impetu capturum ratus, inuasit: sed cum incolæ aditus trabibus obstruxissent, tela in hostes ex tectis cõiicientes, multos sustulerunt. Alimus eo per sex dies oppugnato, cum Arzenos fortissimè se defendere, nec obsideri facilè posse cerneret, ignem tectis iniecit: quo vndique sæuiente, & incolis in fugam versis, Turcæ vico potiti, multum auri & aliarum opum quas flamma non absumserat, inuenerunt. Inde cum Lipárites Iberiæ copias iam adduxisset, contra Romanum exercitum properârunt: prælioq; sub vesperam commisso, Turcæ fusi fugatiq; sunt, Romanis eos in multam noctem persequentibus. Qua tamen in pugna Liparites, qui alterum exercitus cornu ducebat, captus fuit, & ad Sultanum perductus: cuius redimendi gratia Imperator magnam pecuniam & munera Sultano misit, fœdus cum eo petens. Sed Sultanus, omni pecunia & muneribus remissis, Liparitẽ gratis restituit: hortatus, ne in posterum arma contra Turcas sumeret: quin ipse etiam legatum ad Imperatorem misit, summæ dignitatis virum, Seriphem appellatum: quæ dignitas ea apud illos est, vt Calyfa mortuo, Seriphes succedat. Nã Turcæ statim Muamedis sectam amplexi Calyfas (etsi regna illis, profanamque potestatem in suo imperio ademissent) vt sacerdotes & pontifices in summo honore habuerunt. Is igitur Byzantium ingressus, cum superbè ab Imperatore, vt tributum Sultano penderet, petiisset, re infecta est dimissus: qua re indignatus Sultanus, ipse Romanos adortus est: cúmque Comium Iberiæ vrbem, propterea quòd incolæ se & res necessarias castellis (qualia tunc in Iberia multa erant) & locis munitissimis

maturè

maturè incluserant, nulla re memorabili gesta progressus esset, Romanas copias Cæsareæ colligi audiens, in Mediam est regressus: vbi cum omnia non secus atque alibi muris defendi videret, animum ad oppugnationem conuertit, ac primò omnium Manzichierte vrbem in planicie sitam, ac triplici muro cinctam, multisque intus fontis irriguam, in quam præterea magnam commeatus copiam oppidani importârant, aggreditur: & vallo prope mœnia posito, omnis generis machinis per triginta continuos dies oppugnat: tandémque re infecta, & multis ex suis amissis, abiit: Abramium deinceps nepotem persequens, quem Cutlumo consobrino suo coniunctum, prælio apud Pasarim vrbem victum, necauit. Cutlumus verò, cũ sex millibus & Melecho Abramij filio fugiens, per legatos ab Imperatore Constantino Duca se in fidem societatémque recipi postulauit, responsum in Persarmenia ad Charse vrbem expectans: quem insequutus Sultanus cum copiis in Iberiam cõtendit, Cauthlumus verò in Felicem Arabiam confugit. Sultanus in Iberia obuia quæq; populatur & vastat: sed Michaelem cum copiis contra se venire sentiens, & turpe sibi cum Imperatoris ministro cõgredi existimans, in suos fines se recepit: quidam verò ex eius ducibus Samuchus nomine, obscuris parentibus ortus, verùm bello egregius, cũ tribus millibus remanens, atque hinc inde per plana maioris Armeniæ loca vagatus, repentinis ac crebris incursionibus fines Romani Imperij infestabat. Inde Romano Diogene imperante, Sultanus rursus cum maximis copiis Romani imperij fines est ingressus. Verùm ipso Imperatore cum exercitu contra illum expeditionem suscipiente, retrocessit: & exercitu in duas partes distributo, alteram in australem Asiam, alteram verò in Aquilonarem misit: qui obuia quæque populati, & Neocæsarea subita incursione vastata, præda onusti inde recedebant. Sed Imperator hoc audito, expeditioribus militibus assumtis, per loca inuia & montosa, vt hostes anteuerteret, iter faciens, eos repentè adortus, ita terruit, vt statim arrepta fuga, & prædam & impedimenta reliquerint. nec tamẽ, quia Romani itinere fatigati, longius eos persequi non potuerunt, magna illorum strages est edita: sed multi captiui liberati. Inde Syriæ iter ingressus phalange vna Melitenam missa, Chalepo magnam & hominum & animantium prædam abduxit, ac Hierapolim Syriæ deditione cepit. Dein, quum Turcæ Romanarum copiarum partem superassent, Imperator, qui Hierapoli erat, illo nuncio accepto, ad opem victis ferendam accurrit. Chalepi verò præfectus, Romanorum clade audita, cum suis ad Turcas desciuit. cúmque hostes Romana castra corona cinxissent, Imperator prælio eis non denunciato eduxit exercitum: & nulla tubarum sonitu aliòve manifesto signo dato, hostes fudit: Hierapoli arcem condidit: & aliis multis oppidis captis, Alexandriam Ciliciæ vrbem peruenit: exercitúque in hyberna, vbi nulla commeatus inopia premeretur, ducto, Byzantium rediit. Sub veris autem initium Imperator altera expeditione suscepta, quum Cæsaream venisset, & magnam Turcarum copiam eam prouinciam incursare cognouisset, illis aut cæsis, aut captis, ad Eufratem contendit: ibíque parte vna exercitus Philareto duce relicta, ipse ad Septentrionem declinauit, Turcæ autem Philareti militibus territis, omnibus eorum impedimentis potiuntur. & in Cappadociam progressi, omnibus vastatis Iconium petunt, vrbem tunc felicissimam nobilissimámque: qua re Imperator Sebastiæ cognita, eòdem contendit: verùm vbi illa vrbe euersa, hostes suo aduentu cognito discessisse audiuit, Cathagurio Antiochiæ duci Romanarum legionum partem tradidit, eíq; mandauit, vt ad Mopsihestiam veniret, & Turcas illac transituros aggrederetur. qui quum in Tharsi planiciẽ venissent, ab Armenis omni ferè præda spoliati sunt: audítisque Romanorum ad Mopsihestiam insidiis, noctu diffugerunt. Vere ineunte, Turæ iterum Romanas prouincias infestantes, à Michaele Comneno, Imperatoris legato, victi sunt: & paulò pòst ipse ab Imperatore cum minoribus copiis, ob inuidiam in Syriam missus à Turcis victus & captus fuit. Quare ipsemet Imperator, in Oriẽtales prouincias cum exercitu progressus, quum ad Criapegam castra haberet, prælio cum hostibus congressus, & Scythis quos in castris habebat, ad Turcas deficientibus fortissimè pugnans, captus fuit: & ad Sulta-

num, qui Axan vocabatur (iam enim Tangrolipix mortuus erat) perductus: quem Axan, vt erat iuſtiſſimus, & ſumma animi moderatione præditus, vbi Imperatorem eſſe certò cognouit (neque enim prius credidit, quàm & legati quos ad eum miſerat, eum eſſe teſtati ſunt: & Græci duces, quos in vinculis habebat, coram illo ducti, ad pedes eius proſtrati ceciderunt) prius tamen de more, vt victum ante pedes ſuos proſtratum, erexit: atque vt fratrem amplexus eſt, & mox huiuſmodi verbis ſolatus: Noli mœrere Imperator: hæc enim eſt rerum humanarum viciſſitudo, vt belli fortuna modò hos, modò illos deprimat, alios verò extollat: tu multa bella præclarè geſſiſti, ſemper virtus & fortitudo tua celebrabitur, modò te in aduerſis non minus fortem præbeas, quàm in ſecundis prudentem. à me tamen non vt captiuus, ſed vt Imperator tractaberis: ſtatímque ei tabernaculum ornatiſſimum attribuit, & miniſtros ac reliqua omnia quæ Imperatorem decent. & menſæ adhibitum iuxta ſe collocat, captiuis quotquot peteret redditis: & ſic per dies aliquot cum eo verſatus, & colloquutus: pace perpetua ſancita, promiſſaque affinitate inter liberos ipſorum contrahenda, Diogenem cum magno comitatu & honore dimiſit, barbarica etiam veſte ornatum. Sed pòſt eo Byzantij à ſuis trucidato, Axan Sultanus id audiens, magno dolore affectus, copias ſuas in Romanorum prouincias, non iam prædatum, ſed ad eas ſubigendas miſit. Contra quem Michael Ducas Imperator Iſaacium Comnenum cum exercitu miſit: qui à Turcis victus & captus, magna ſe pecunia redemit. Pòſt Cutlumò, quem ſuprà oſtendimus Tangrolipicis nepotem fuiſſe, arma contra Axanem nouum Sultanum, vt ipſe imperium occuparet, parante: Babylonius Calyfa, cuius etiã apud Turcas, vt qui à Muamede originem trahere putaretur, ſumma erat autoritas, nihil ſectæ ſuæ perniciofius eſſe animaduertens, quàm ſi eadem bella ciuilia, quæ Sarracenicum, ipſorúmque Calyfarum imperium euerterant, iam inter nouos Sarracenos, hoc eſt Turcas quoque orirentur: quamuis loco ſuo excedere, & in publico verſari non ſoleret, ad eos abit, qui de regno contendebãt: eíſque perſuadet, vt omiſſo bello Axan, quem Caſſianum quidam vocant, principatum ſuum integrum teneat: cognatóque omni ope præſtò ſit, vt Romanis prouinciis ſubactis imperet. qui breui Media & totius Orientis locis ſubactis, inſulas quoque inuaſit, Zacham quendam obſcuro genere natum mittens: qui Chio inſula cum paucis nauibus repente occupata, claſſeque ibi comparata, Lesbum, Samum, Rhodum, Cretam & Cyprum cepit, quæ tamen paulò poſt rurſus in Imperij Romani poteſtatem redierunt. Damaſcũ verò, & reliqua Syriæ loca ei propinqua, Axan Perſarum Sultanus cuidam nepoti ſuo Ducat appellato tradiderat: vt quemadmodũ ille alter cum Romanis bella gerebat, ſic iſte cũ Ægyptiis faceret. nam Ægyptius Calyfa, Laodicæam Syriæ vſq;, omnia poſſidebat: & Alapiam ſiue Calepum Samucho illi, cuius ſupra mentionem fecimus, tradidit: ſed ita, vt hi beneficiarij eſſent ſui: Cutlumus verò, Sultanus & ipſe. Sed Samuchi filius Sanguinus, multis bellis geſtis, Damaſci quoque regnum occupauit. eíque ſucceſſit filius Norandinus, qui multa cum Ieroſolymitanis regibus bella geſſit. Sed cum Chriſtiani qui Ieroſolymis, & in aliis locis, ſub Turcarum imperio degebant, durius à Turcis tractaretur, quàm antè ab Sarracenis: concilio in Gallia apud Claromontẽ habito, Vrbanus Pont. Chriſtianis Orientis per Petrum quendã Gallum opem implorantibus, omnes gẽtes ad pium bellũ cohortatus, effecit vt expeditio in Syriam ſuſciperetur. Itaq; profecti ſunt, anno ſalutis noſtræ M X C diuerſis itineribus Gottifredus, Euſtatius, & Balduinus Bolliones, Raimundus & Robertus, Flãdriæ comites, Vgo cognomento Magnus, Philippi Gallorum regis frater, Stephanus Valeſius Carnutum comes, Podienſis antiſtes, & Petrus Eremita, huius expeditionis autor, cum circiter quingentis armatorũ millibus, qui multis cruentis præliis cum Turcis & Sarracenis atq; Ægyptiis commiſſis, alij Nicæam Bithyniæ vrbem, alij Antiochiam ad Orontem fluuium, alij Ieroſolymitanam vrbem, alij alias magno labore, multoq; ſanguine receperunt, ibiq; regnum Chriſtianum conſtituerunt: Conſtantinopolitano Imperatore interea fœdus cum altero Turcarum Sultano, qui Byzantio proximis prouinciis imperabat, habente. nam ſuprà oſtendimus,

dimus, prouincias illas Cutlumo attributas fuisse, quibus ipsius hæredes sunt potiti, cũ Tangrolipicis posteri Persis & Babyloniis imperarent, in Ægypto aliquot Sarracenorum reliquiis superstitib. Sed Cutlumo atque eius filio, qui Occidentis Sultani erant, Cappadociamq; obtinebant, defunctis, Tanismanius successerat. Ex his Christianis ducibus, vbi in Asiam traiecerunt, Turcæ Raimundum, Nicenum agrum inexploratum ingressum, insidiis exceptum, multa strage fuderunt: & in Exorgum oppidum desertum compulerunt: vbi aliquandiu obsidionẽ fatigatus, ad hostes cum paucis transiit. reliqui, qui se dedere noluerunt, post diuturnam obsidionem, partim bello in excursionibus, partim fame absumpti: & qui viui in hostium potestatem venerãt, ad vnum omnes cæsi Cæteri Nicomediam primùm petierunt, inde ad Nicæam Bithyniæ vrbem bellum transtulerunt: quam dum fortiter oppugnant, Tanismanius, siue, vt alij vocant, Solymanus cum sexaginta Turcarum millibus, in eam partẽ castrorum, in qua Podiensis antistes suos milites habebat, impetum fecit: qui à Gallis facilè repulsi sunt, tandemque Nicæa capta est: deinde cum Solymano quartis ab Nicæa castris ferocissimè pugnatum. collegerat enim ille totius Orientis vires, auxiliis vndique accersitis. Inde Iconium, ad Taurum montẽ situm, ipsius Solymani sedes, hodie Cogni dicta, & Phrygiæ, quæ hodie Caramania vocatur, principum regia, atque Heraclia capta. pòst bipartito exercitu Balduinus in Ciliciam flexit, Tharsumq;, Edessam & Manusã cepit: maiores copiæ Armeniã receptam, Palmuro Armeno tradidère. Inde Cappadociam, Cæsaream, Sororgia & Suram, in angustiis Tauri montis capiunt. Pòst Taurũ transgressis, obtulerũt se in planicie Turcæ: sed facilè fusi à Latinis, fugatiq; sunt: inde Antiochiam Phœniciæ clarissimam munitissimamq; vrbem, quam Orontes fluuius interluit (nam alia est in Pamphilia Seleuciæ vicina) rectà perrectũ: eaq; deditione potiti, Turcis prius acie victis. quo in prælio centum Turcarũ millia ceciderunt, et quindecim camelorum millia capta sunt. Interea Veneti ducentarum nauium classe ad Latinos iuuandos missa, Smyrnam in Ioniæ ora occupârunt: & Latini Antiochia capta, Rugiam quoque & Albariam expugnârunt, ibiq; hyemârunt. Vere autem ineunte inde digressi, Tortosam primò & Tripolim oppugnãt. Tripolitanus rex in fidem receptus, Tortosa à suis egregiè defensa. Quare castris indo motis, Zebulo, Zabari, & Brai flumine traiecto per insidiosa loca iter facientes, Berytum maritimam vrbem peruenere, & Beryti Sagittam, vnde decimo die Cæsaream ventum est, pòst Ramam, ac tandem Ierosolymis castra admouerunt: eaq; cruentissimo marte & summo labore capta fuit, circa annũ Salutis nostræ M C, & Gottifredus rex salutatus, At Turcæ cum Ægyptiis ingentibus collectis copiis mox bellum instaurant: quibus obuiam progressus Gottifredus, eos ad Ascalonem castra habentes, centum, vel (vt alij volunt) quinquaginta millib. cæsis, fudit. Sed antequam Ierosolyma caperetur, Veneta classis Lyciæ, Pamphyliæ, Ciliciæ, et Syriæ oram prætervecta, Ioppensem portũ iam à Gallis captũ, vt Christianos commeatu adiuuaret, tenuit: indeq; Ascalonem, Porphyriam, vrbem Ptolemaidi propinquam, & Tyberiadem maritimas vrbes capiunt. Et Ierosolymis Gottifredo mortuo, Balduinus eius frater rex creatur, cæteris principibus domum reuersis. hic Ptolemaidem, Venetis, Genuensibus & Boemundo Antiochiæ rege adiuuantibus, & Sydonem atque Berytum Phœniciæ vrbes cepit. Deinde Boemùndo mortuo, & Tancredo eius fratre Antiochiæ regnante, cum Turcæ atque Ægyptij rursus Ierosolymitanos fines ingressi essent, Balduinus Tancredo in auxilium accersito, cum eis pugnauit: et victus, magna suorum cæde Ierosolymam se recepit, Tancredus verò Antiochiam: & Turcæ montem Sinam occuparunt. Et paulo pòst Balduino defuncto, Balduinus alter cognomento Burgẽsis, rex creatus fuit. Deinde Alexio Byzantij imperante, quia Balduinus secundus auxilia à Latinis petebat, altera expeditio in Syriam facta est: profecti sunt Wilhelmus Aquitaniæ dux, Vgo magnus, Philippi Francorum regis frater, Stephanus Carnutum comes, qui ex priore expeditione domum reuersus erat, & Stephanus Burgundiæ comes, atque Tolosas, Veneti quoque classem maximam miserunt. Latini proceres cum suis copiis multis laborib. & cladibus afflicti, ac penè

dissipati, tandem Ierosolymam peruenere. Sed Balduinus improuidè sine illis cum Turcis congressus, exercitu suo fuso, ipse captus, & Carras perductus, tandemq́; pecunia data, liberatus fuit. At Veneta classis, septingentarum AEgyptij Calyfæ nauium classe, quæ Ioppem oppugnabat, fracta, Tyrum cepit: quam vrbē cum oppugnaret, columba visa est castra superuolare (nam copiarum partem in littus Veneti exposuerant) Damasceni regis literas ferens, quibus obsessis significabat, se breui cum ingentibus copiis illis auxilio fore. quæ columba omnibus maximum clamorem ac strepitum edentibus cecidit: Veneti duces lectis literis, ad illarum exemplum alias finxerunt, quæ obsessis omnem auxilij spem adimerēt: vnde pòst deditio secuta est. His temporibus viguit inter Sarracenos vel Turcas, genus quoddam hominum, & secta, Assassinorum appellata: qui latronum more quoscunque vellent interficientes, magnis Christianos in Syria cladibus afficiebant. ex quo pòst factum est, vt apud Italos latrones omnes Assassini vocarentur. Cuius sectæ origo sic traditur: Aloadinus quidam secta Sarracenus, regnum in ea Persidis parte quæ Indo flumini proxima est, haud procul ab Arrianæ prouinciæ finibus sub Caucaso obtinens (quæ regio hodie Mulehet à barbaris vocatur, in qua olim fuerunt Asaceni, quorum mentionem facit Arrianus in Alexandri Magni rerum gestarum historia, eos inter Cophen & Indum fluuios collocans: quem Cophen à Iosepho in Iudaicis antiquitatibus Cuthum appellari puto, & in hanc regionem decem illas Israelis tribus translatas fuisse.) hic Aloadinus, vt suis persuaderet, se vitæ beatæ illos participes facere posse, qui mandata sua seruassent: in amœnissima quadam valle, inter duos altissimos montes, hortos pulcherrimos, omni arborum suaues fructus ferentium, & florum genere adornarat: quos vndique splendidissimis ædificiis incluserat. quæ auro aliisque coloribus depicta, & preciosissima supellectile instructa erant, & variis in partibus, lactis, mellis, vini, ac odoratarum aquarum fontes riuosque habebant: intus erant lepidissimæ puellæ, cantu, musicis instrumentis, choreis, omnibusque blanditiis, eos qui ibi essent oblectantes: & insuper ministræ erant, quæ semper intra tecta latentes, omnia tum ad victum, tum ad voluptatem necessaria hospitibus parabant: locus autem totus foris & natura & arte munitissimus erat. Hoc igitur voluptatum omnium horto siue paradiso facto, Aloadinus montanis illis hominibus se Muamedis socium prædicabat: sibique paradisi ac beatæ vitæ impertiendæ potestatem datam. & ex illis melioris ad arma indolis, adolescentes duodecimum & decimumquartum ætatis annum transgressos deligebat, & in aula sua educabat: eosque, quo libentius mandata sua exequerentur, aliqua potione altissimo consopitos somno, in eum locum transferebat, vbi eo somno excitati, omnibus voluptatibus per duos vel tres dies fruebantur, & pòst iterum eadem potione somno obruti efferebantur: sic fiebat, vt illi pòst nulla pericula, vt eius mādata perficerent, subterfugerent: ac quoscunq́; ille vellet, vel in remotissimis partibus degentes, insidiis trucidarent: horum autem ad sexaginta millia habebat. Vnde potentia eius ac successorum, qui Sexmontij vocabantur, ita creuit, vt eundem ordinem etiam in Syria instituerit, & præfectum Damasci habuerit. erat enim quasi quidam equestris ordo, cuius summus magister Sexmontius vocabatur: qui præfectos alios variis in locis militiæ suæ habebat. Arx verò illa, in qua horti erant, Tigadum appellabatur. Hi milites cædibus & latrociniis totam Asiam Christianis infestam reddebant. Sed hi pòst à Tartaris, arce septem annorum obsidione capta, penitùs deleti sunt. Hæc est illorum, quos aliqui Essenos, alij Arsacidas errore vocarunt, historia: vt nos apud fide dignos autores inuenimus. Tanismanio defuncto, imperium Turcicum Occidentale diuidi cœptum est. nam Muchumetus quidam Tunismanio successit, cui cum Masuto Iconij præside inimicitiæ intercedebant. Sed cū Ioannes Comnenus Imperator fœdere cum Masuto inito, Muchumetū coniunctis viribus oppugnaret: tandē Masutus cū Muchumeto reconciliatus, ab Imperatore defecit. & nihilominus Imperator Castamonē & Gangrū, nobilissimas Ponti vrbes, à Turcis occupatas expugnauit: quas Muchumet' paulo pòst recuperauit, & Iberiā quoq́; ac nōnulla Mesopota-

sopotamiæ loca subegit: Masutus verò Iconio cum aliis Syriæ locis est potitus, qui etiam in Thraciam impressione facta, ab Manuele Comneno fugatus fuit. Cum verò Imperator hac victoria elatus Iconium oppugnaret, Turcæ insidiis collocatis exercitum eius fuderunt, adeò vt ipse ægrè effugerit. Pòst Christianis qui Ierosolymam obtinebant, laborantib. facta est tertia expeditio, cuius dux fuit Conradus, dux Franconiæ, qui illis cum magno Germanorum atque Italorum & Gallorum exercitu opem tulit: & cum Turcis, cum quibus & Græci conspirauerant, ad Mæandrum fluuium cruento prælio congressi, ingentem Turcarum stragem ediderũt. Masuto autem mortuo, regnum eius tres filij sortiti sunt, bella deinde inter se gerentes, Iagupasanes & Iconij Sultanus: tãdemq; Iagupasanes vicit, & Sultanus ad Imperatorem confugit, qui eum Byzantium in triumphum duxit. Neque hic prætereundus est Sarracenus Icarus: qui cum in Sultani comitatu esset, prẹstigiator habitus circensibus ludis sponte Byzantini Hippodromi turri cõscensa, sub qua carceres erant, vnde equi emittebantur: suprà verò quatuor illi equi aurati, qui nunc Venetiis supra Marciam ædem sunt, sibi inuicem obuersi, alacritatis ad cursum pleni stabant, se stadium transuolaturum iactabat. cumque diu, ampla & promissa veste candida indutus, quæ vinculis in orbem succincta, sinuosa efficiebatur, manus alarum instar ad volatum, vt plus venti colligeret, librans, tandem se vento committens, prostratus, ossibus omnibus confractis, expirauit. Manuel verò, vt à Sultano liberalis & potens haberetur, eum ingenti pecunia, & preciosissimis rebus donatum dimisit: ea tamen lege, vt ipse ei Sebastiam cum suburbano agro redderet. Sed ille cum peçunia Iconium reuersus, Sebastia vastata, et vicinia eius subacta, summam rerum ad se transtulit: & Dadunæ altero fratre eiecto, Cæsareaque occupata, Iagupasanem quoque euertere nitebatur. Dadunes verò Amasiam possessore vacuam occupauit: sed paulo pòst à Clizastlane Sultano, qui Cappadociam obtinebat, pulsus est. Clizastlanes verò Imperatorem patrem appellans, interea semper fines eius populabatur. Quamobrem non multo pòst nouo inter eos accenso odio, quia et viciſsim Sultanus Imperatorem leuitatis in promissis non seruandis accusabat: Imperator bellum summis virib. gesturus, & Turcicæ gentis euersionem animo concipiens, veteranos milites colligit, nouas legiones conscribit, externa auxilia vndique accersit, cum Balduino Ierosolymarum rege fœdus init, Scythas Istri accolas sibi adiungit. ingentique exercitu comparato, ac omnibus ritè peractis, et diuina ope implorata copias educit: ac per Phrygiam & Laodiceam, Chonas, Archangeli fanum, Lampim & Celænas, vbi Mæandri amnis fontes sunt, in quem Marsyas influit, Choma iter faciens, Myriocephalum, castellum vetustum & desertum, pessimo omine transit. cuius nomen res subsecuta est. nam haud procul inde multa Græcorum capitum millia perierunt. Semper tamen cautè instructaque acie incedens, castra vbi metabatur communiens, sed tardius propter iumẽta, quæ machinas trahebant, incedere cogebatur: & Turcæ sæpe se ostendentes, leuibus præliis eos lacessebant: omniaque infesta reddebant, gramen demetentes, & commeatum intercipientes, aquasque inficientes. At Sultanus magnis auxiliis ex Perside & Mesopotamia, aliisque eiusdem gentis regibus accersitis, per legatos ab Imperatore pacem petiit: quam omnes prouectioris ætatis ac Turcicis bellis exercitati duces amplectendam suadebant, propterea quòd loca munita et opportuna omnia ab hostibus essent occupata. Verùm ille neglectis seniorum consiliis, & iunioribus (qui forma tantùm gemmisq; & auro, nõ autem triumphis & rerum peritia conspicui erant) cupidè auditis, legatos voti impotes dimisit. Cumque Sultanus iterum pacem petiisset, eique Imperator iactabundè dixisset, Se Iconij responsurum: Sultanus in angustiis Tauri montis, quę Clisura Zybritzæ appellantur, per quas Romano exercitui Myriocephalo castra mouenti, iter erat, faciendum suas phalanges, vt impetum in eos prætereuntes facerent, abdit. Est ante Clisura oblõga conuallis, quam Latino nomine Clusium nominare possumus, verticibus montium assurgens, quæ ad Septentrionem paulò decliuior inter colles in patentiores valles protenditur: ab altera verò

parte abruptis arduisque rupibus includitur. quam viam ingressurus Manuel, non secus ac si per patentes campos inter esset faciendum, nihil prospexit eorum quæ periti imperatores prouidere solent: vtpote impedimenta & currus, quibus machinæ trahuntur: & imbellem multitudinem, ne pugnantibus, si in sors ferat, impedimento sint, extra aciem remouere, expedita cohorte hostes ex angustiis depellere, atque exercitui viam aperire, & omnia antè per exploratores cognoscere. quorum ille, etsi antè barbaros iuga occupasse audiuisset, nihil fecit: sed acie sic instructa, angustias est ingressus. Primum agmen, in quo erant Angeli Constantini duo filij, Ioannes & Andronicus, nec non Macroduca Constantinus, atque Lapardas Andronicus, cum suis cohortibus, lunata acie incedebat: dextrum cornu Balduinus Ierosolymorum rex, sinistrum Maurozomes Theodorus ducebat: hos sequebantur lixæ, calones, currus, & alia impedimenta. Inde Imperator ipse cum delecta manu: extremum agmen clausit Andronicus Contostephanus. Sed vbi ad angustias ventum est, cum acies explicari non posset, Angeli, Macroducæ & Lapardæ cohortes, quæ in sinistro cornu erant, cuneo facto, barbaris è collibus, vnde pugnabant, in montes repulsis incolumes transiere. Sed reliquæ legiones hos minimè strenuè consecutæ sunt: nec, vt debebant, sagittariis in lateribus positis, Turcarum impetum repressere, testudinemve egere: quapropter densissimæ Turcarum turmæ vndique ab editis locis in humilia, & è tumulis in planiciem magna vi irruere: & audacius in Romanos inuectæ, aciem perrumpere: ac Balduini cornu in fugam verso, multos vulnerare, trucidareque. quod videns Balduinus, vt suis laborantibus opem ferret, cum delecta equitum manu in medios hostes inuehitur: à quibus circumuentus & ipse occiditur: eiusque milites omnes fortissimè pugnantes cadunt. quo successu elati Turcæ, omnes vias Romanis intercludunt. qui vt in angustiis inter se impliciti, & alij alios impedientes, tantum aberat vt hostibus nocere possent, vt suos quoque impedirent, & hostibus mactandos obtruderent: nec ab extremo agmine aut ipso Imperatore iuuari aut recedere, vel in aliquod latus declinare poterant, curribus qui in medio trahebantur, tanquam vallo obiecto impedientibus iumenta pariter & homines Turcicis telis sternebantur, cadaueribus plenæ erant valles, abscissis membris obtecti saltus sanguinis riui pecudum simul & hominum cruore permixto manabant, adeò vt huius pugnæ atrocitas nullis exprimi literis possit: ac præter cætera mala, hostes caput Andronici Batazæ, qui Imperatoris ex sorore nepos, cum exercitu ex Paphlagonia & Heraclea Pontica collecto, contra Turcas Amasenos missus fuerat, hastæ infixum ostentarunt: quibus spectaculis, & periculi magnitudine perturbatus Manuel, animo æger, & dolorem ac metum silentio dissimulans, inopsque consilij, quo se verteret nesciebat. Verumtamen Romanæ legiones, quas præcessisse diximus, periculosis illis anfractibus superatis, in colle quodam satis opportuno castra muniuerunt. Turcæ verò omni contentione Imperatoris agmen infringere nitebantur, quòd maxima & potentissima exercitus parte profligata, se facilè cæteros superaturos, eoque victo (vt in serpentibus capite contrito, vnà etiam reliquæ corporis partes, quæ abscissæ, singulæ per se mouebantur, moriuntur: & arce expugnata, vrbs hostibus resistere non potest) reliquos paruo labore posse deleri putabant. At Imperator sæpius Turcas ex angustiis illis depellere, ac suis viam aperire conatus, Turcarum qui è superiore loco pugnabant, vi subinde crescente, sibi cum aliis, siue maneret, siue progrederetur, æquè pereundum existimans, suos monet, vt spe omni in Deo primùm, deinde in armis, ac dextra posita, ferro sibi salutem, aut honesta morte perpetuum decus quærant. se enim nullam aliam euadendi viam videre: nec Deum, si modò sanctè eius auxilium implorarent, viribusque quas ille suppeditaret fortiter vterentur eos qui pro sacrosanctæ religionis defensione, ipsiusque nominis gloria, contra impios, omnis religionis, pietatis, honestatisque euersores pugnarent, deserturum prorsus esse. quod si tamen eos mori cõtingeret, pro breui & fragili vita, vt qui iustissimam causam haberent, duplicem consecuturos: nẽpe sempiternam

illam

illam & beatam in cœlesti regno, quæ cum omnibus verè Christum colentibus, tum maximè iis qui pro eius gloria sanguinem vitamq; profunderent, promissa & parata à Christo Seruatore nostro est: & præterea alteram, in perpetua hominum in hac vita degentium memoria positam, qui semper fortitudinem, constantiamque ipsorum celebraturi essent: eos verò qui arma abiecissent, vt Imperatoris sui desertores ac proditores, et Christi beneficiorum immemores, ingratosque omnium ore & sermonibus condemnandos, ac sempiternas Deo pœnas daturos. Itaque suo exemplo viam sibi quisque ferro aperiret. Deinde cum paucis quos secum habebat, rectà in hostes fertur: atque ita pòst multa vulnera illata & accepta, Turcica phalange perrupta, sic toto corpore vulneratus, vt scuto circiter triginta sagittæ inhærerent, & cassidem decussam attollere non posset, elapsus est. Cum interea cæteræ legiones passim cæderentur, seque inuicem conculcarent: & qui fortè has fauces superarant, nihilominus in altera valle ab hostibus trucidabātur. is enim transitus in septem profundas valles, inter se vicinas, findebatur: & initio paulo latior, rursus in angustias complicabatur, quas omnes Turcæ præsidiis insederant. Præterea tantus repentè exortus est ventorum, arenas, quibus loca illa plena sunt, impellentium nimbus, vt ambo exercitus in densissimis tenebris, velut noctu summo impetu cōgressi pugnarent, & nullo discrimine obuios quosque, siue amici essent, siue inimici, trucidarent. eodemque loco Turcæ, Romani, iumenta et homines promiscuè caderent: & vallis illa nihil aliud videretur, quàm commune amplissimúmque horum omnium sepulchrum. Sed tamen plures ex Romano exercitu, quàm ex Turcico, cadebant: præsertim verò genere clari & Imperatoris cognati: & multi etiam viui inter cadauerum aceruos ita sepulti iacebant, vt inde se explicare non possent: nec qui eis opem ferret, singulis pro salute sua laborantibus, erat: adeò vt inter longos cruciatus tandem animam agere et ipsi cogerentur. Imperator verò sine armigero, sine satellite, & sine custode, solus sub pyri syluestris vmbra vires exhaustas recipiebat: cum quidam gregarius eques, fortè & ipse pugna elapsus, eius misertus, ei pro virili ministrare studens, galeam, aliaq; arma hinc inde cadentia reposuit. Quod dum facit, Turca quidam accurrit: & nemine eum defendente, Imperatorem freno arrepto capere voluit, quem ille hastæ parte, quam reliquam habebat, in caput impacta humi prostrauit: cumque alij Turcæ accurrissent, eum viuum capere volentes, ipse arrepta eius equitis, de quo diximus, hasta, & vno ex hostibus transfixo, cum etiam eques ille stricto gladio alteri caput amputasset, illos repulit: donec aliis decem Romanis militibus accurrentibus, se legionibus quæ præcesserant, coniungere cupiens, inde abiit, sed iter eius tum cadauerum acerui, tum Turcæ vbique occurrentes, valde impediebant. Deinde faucibus illis ac præterfluente amne alicubi super cadauera suorum equitando ægrè superatis, aliam Romanorum manum, quæ eo viso accurrit, cogit: ibique aliud prælium cœptum est, in quo Ioannem Cantacuzenum, neptis suæ virum solum cum multis, fortissimè pugnantem cadere & spoliari vidit: & Turcæ, qui illum occiderunt, Imperatorem præterire videntes, eum conglobati, vt opimam prædam, petunt. erant autem ij inter Turcas viri principes, et armis insignes, equis Arabicis splendidissimè ornatis insidentes. quem impetum Imperator animis suorum excitatis facilè repulit: & nunc Turcas, qui vndique vt eum caperent accurrebant, armis repellens, nunc celeritate præcurrens, tandem in suorum castra, ab illis expectatus, & multis periculis laboribusque exantlatis, à suis quoque iniuriis & conuiciis affectus peruenit. vbi noctem illam metu pallentes insomnem egerunt: manè Turcæ castra ipsa oppugnatum ibant. Sed Sultanus Manuelis calamitatem miseratus, missis ad eum muneribus pacem ei dedit, ea lege, vt Dorylæum & Sublæum oppida, quæ à Turcis euersa instaurauerat, rursus euerterentur: quæ pacta Imperator non seruauit. nam Sublæum quidem euertit, Dorylæum verò non. quamobrem Sultanus Atapacum ducem cum delectorum militum manu ire ad mare vsque, omnes vrbes ac prouincias vastare, neminiq; parcere: & sibi aquam marinam, remum, et arenam referre iubet. qui mandata exequens, Phrygiam & Mæandrias vrbes popu-

latus est. quem Imperator in Mæandri fluminis transitu insidiis exceptum, ipso duce cū multis aliis cæso, oppressit. Deinde Manuele mortuo, Sultanus, qui Iconij sedem habebat, multas Phrygiæ vrbes cepit. Huic Sultano defuncto successit filius, Chaichosroes nomine: quo imperante, Fridericus Barbarussa in Orientem arma cōuerit, & Turcas ad Iconium prælio vicit: filium Coppatinum, qui patrem regno expulerat, & Iconium cepit. Deinde Germanus quidam heros ingenti corpore, quum iter suum sequerentur, post exercitum equum fessum trahēs, à quinquaginta Turcis circumuentus, non magis se commouit, aut gradum accelerauit, quàm si nemo persequeretur: sed gladio vnū ex illis tam facilè in duas partes secuit, à capite simul cum equi strato vsq; ad tergum, vt reliqui territi abstinuerint. Friderico autem in flumine submerso, Germani domum redierunt. Quo tempore grauis seditio inter Turcas est orta. Clizastlanus enim potentissimus Iconij Sultanus moriens, quatuor filios reliquit, Masutum, Coppatinum, Rucratinum, & Chaichosroem. Masuto Amasiam, Anciram, Dorilæum, & alias Ponticas vrbes assignauit: Melitenem, Cæsaream, & coloniam quæ nunc Taxara dicitur, Cappatino: Amisam, Doceam, & alias maritimas vrbes, Rucratino. Chaichosroes Iconium tenebat, ipsius Sultani sedem, & cum ea Lycaoniam atque Pamphyliam, & quæ ad Cottianium vsque pertinent. Coppatino mortuo, de eius principatu Rucratinus, & Masutus certant. sed Rucratinus ingenio & rei bellicæ peritia vincit, & Masuto principatus partem adimit: atque hac victoria elatus, Chaichosroi, qui ex altera matre Christiana natus erat, Iconij potiundi cupidus, ni sibi regno cedat, bellum indicit. Chaichosroes igitur ad Imperatorem Alexium Angelum patris exemplo confugit: sed secus ac pater, nullis auxiliis impetratis, domum rediit. vixdum autem Iconium peruenit, cum à Rucratino pulsus, ad Lebunem in Armeniam fugit: vbi humaniter quidem acceptus fuit, sed nulla ope impetrata Byzantium rediit, ibique obscurus vixit. Hoc Alexio Angelo imperante, Veneti Byzantium capiunt: & Angelo pulso, Græci in Asia Theodorum Lascarim, eius generum, Imperatorem creant: qui non solum Bithyniæ & maritimæ oræ imperauit, verùm etiam in mediterranea longissimè progressus, à Caria, & qua Meridies est, Mæandro fluuio, Septentrionem versus quidquid ad Galaticum pontum & ipsam Cappadociam pertinebat, occupato imperij sedem Nicææ collocat. Quod ægrè ferens Alexius, per mare Aegæum Asiam ingressus, clàm Iathatinem, Rucratini filium Sultanū supplex miserabili habitu adit, vt imperium sibi restituat orās: & veterem amicitiam illi in memoriam reuocans, prætereaque aceruos pecuniarum pollicens: quibus rebus permotus Iathatines, statim Theodoro bellum exitiumque per legatos minatur, ni socero cedat: & copiis collectis, Antiochiam ad Mæandrum sitam obsidet. Theodorus verò & ipse exercitu, numero quidem Turcico longè inferiori, sed virtute pari, vel etiam superiore collecto, ei obuiam it: superatisque tertio die montis Olympi angustiis, quæ in maximam porrectæ longitudinem Bithyniam ad Septentrionem, Phrygiam verò ad Austrum habent: deinde Caystro amne traiecto, vndecimo die improuisus Turcas nihil tale metuentes adoritur: eosque facilè in loco angusto, vt nec copias explicare, nec equis commodè vti possent, ipso Sultano propria manu obtruncato, fudit, & Alexium captum liberaliter apud se habuit. Pòst Angelo Theodoro imperante, anno Salutis circiter MCCXL, Scythæ Asiatici, qui mediam inter Rhyphæos montes & Oceanum Septentrionalem planiciem incolebant (quos suprà Tartaros appellatos diximus) Asiam instar locustarum effusi penè vniuersam vastantes, Turcis bellum intulerunt, de quibus pauca nobis dicenda sunt. Erat hæc gens populosissima, omnium gentium ad Septentrionem vltima, quam Homerus mortalium iustissimam vocauit: cæterùm homines inopem regionem incolentes, omnium deliciarum, & agrorum ac vitium culturæ ignari, quibus victam præbebant spontè è terra natæ herbæ, & sanguis, & carnes iumentorum, ferarumque & volucrum venatus: vestem nulla arte confectam, animalium pelles: argentum verò, aurum & margaritas, cæterasque gemmas nihili faciebant: nullos solennes ludos, nulla ambitiosa spectacula, nullas disceptationes

haben-

habentes: sed pacatam, & seditionum expertem vitam agentes, ideoque sine lege, sine eloquentiæ vsu, & argutiis, innata eos iusticia regente, aurea libertate fruebantur. quæ regio instar amplissimi fontis innumeras variis temporibus gentes effudit: hoc autem tempore hæc gens omnis in septem tribus (quarum hæc erant nomina, Tatar, Tangur, Cunat, Talair, Sonich, Mongli, Tebeta) diuisa, vicinarum prouinciarum, nempe Georgorum regibus parebat, & augustam pro hominum ac iumentorum multitudine regionem habebant: cum senex quidam ex tribu Tatar, Cangio appellatus, vir obscuri quidem generis, sed prudentia & sanctitatis opinione insignis, & somnis oraculo admonitus, multisque miraculis eius orationi fidem facientibus, eos ad libertatem capessendam, vberioremque regionem & fines propagandos cohortatus, & Rex atque Imperator ab illis factus, extra inopem illam regionem, quæ instar peninsulæ Persidi & Caspio mari opposita, Scythico vndique Oceano clauditur, vnico tantum Isthmo, quem altissimi & inaccessi Rhyphæi montes quasi vallo quodã muniunt, Asiæ coniuncta maris fluctibus (quemadmodum narrat Hayton Armenus) vt via illis inter montes ac mare pateret recedentibus, eduxit. Quamobrem omnes illi Scythæ pòst à tribu, ex qua Imperator erat, Tatari dein Tartari sunt appellati, quorum antiquissimam originem multi (vt etiam de Turcis diximus) ad decem Israelis tribus referunt: quod vnde habeant, non video. mihi quidem illud constare videtur, Scythas à Magogo Iapeti filio, cuius in Sacris literis sæpe mentio fit, originem ducere: & decem illas tribus à Persarum rege non in Scythiam, sed in Mediam Persidemq; translatas fuisse. Sed vt vt se res habeat, Tartari eo quo diximus modo, Cangio (quem Camum, honoris gratia, hoc est summum Imperatorem vocauere) duce, ab Hyperboreis effusi, Ioanne Duca Byzantij imperante, ad Caspium mare descenderunt. interim verò Cangio Camo defuncto, successit Hoccota filius, vir prudens & fortis, duodecim fratrum natu maximus. is Gebesabada duce ad Occidentis regiones debellandas misso, ipse Caspiis angustiis superatis, Sogdiana, Bactrianis & Oxo Sogdoque flumine qui plurimis iisque magnis fontibus augetur, superatis, ad radices Tauri montis, vbertate illius regionis & præda antè parta fruens, hybernauit. Est autem Taurus mons omnium toto terrarum orbe maximus, qui continenti quodam iugo cohærens, & ab Occasu proximè Aegæum mare incipiens, atque ad orientalem Oceanum desinens, Asiam totam in duas partes secat: idem & Caucasus appellatus. vere autem terra graminibus & herbis florescente, relictis ad Caucasi radices hybernis, maximorum gregum vel armentorum instar, montium cacumina superant, & subiectos populos inuadunt. eosque omnes prædati, in Indiam penetrant, quanta in vtramque ripam maximi fluuiorum Indi patet, imperij finem Oceanum constituunt: ibique regia Cambalu, vrbe amplissima, & totius Asiæ ad omnem humanam iucunditatem optatissima, condita, Rex sedem suam posuit: regio Cathea olim, nunc Cathai vocatur. in qua vrbs altera, cuius ambitum P. C. M. patere M. Paulus Venetus affirmat: Quinsai appellatur, quæ vox cœlestem vrbem significat. Hoccota deinceps per legatos bella gerens, ex fratribus & regia stirpe delectos exercitibus præficiebat: ex his alij Septentrionem, Occasum alij, alij Austrum petierunt: & Arachosiis Caramanisq;, item aliis gentibus subactis, ac Perside occupata, Turcisq; inde pulsis, ad Chaldæos & Arabes peruenerũt. Deinde ad Babylonios & Assyrios transgressi, occupataq; Mesopotamia, Persas, Parthos & Medos subigũt. Pòst per Armeniam maiorẽ ascendentes, Septentrionem versus ad Colchidem, & finitimam illi Iberiã summa celeritate excurrunt, adeò vt res illorum & maximæ & clarissimæ fuerint. Habebat autem in animo summus ille Tartarorum princeps, imperij sui limites vndique litoribus maris terminare: sed amœnissimæ regionis Indiæ deliciis eneruatus, prouinciis, vrbibus, ædibus, prædiis feracissimis delicatissimisq; inter suos distributis conquieuerũt: & Assyriorũ, Persarum, Chaldæorumq; ritus acceperunt. Vbi igitur primùm Tartari isti Caspios montes transgressi, Alexandriam vrbem ad claustra ipsa sitam quæ nunc Portæ ferreæ nuncupatur, repentina vi occuparũt: Tur-

caram princeps Sultanus, hac nouorum ferocissimorumq; populorum irruptione vehementer territus, timens ne Tartarico bello distractus, hostilem Romanorum exercitum à tergo haberet, legatos omni rei gerendæ autoritate præditos, ad Imperatorem firmandæ pacis causa mittit: quod & Imperatori, vtpote cui Europæis bellis occupato, Turcæ contra Tartarorum impetum pro vallo in Asia essent futuri, gratum fuit. Fœdus igitur cum Turcis cupidè amplexus est, græco Imperio vtilissimum. Nam cum diuturnorum bellorũ ærumnis afflicti homines, iam neque agros colerent, nec armenta curarent, summa annonæ penuria vbique laborabatur, et æraria quoque diuturnis sumptibus erant exhausta, quamobrem iis nunc liberatus, ad pacis artes animum cõuertit: ac vt suo exemplo reliquos excitaret, ipse tantum incultæ terræ, vt bonum patremfamilias & populi principem decet, sua cura colendum suscepit, arationi & plantandis vineis idoneæ, quantum satis fore putabat ad suã mensam, eos & sustentandos, quos pro liberalitate ac perpetua benignitate fouẽdos susceperat: pauperes videlicet, & variis afflictos morbis: quib. domicilia assignauit, & curatores præfecit, qui & agros colere, & vineas plantare scirent, & quotannis vberem frugum copiam reposuit: atque etiam armenta equorum & boum, ouium item & porcorum greges, ac varia genera cicurum auium parauit, vnde multiplicem quotannis prouentum percipiebat: & idem cæteris cognatis suis ac proceribus atque nobilibus faciendi autor fuit, vt cum quisq; haberet vnde viueret, nemo plebeios & inopes per vim opprimeret, aut grauia tributa imperaret: sicq; Romana Respublica omni maleficio & crimine vacaret, adeò vt paucorum annorum spacio omnium & horrea & cellæ referta frugibus & vino conspicerentur: & viæ ac plateæ, stabula & ouilia, pecorum multitudinem, gallinarumque & cæterarum auium greges vix domus & horti caperent. Huic felicitati accessit, vt Turcæ fame & maxima annonæ penuria affligerentur: vnde factum est, vt omnes illorum auri, argenti, cæterarumque deliciarum & preciosarum rerum opes, hoc diuino Imperatoris consilio in Romanorum manus peruenerint. Videre enim erat, ab illis maximi precij merces exiguo frumento commutari: & quælibet auis, bos, hœdus, magno precio veniebãt: tum viæ omnes eius gentis hominum, mulierum, virorum & puerorum, adeuntium & abeuntium à Romanis prouinciis plenæ erant: adeò vt, cum oua Imperatricis gallinarum quotidie venderentur (neque enim omnia in familiæ vsum consumi poterant) eaque Turcæ magno precio emerent, pecunia ex illis collecta, exiguo tempore ipsi Imperatrici corona, gemmis & margaritis preciosissimis distincta facta sit: quam ideo Imperator Ouatam nominauit: sic breui Imperator, & se, & suos omnes fortunis beatos reddidit. Interea Tartaris, Baydo duce, in Turcarum fines progredientibus, Iconij Sultanus quàm maximo potuit, ex omnibus gentibus exercitu collecto (habuit enim & Græcorum & Latinorum, hoc est, Italorum, Germanorum & Gallorum duas cohortes, ex quibus Græcæ cohorti præfuit Ioannes Lyuitnada Cyprius, vel, vt alij volunt, Palæologus, qui ab Imperatore defecerat: Latinæ autem Bonifacius Molineus, patricius Venetus) suis quemque vestibus & armis ornatum, & sic Tartaris prope vrbem Arscor in Armenia maiori, in loco qui Cosdrach dicitur, occurrit. Tartari peregrino exercitu conspecto, maiora illi auxilia missa fuisse opinantes, vehementer territi fuerunt: & nisi quidam Sultani cognatus, in ipsius pugnæ initio cum magna manu, veteris simultatis memor, ad hostes defecisset, terga daturi erant. quæ res Turcarum fortunas euertit, & Tartaris regnum illorum penè totum adiecit. Tartari enim prælio victores, Euphrate fluuio superato, Syriam vsque ad Palæstinam & Arabiam subigunt. Deinde reliquiis Syrorum, Arabũ, Phœnicũ annuis tributis imperatis, multis manubiis onusti Orientẽ repetunt. Sed anno sequenti rursus intra Euphratem irrumpentes, Septentrionem versus in Cappadociam & ad Thermodontem fluuium peruenerunt: Iconioque Turcarum regia capta: Azatines Sultanus cum fratre Meleco exul ad Imperatorem Michaelem Palæologum confugit, quem ipse paulo antè liberaliter

& muni-

& municificè apud ſe profugum habuerat: eumque veteri amicitia in memoriam reuocata, rogat vt vel opem ferat contra Tartaros, vel partém aliquam agri, ac veluti coloniam ſibi aſſignet, in qua cum ſuis tutius conſidere queat. adducebat enim ſecum vxores & liberos, famuloſque multos cum magnis diuitiis. Imperator autem, tot vndique bellis vrgentibus, copias ſuas minuere nolebat: terræ autem partem tanto viro, qui multis prouinciis imperaſſet, & regio faſtu ab ineunte ætate educatus eſſet, aſſignare periculoſum exiſtimabat. ſubiectos enim ſatrapas, ducem ſuum quæſituros, & variis in locis diſperſos, vt planetæ nocturnu aberrantes, ad eum qui facem præfert, & viam monſtrat, concurrunt: ſic illos ad regem ſuum accurſuros, ac tandem Romanos inſigni clade affecturos. Quamobrem eum ſpe fouens, ancipitem detinebat: vbi cum Chriſtianis parentibus Azatines natus eſſet, & ſacro fonte ab ineunte ætate lauatus, ſacras conciones aſſiduè cum Imperatore adibat: & tamdiu apud Imperatorem manſit, donec Scythis Europæis adiuuantibus, ex oppido Aeno cum filio ſuo Meleco profugit, Iſtrumque traiecit, & paulo pòſt obiit. Melecus verò per Pontum in Aſiam ad Tartaros tranſiit: ab eiſque Turcicæ gentis regnum, vt paternam hæreditatem, impetrauit. Sed ſatrapes quidam nomine Amurius, illi infeſtis armis occurrit, adeò vt fractus Heracleam Ponti vrbem confugerit: ſed paulo pòſt ad ſuos reuerſus, patrium regnum recuperauit, ſed breui per inſidias fuit interfectus. Sicque euerſum eſt Turcicum imperium, atque ex optima diſciplina, ſplendidaque fortuna, ad maximam perturbationem prolapſum: quoniam non modò proceres & nobiliores regnum in plurimas partes diuiſerunt, verùm etiam multi obſcuri & ignobiles homines infima plebe aſcita, latrocinari cœperunt, præter arcum & pharetram nihil ſecum geſtantes: qui anguſtiis montium inſeſſis, finitimos agros, & Romani imperij vrbes crebris incurſionibus vexabant. Nam paulo antè acciderat, vt præſidia quæ arces tuebantur, cum annua ſtipendia illis ab Imperatore non numerarentur, inde migrarent. quæ res initiò, vt parui momenti, neglecta, maximas tandem clades Romano Imperio attulit. Turcæ enim, cum à Tartaris pellebantur, Græcos pellebant: & quàm infirmi contra illos, tam fortes contra hos erant, adeò vt tandem etiam ad aperta bella deuenerint. Multis enim Turcarum copiis in Paphlagonia collectis, Imperator magno & firmo exercitu celerem illorum quantum fieri poſſet, incurſionem inhibendam cenſuit, ne impunè longius euagarentur. Itaque collectis copiis, exercitum contra eos miſit: qui Turcas prælio victos, dum fuſe nimis vltra fluuium perſequuntur, in inſidias præcedenti nocte à Turcis paratas incidentes: hinc recenti milite & inſtructo exercitu, illinc flumine intercluſi, penè omnes cæſi ſunt. Vnde pòſt Turcæ Romanus prouincias populabundi, ad Sangarium amnem vſque percurrentes, à mari Pontico atque Galatia, ad Lycium & Carium mare, & Eurymedontem fluuium omnia ſuæ ditionis fecêre. Hoc etiam tempore in Ægypto Mamaluchi, id eſt ſerui regnum occupârunt, imperiique fines in Africam & Libyam Gades vſque promouerunt: nec non Phœniciam & Syriam, omnemque oram maritimam domuerunt. quod quomodo factum ſit, explicemus. Calyfæ & omnes Sarraceni, eius regionis deliciis eneruati, eò ignauiæ venerant, vt ditiſſimum regnum poſſidentes, facilè à quouis debellari poſſent: & Calyfæ ipſi toti luxui ac voluptatibus dediti, nulla negocia curarent, ſed omnia per regni Admirantem adminiſtrarent. Cum igitur Balduinus Ieroſolymorum rex, Ægypti regnum ſibi vectigale feciſſet, idque vectigal Almericus eius frater & ſucceſſor ſibi pendi poſtularet, & Ægyptij ei denegarent: ipſe cum exercitu Ægyptum petiit, & Darganum regni Admirantem, in ſolitudine cum copiis occurrẽtem prælio vicit, eumq; in vrbem Bilbin fuga ſe recipere coegit: ac Nilo, qui tunc annuum ſuum incrementum habebat aggeribus ab Ægyptiis, vt eius victoriæ curſum ſiſterent, ruptis, reſtagnante, ſpoliis hoſtium onuſtus, ne cum toto exercitu aquis ſubmergeretur, in regni ſui fines rediit. Qua occaſione arrepta, Sanar, quem Darganus paulo antè eadem Admirãtis dignitate, vi deiecerat, quiq;

ad Arabes tribules suos confugerat, ad Norandinum Sanguini filium, Damascenorum regem potentissimum, se contulit: & auxilium ab eo contra Darganum iam fractum, & populo inuisum petiit: idq; multis muneribus promissis à Norandino, se, si sui milites semel Ægyptum essent ingressi, facilè eo regno potiturum sperante impetrauit. dedit illi Norandinus magnus auxiliares copias, quibus Syraconum militiæ suæ principem præfecit, virum industrium, fortem, & supra fortunarum suarum vires liberalem, gloriæ cupidum, & rei militaris peritissimum, quem munificentia militibus carum efficiebat: sed obscuro genere natum: quibus auxiliis fretus Sanar Ægyptum inuasit. Dargan verò territus, ab Ierosolymarum rege opem, fœdus cum eo perpetuum paciscens, petiit: sed priusquam legati eius cum responso rediissent, à quodam ex suis sagitta interfectus fuit, cum iam Sanarem & Turcas vno prælio vicisset. quamobrem Sanar quasi victor voti compos factus est, eiusque consanguineos ac familiares omnes interemit: Calysa interea, quasi altissimo somno consopitus esset, in voluptatibus luxuque immerso. nihil enim sua interesse arbitrabatur, quis regni negocia curaret, modò is se dominum nuncupatum agnosceret. At Syraconus Bilbin vrbem, olim Pelusium, occupauit, sibique retinuit. qua remotus Sanar, fœdus à Dargano cum Almerico pactum instaurauit: sicq; Almericus cum exercitu in Ægyptum profectus, & coniunctis cum Sanare viribus, Bilbin obsidione cinxit, Syraconumq; ad deditionem compulit: qui inde digressus Babyloniæ Calysam adiit (Norandinus enim, aliis cum Christianis in Syria gerendis occupatus, Ægypti rebus vacare tunc nō poterat) & AEgypti opibus, vbertate, populique mollicie expositis, eum ad id bellum capessendum, iam antè æmuli sui odio id cupientem, impulit: ingentibusque Arabum, Persarum ac Turcarum, qui Babylonium pontificem venerabantur, copiis collectis, & multorum dierum commeatu, propter solitudinem quæ inter Syriam atque AEgyptum est, sumpto, rursus in AEgyptum contendit. Quod audiens Almericus, & ipse exercitum quàm potest maximum colligit. pugnatum est in solitudine, ancipiti vtrinq; fortuna, & cruento prælio. Syraconus ex fuga se cum exercitus reliquiis Alexandriam recepit, quam Almericus diu obsessam deditione cepit: & Syraconus secum suis Damascum contulit, Almericus verò in regnū suum rediit. Sed paulo post Sanarem cum Norandino fœdus contra se moliri aut suspicatus, aut ob eius regni occupandi desideriū fingens, Ægyptum inuadit, & Bilbin vrbem vi capit: in omne genus hominum omnemque ætatē ac sexum ferro & flamma sæuiens, quamobrem Sanar à Norandino auxilium petit: & simul ingenti pecunia promissa, tamdiu Almericæ victoriæ cursum remoratur, donec auxiliares copiæ veniant. de quarum aduentu certior factus Almericus, Ægypti finibus excedit. Itaque Syraconus, qui Norandini copias ducebat, Ægyptum externis auxiliis spoliatam nactus, Cairum regni sedem petit, Sanarem ad colloquium egressum obtruncat: vrbeque sttatim potitus, Calysæ honorem exhibet: ab eoque Admirans regni appellatur: eaque dignitate annum potitus obiit: Saladinum, suum ex fratre nepotem, acris ingenij, fortemque, & liberalissimum virum successorem relinquēs. qui statim Calysam cum tota eius progenie trucidauit, vt solus vtranque potestatem obtineret: & sic opulentissimum illud regnum Turcis cessit anno M C L. Deinde Saladinus, vt erat prudens, Ægypti molliciem vidēs (quæ homines ita eneruaret, vt sēper eius reges, si qua maior vis ingrueret, externis auxiliis opus haberent) aliquod militiæ genus instituere statuit, quod eius regni propugnaculum esset: & populos qui magis ad Septentriones vergunt, Australibus ad belli vsum aptiores fortioresque esse videns, cum populis quibusdam, qui circa Mæotim & Pontum sedes habent, Circassis, à Plinio autem & veteribus Zigis appellatis fœdus init, commerciumque instituit: vt pueros & adolescentes ab illis certo precio haberet, qui in AEgyptum perducti, atque ab ineunte ætate in militari disciplina instituti, armorumque vsum edocti, soli arma tractarent, honoresque ac dignitates bellicæ penes illos essent. Sunt enim Zigæ natura ferocissimi, laboribusque perpetuis & malis perferendis, iam ab

incuna-

incunabilis aſſueti: eam Ponti ac Mæotidis oram, quæ circa Phaſin fluuium, Colchidis terminum, atque Tanaïs oſtium eſt, incolentes, qui tractus patet circiter D. M. P. qui non in vrbibus, ſed hinc inde ſparſi & vicatim habitant: religione Chriſtiani, verùm nonnullos à noſtris diſſimiles ritus habent. infantes ſtatim vbi nati ſunt, vel media hyeme, ad flumen deferunt, ibique lauant: omnes ferè formoſi ſunt. regio paluſtris eſt, arundinibusque plena, ex quibus & tuguria faciunt. cum Tartaris, & aliis finitimis gentibus perpetua bella gerunt. nobiles nunquam niſi armati, & lorica induti conſpiciuntur: ſemperque equis inſident, quos ad curſum habent aptiſſimos: ſed plebeios nullum habere patiuntur. eos enim agros colere cogunt. Regem nullum, dominúmve habent, aut leges ſcriptas: nec literas vllas norunt, verùm lites omnes aut armis aut amicorum interceſſu dirimunt: in peregrinos hoſpitales ſunt, raptoque, aut ex venatione victitant. Ad hos igitur Saladinus quotannis negociatores ſuos mittebat, qui iuuenes ab illis bello captos, aut etiam pauperum inter illos filios emptos, in Ægyptum perducerent. ex iisque validam militiam inſtruxit: qui pòſt Mamaluchi, id eſt ſerui, ſunt appellati. quorum opera Damaſcum, Norandino defuncto, vniuerſamque Syriam, & Chriſtianis pulſis Iudæam quoque, nec non & maximam Africæ partem occupauit: ita vt pòſt tres eſſent maximi inter Turcas principes, quorum vnus Perſidi, alter Cappadociæ cum vicinis prouinciis, tertius Ægypto & Syriæ imperaret. Regnauit autem in AEgypto, huius Saladini genus, per centum & quinquaginta annos: ſolique AEgypti reges, eius poſteri, aduerſus Tartaros, huius militiæ et fœderis, quod cum Zigis habebant, beneficio inuicti permanſere. nam quotieſcunque Tartari eis bellum inferebant, Zigæ viciſſim Tartarorum fines ab altera parte populabantur: & Mamaluchi Tartaros fortitudine, atque rei militaris peritia longè ſuperabant. Saladini autem genere extincto, cum nullus ſupereſſet legitimus regni hæres, omniſque poteſtas penes Mamaluchos eſſet: qui Zigarum morem ſeruantes, quaſi ipſi ſoli nobiles eſſent, & AEgyptij omnes plebeij, neminem in tota AEgypto, præter ſe, equum aut arma habere patiebantur: ipſi ex ſuo numero quendam, cui Peperis nomen erat, regem crearunt: eum morem in poſterum ſeruantes, vt non filius patri ſuccederet, aliquáve regiæ ſtirpis ratio haberetur: ſed regis filii non ſecus atque cęteri ſerui, qui quotannis aduehebantur, in armis inſtituerentur: nec quiſquam paternam hæreditatem, aut aliquid ſupra id quod ipſemet meruiſſet, commodi honorísve haberet, verùm ſingulis omnia ex propria virtute eſſent petẽda. Fuit AEgypti regnum à Saladini ſtirpe ad Mamaluchos translatum, anno à Chriſto nato circiter M C C C. hique ad annum M D X V I I regnarunt: tunc enim à Selimo Turcarum Imperatore deleti ſunt. Regno igitur AEgypti in hunc modum à Saladino occupato, eiusq; Calyfa extincto, vnicus inter Sarracenos Calyfa manſit, qui Bagadeti ſedem habebat, & quaſi Deus quidam à Sarracenis & Turcis colebatur. Sed eum Haloonus Tartarorum Imperatoris legatus, anno M C C L V I I I. in poteſtatem ſuam redactum, Muſtaceno Munibila, qui tunc eam dignitatem obtinebat, inter ingentes quas habuerat diuitias, fame necato ſuſtulit. Deincepsq; Sarraceni ducentorum ferè annorum ſpacio ſummo pontifice caruerunt, donec in Perſide iterum Muamedis genus, circa annum Salutis noſtræ M C C C C L X X X regnare cœpit: quod quomodo factum ſit, eſt nobis indicandum. Erat quidam regulus inter Perſas, Ardenelim oppidum obtinens, Sophi appellatus, qui ſe ex Alis, Muamedis generi, ſtirpe, per Muſam Cazinum eius nepotem, cuius in primo Libro mentionem fecimus, oriundum gloriabatur. hic Babylonio Calyfa extincto: & aduerſa factione, quam Turcæ tuebãtur, à Tartaris depreſſa, cœpit liberius ſuam de religione ſententiam profiteri & quia Hocemus Alis filius, à quo ipſe ſe genus ducere iactabat, duodecim filios habuerat: volens aliquod ſectæ ſuæ, quo à cæteris dignoſcerentur, ſignum imponere, inſtituit, vt qui ſuam ſectam amplecti vellent, tyaram ſub velo, quo caput Turcæ omnes inuoluunt (tulibantem appellant) purpuream geſtarent, quæ in medio extra tulibantem duodecim faſtigia emitteret. Eoq; mortuo, ſucceſſit filius Guines appellatus: qui tãtã ſibi

in toto Oriente doctrinæ sanctitatisq; opinionem conciliauit, vt Tamerlanes ille clarissimus Parthorum Imperator, qui Baiazetem Turcarum regem cepit, per Persidem iter faciēs, eum quasi sanctum aliquem virum inuisere voluerit: ab eoq; Guines triginta captiuorum, quos secū abducebat, millia dono impetrarit, quos ipse pòst in secta sua instituit: eorumq; opera Secaidar eius filius in bellis vsus est. is enim Guine mortuo, Georgis Scythię populis, suis finitimis, sed Christianis horum viribus fretus, bellum intulit, multisq; illos cladibus afflixit. Regnabat in Perside Turca quidam, Mirza Geunsa appellatus: isq; cum Hacembeco (quē alij Assambeium vocant) Armeniæ maioris, quæ ab illis Diarbec vocatur, rege itidem Turca, bellum gerebat: quo in bello Acembecus, Mirza in prælio occiso vicit. & Perside potitus, quia obscuro genere ortus erat, nec propinquos habebat, vt regni statum affinitatibus muniret, filiam suam ex Trapezūtij Imperatoris filia, quæ Chistiana erat, natam, Secaidaro nuptui dedit. Hacembeco autem mortuo successit illi Iacobus Becus, quæ vox dominum significat: is Secaidari sororij sui potētiam, quam tum ex noua secta, tum Georgicis bellis adeptus erat, metuens, eum insidiis in eo ipso bello quod cum Georgis gerebat auxiliis clàm eius hostib. datis interfici curauit: & duos eius filios Ismaëlem & Solymanum, cuidam familiari suo ad Mansorem Depornam Siraciæ vrbis, quæ longissimè distabat, præfectum perducendos dedit: eiq; mandauit, vt eos in arce munitissima Zalgah, quæ in ardua rupe est, sub custodia tamdiu haberet, donec ipse aliud mandasset. Sed Mansor eorum, ob Alis, à quo originem antiquissimam ducebant, honorem, misertus, liberaliter apud se habuit, & cum suis liberis in literis institui curauit: cumq; post aliquot annos in grauissimum morbum incidisset, quo sibi vitæ finem imminere videbat, metuens ne Cacemus filius adolescēs se mortuo hos iuuenes Roceno, qui Iacobo patri mortuo successerat, traderet: eos pecunia, equis & comitib. itineris datis, ad matrem et propinquos ipsorum misit: vbi de statu suo, quem hactenus ignorauerant, edocti, et propinquis atq; clientibus paternis vndiq; ad eos accurrentibus: Ismael maior natu, qui ingenio maiori erat præditus, fato eum suo & animo inuitantibus, se patris necem vlcisci velle dixit: & post aliquot incursiones in Georgiorum fines factas, exercitu eius quotidie crescente, se Alis doctrinæ viriumq; defensorem nuncupans, Roceno Persarum regi bellum intulit. & quoniam is duodecim fratres habebat, cū quibus de regni successione armis contendebat: ipse illum cum reliquis omnibus, Marabeco excepto, interemit. Marabecus autem ad Turcarum principem Selimum confugit, eiusq; opem implorauit: vnde pòst multa inter Ottomanidas & Sophianos bella sunt orta. sed priusquam ille Turcarum auxilia impetrasset, Ismael non solū Perside tota est potitus, verùm etiam multas de Tartaris præclaras victorias retulit: & sic rursus in Perside Sarraceni Turcis pulsis regnare cœperunt, anno post Christum Seruatorem natū circiter M D: & hodie regnant. Turcę autem coniunctis viribus, cum omnes in Asia Romanorum prouincias ad mare vsq; occupassent, eas inter se sorte distribuerūt: qua in distributione Phrygiæ mediterranea, Philadelphiam vsq;, & prope Antiochiam ad Mæandrum fluuium sitam, Carmano Alisurio obuenerunt, vnde regio pòst Carmania dicta est. Quicquid inde est Smyrnam vsq;, & ad interiorē Ioniæ oram, Sarcano cuidam obuenit. Magnesiam, Prienem & Ephesum, Sasan occupauit. A Lydia & Ætolia ad Mysiam, ad Hellespontum sitam, vsq; Calames, atq; eius filius Cerasus obtinebant. A flumine Sangario ad Paphlagoniam vsq;, Armurij filij inter se partiti sunt. Quæ citra Olympum sunt, & Bithyniam omnem, obtinuit Atman, siue Ottomanus (à quo hæc familia, quæ hòdie regnat, originem habet) Anno Salutis nostræ supra millesimū trecentesimo, Alberto primo Austrio Cæsare, imperante. ab hoc Ottomano, Laonicus Chalcocondyla Atheniensis, Paulus Iouius, & cæteri Græci pariter ac Latini Turcicarum rerum Scriptores, historias suas auspicantur: quocirca nos, ne Iliada post Homerum canere videamur, hic finem facimus.

SARRACENICÆ HISTORIÆ C. AVGVSTINI CVRIONIS FINIS.

DE

DE SARRACENIS ET TVRCIS, CHRONICON WOLFGANGI DRECHSLERI.

Emendatum & auctum.

à

GEORGIO FABRICIO CHEMNICENSI.

Cum appendice,

Qua historia illa ad hæc vsque tempora continuatur, addità.

à

IOANNE ROSINO ISENNACENSI THVRINGO, MINISTRO VERBI DEI IN TEMplo Cathedrali apud Naumburgenses.

DOCTO ET INSIGNI VIRO, D. GEORGIO FABRICIO, MISENÆ SCHOLÆ PRINCIPIS RECTORI, Wolfgangus Drechslerus S. D.



ACEDÆMONIORVM *magnus ille Rex Agesilaus aduersus Persas moturus arma consuluit oraculum Iouis Dodonæi, quod cum annuisset eius instituto, cupiens futuræ victoriæ geminum habere argumentum, adiit quoque Delphicum Apollinis oraculum, vt cognosceret, num eadẽ filio recta esse viderentur, quæ parenti. Apolline autem Iouis approbante consilium, tandem Agesilaus cogit exercitum. Quod factũ admonet, in rebus bellicis nihil temerè, omnia sano cõsilio esse attentãda. Vt autem victoria felix contingat, sciamus malam vitam nostram esse emẽdandam. Correctione enim vitæ neglectâ, malè bellum successurum nulli dubiũ est. Quamobrem cum iam cuncta sursum deorsumq; ferantur, volui ob oculos ponere, quæ digna notatu à scriptoribus tẽporum de victoriis Sarracenorum & Turcarũ visa sunt, vt cũ in his perspiciamus, quæ mala perpessi fuerint alij, ipsi quoq; reuocemus in animum, eadẽ nobis mox euentura, nisi malæ vitæ nos pœnituerit. Quod enim apud veteres oracula minata sunt, hoc nos miseri huius temporis, & superiorum annorum exempla docent. Testatiorem autem in te redditurus, optimè* Georgi, *meum amorẽ, volo hunc laborem tibi dedicatum esse & inscriptum, quem vt bono animo suscipias, te oro. Quodsi quid non satis Latinè dictum inter legendum occurrerit, rogo vt emendes, & facias Latinius. Inter turbas enim rusticæ gentis cum verser, præter rustica & inepta verba loqui, nihil scio. In numero annorum scriptores temporum non omnes conueniunt: sed nos sine auctore nihil diximus, & tibi viro erudito, ac plurimæ lectionis, iudicium permittimus. Vale perpetuò felix & Hiobum Magdeburgum* Collegam *tuum saluta. Ex rure Leubniciano, Non. Ianuarij, Anno* CHRISTI *nati M. D. L.*

CHRISTOPHORVS SCHELLENBERGIVS AD LECTOREM.



Errarum quantis vexârit cladibus orbem
Horribili vastans omnia Marte Getes,
Quæq; suis regnis adiecit oppida: quamq;
Florentes regum debilitârit opes:
Seu qua sol medio, seu qua prono errat Olympo,
Declarant isto, quæ legis acta, libro.
In quo non ratio leuis, aut hortatur inanis,
Vt vereare tuum corde timente Deum.
Nam toties fidei, proh amica, tot agmina nostra
Hostis crudeli Thracius ense ferit:
Talia peccatum parit infortunia nostrum,
Dum vindex æqui permanet ira Dei.
Si tecum repetas humanæ crimina vitæ,
Vix sceleri pœnam dixeris esse parem.
Ergo vicem doleas miserādæ sortis acerbam,
Illorum tantis & moueare malis,
Qui Turcas inter, spe libertatis ademta,
Tractantur miseris corpora capta modis.
Nec peragas nimium securè tempora vitæ,
Dum procul instantem credis abesse luem.
Quæ mala per Geticū multis illata tyrannum
Gentibus; & capiti sunt metuenda tuo.
Nam subigunt Turcæ quo plura tyrannide regna,
Hoc opibus pugnant addere plura suis.
Nec nostris vllo satiantur tempore damnis,
Donec habet vires curua Sarissa suas.
Hos igitur nostris auerti finibus hostes
Si cupimus, duro nec dare colla iugo:
Cœlica saluantis ne tollant dogmata verbi;
Et statuant fictos in pia templa Deos:
Christiadū fuso neu tingāt sanguine terras:
Et rapiant dirâ, sacra, prophana, manu:
Inprimis (careat nemo cum crimine) debet
Delictis vitæ quisq; dolere suæ.
Post veniam CHRISTVM *commissa poscere culpæ,*
Corrigere & vitæ turpia facta suæ.
Tum quoque suppliciter det verba precantia, nunquam
Propitij dubitans de bonitate Dei;
Vt donet placidæ dulcißima cōmoda pacis,
Vertat & in trepidam Turcica castra fugam.
Nam Mahometigenæ gentes, omnísq; malorum
Turba per assiduas est superanda preces,
Sæpè quidem populi sumpserunt arma potentes,
Sed tamen inuictis succubuêre Getis.
Ergò verere Deum, crebrísq; obtunde querelis,
Vt supera clemens te tueatur ope.
Sic tibi nulla dabunt Rhodopæi damna latrones;
Flectetur iusti sic grauis ira Dei.

ABRAHAMVS FVSIVS.

Miraris grauibus iactari casibus orbem?
Desine: iusta premit vindicis ira Dei.
Optima negligimus diuina dogmata legis:
Pro clara tenebræ luce placentq; graues.
Inde leuis sequitur cæcas confusio mentes:
Quísque sui capitis somnia vana probat.
Aspice Turcarum quæ sit doctrina, chaósque,
Quanta sit impietas, quanta libido simul:
Quā tetros habeat cultus, quantósq; furores:
Mentéq; peruersa quàm scelerata patrent:
Sic mentes cæcat sancti neglectio verbi:
Sic cupidis sensum dat reprobúmq; Deus.
Seditio furiosorum testatur agrestûm:
Quos sensus iußit bella mouere malus.
Hinc pueros etiā spoliant qui fonte sacrato?
Aut quoque Baptismum qui renouare solent.
Hinc qui de Christi consuêrūt ludere cœna:
Atque quibus Iesus esse negatur homo.
Hinc alias torquēt variè qui Biblia sancta;
Scriptura miseris qui iugulántq; modis.
Non igitur mirū, si tanta pericula mūdum,
Et si tot casus, tristitiæq; premunt.
Sed resipiscamus, Christum veniámque precemur,
Ne sermone suo nos spoliare velit:
Sed nostris illum pedib. sinat esse lucernam,
Quo sine nulla quies, quo sine nulla salus.

DE SARRACENIS ET TVRCIS CHRONICON,

Wolfgangi Drechsleri.

SARRACENORVM REGNVM.

ANNO à nato CHRISTO 596. nascitur Machometus in Arabia X. Calend. Maij, patre Abdara, matre Emma, ex gente Ismaëlitarum, temporibus Mauritij Imperatoris, & Gregorij, Pontificis Romani.

Anno 623. Machometus instinctu & insidiis Ioannis Antiocheni, & Sergij Italici Monachi Alcoranum scripsit, & suo pernicioso dogmate seducens Arabas, aliósque Asiaticos populos, eos Sarracenos nuncupauit.

637. Moritur Mahometus, ætatis agens annum vnum & quadragesimum, sepultus in Mecha Persidis vrbe.

638. Hierosolyma post biennalem obsidionem à Sarracenis deuastata.

639. Tota Syria à Sarracenis clade affecta est.

640. Sarraceni ab Imperatore Romano defecerunt.

641. Antiochia à Sarracenis euersa, Damascus capta, Phœnicia oppugnata, subacta Ægyptus.

648. Maximam partem Africæ Sarraceni suo imperio subiugârunt.

655. Rhodus nobilissima insula à Sarracenis oppugnata est, quam capientes, plurimum ex ea auri auexerunt: & Colossum Solis nobilem altum 110. pedes: ex cuius ære Iudæis vendito, noningentos Camelos onerasse dicuntur.

656. Ægæum mare piratica infestârunt, & Cycladibus insulis multa intulerunt damna.

663. Sarraceni Olympium Italiæ exarchum in Sicilia cum toto exercitu fuderunt.

668. Constantinus IIII. cum Muchamodo rege Sarracenorum hac conditione pacem fecit, vt Sarraceni magnam vim auri Romanis exoluerent, cum insigni equo, & cum nobili puero.

672. Irrupêre Sarraceni in Siciliam, & Syracusis captis, omníque terrâ deuastata, Alexandriam rediêre.

675. Obsessa est Constantinopolis à Sarracenis, quâ frustra sæpius oppugnata, cum nauibus conscensis domum redire statuissent, maior eorum pars naufragiis periit.

676. Romani Sarracenos vicerunt, occisis triginta eorum millibus.

679. Pax secundò inter Romanos ac Sarracenos ad triginta annos hac lege facta est, vt Sarraceni Romanis tria millia librarum auri, quinquaginta captiuos nobiles, cum totidem equis annuatim soluerent.

686. Sarraceni rege Ammirrhato Africam, & Libyam inuaserunt, multis spoliis ditati.

687. Mortuo Constantino, Iustinianus eiusmodi conditionibus cum Sarracenis pacem iniit, vt Africa & Libya imperio restituta, per decem annos singulis diebus mille aureos, & equum cum nobili puero loco tributi penderent.

688. Hoc fœdere rupto, Iustinianus pugnam cum Sarracenis iniens, plurimum damni ab iis retulit.

692. Fusis per Sarracenos Romanis, nomen Sarracenum creuit, dignitas Romanorum valde imminuta est.

698. Abimelech Sarracenorum rex Africam inuadens, non diu victoriam gauisus est.

700. Romani Syriam deprædantes, ducenta millia Sarracenorum fuderunt.

706. Contentione de imperio inter Iustinianum, & Leontium orta, Sarraceni Africam rursus occupauerunt.

710. Sarraceni ex Libya nauigantes, primùm intulerunt pedem Hiſpaniæ, vaſtantes Tarraconenſem, Bethicam, & Luſitaniam.

718. Cum trecentis nauibus Sarraceni Aſiatici Conſtantinopolim appulere, & eam mari, terraque acriter oppugnarunt. Eodem anno in Bulgaris duo & viginti millia Sarracenorum cæſa.

719. Zulemon Sarracenorum Rex, in caſtris ante Conſtantinopolim moritur, ſublato in eius locum Ammiratho.

720. In obſidione Conſtantinopolitanæ vrbis multi ex Sarracenis, fame, peſte, & frigore interierunt. Superſtites cum domum reuerti ſtatuiſſent, exorta tempeſtate maris, & igne de cœlo cadente, partem igni, partim aquis conſumti ſunt, adeò vt ex claſſe trium millium nauium, quinque tantum naues euaſerint. Durauit hæc obſidio totum biennium. Eodem anno Sarraceni reſarturi perpeſſa mala, cum ingenti exercitu in Hiſpaniam irruunt, omnem terram excepta Gallicia depopulantes.

721. Abidimarus Sarracenorum Africanorum Dux Burdegalam Galliæ vrbem, vi captam diripuit, & in Pictauos mouens à Carolo Martello repreſſus eſt. Abidimaro autem Principe occiſo, Sarraceni aliquantulum ab armis quieuêre.

730. Sarraceni deductis ſecum vxoribus, liberis, ac omni familia, in Hiſpaniam incurrunt, quaſi perpetuo ibi habitaturi. Cum iis pugnam iniit Carolus Martellus, Gallis in auxilium vocatis, & trecentis octuaginta millibus Sarracenorum interfectis, ipſe tantùm mille & quingentorum militum ex ſuis iacturam fecit.

735. Carolus Francorum rex Auinionem, claram Galliæ vrbem, à Sarracenis dolo captam ſua virtute liberauit.

737. Carolus multas alias ciuitates, expulſis Sarracenis, paci ac libertati reſtituit. Amortheo altero eorum duce occiſo, Athino altero fugato.

738. Idem adiutus Luitprandi Longobardiæ regis auxiliis, ex tota Gallia Sarracenos eiecit atque expulit.

744. Conſtantinus Copronymos Imperator Conſtantinopolitanus claſſem aduerſus Sarracenos Ægyptios duxit.

759. Sarraceni in Oriente ſuo imperio ſemper aliquid, quod Romanorum erat, ſubiecerunt, Romanis inteſtinis odiis diſſidentibus, & in ſolos Galliarum reges intentis.

778. Carolus Magnus contra Sarracenos pugnauit feliciter in Hiſpania. Rolandus Sarracenum Chriſtianos ſępè prouocantem duello vicit, eóque ſtrato ſuis faciliorem victoriam præbuit.

779. Rolandus fortiſſimus vir, Berthæ Caroli Magni ſororis filius, à Sarracenis cum quadraginta millibus Chriſtianorum deletur.

780. Leo Quartus Imperator in Sarracenos Syriam inhabitantes, incurſionem fecit.

803. Aaron Sarracenorum Princeps, cum trecentis millibus expeditis equitibus, Nicephorum regem Conſtantinopolitanum oppugnauit, eumque tributarium reddidit, impoſitis legibus iniquiſſimis.

807. Sardinia & Corſica inſulæ à Sarracenis vaſtatæ.

826. Sarraceni Cretam inſulam ſuæ ditioni ſubiiciunt, Græcis duplici prælio ſuperatis.

828. Sarraceni Aſiatici in Palæſtinam: Africani in Siciliam irrumpunt.

830. Bonifacius Corſicæ Comes, Chriſtianorum auxilio deſtitutus, exceptis Hetruſcorum populis, traiecit in Africam, & inter Carthaginem & Vticam, quatuor præliis victor exſtitit, & terrore nominis ſui ex Sicilia Sarracenos domum ire ad propria defendenda compulit.

835. Aſiam inuadentes Sarraceni, Amoriam capiunt, Theophilum Imperatorem Conſtantinopolitanum in fugam bis vertunt, & caſtris ipſius potiuntur.

836. Multis terris Sarraceni maxima intulere damna, & metu ciuitates plurimę hinc inde ad eos defecerunt.

843. Saba Rex Maurorum, Sarracenorũ Dux, Siciliam, & ſinũ Crotonienſem vaſtat,

vastat, Tarentum capit, cui Theophilus Imperator, & Venetorum classes frustra restiterunt.

844. In Dalmatia latrocinia exercentes Sarraceni, Ragusiam vrbem claram, magnis incommodis afficiunt.

845. Sarraceni inuadentes Hetruriam & Latium, Romam deprædati sunt; sed antequam domum redirent, plurimi naufragiis perierunt.

846. Illyrico & Dalmatia vexata, Adriaticum mare transeuntes, Anconam Piceni vrbem direptam incenderunt.

847. Leo Quartus Pontifex reliquias Sarracenorum è portu Ostiensi eiecit, & Transtiberinam regionem contra eos muniuit.

867. Sarraceni prædæ causa iterum irrupêre in Italiam, & Beneuētanum agrum in Samnitibus igne, ferróque vastarunt; sed à Ludouico, & Lothario regibus in fugam sunt conuersi.

870. Cum Persis Sarraceni iterarunt bella. Persæ Turcico milite vsi (montem Caucasum tùm Turcæ habitabant, & vocabantur Tartari) illorum auxiliis vicerunt. Ab eo vsque tempore Turcæ nunquam posteà reliquerunt Asiam, & in Sarracenicum tàm regnum, quàm nomen transierunt.

878. Ex Sicilia Sarraceni, quam septimum & quadragesimum annum tenebant, penitus expelluntur.

881. Carolus Crassus irrumpentes Sarracenos Italia arcuit.

891. Nicetes dux Constantinopolitani Imperatoris, egregiam victoriam de Sarracenis reportauit.

910. Sarraceni Africani Apuliam, & Calabriam inuadunt.

913. Ad Lyrim Campaniæ fluuium, Sarraceni Romanorum ciuitates vastantes vincuntur.

934. Sarraceni Fraxineto irrumpentes ad aquas vsque peruenerunt, vbi Sagitus dux eorum cum toto exercitu deletus est.

935. Genuam Liguriæ vrbem Sarraceni depopulati sunt, collectáque ingenti præda in Africam redierunt.

941. Hugo Italiæ rex Fraxineto capto Sarracenam classem exussit.

944. Radamirus rex Galliciæ maximum exercitum Sarracenorum fudit in Hispania.

951. Sarraceni Calabriam, Apuliam, Lucaniam cædibus & incendiis replentes, virtute Alberici Hetrusci Marchionis repressi sunt, & in agro Minturnensi in Campania ad Lyrim fluuium superati, cum accessionem ad vrbem Romam instituissent.

952. Sarraceni ex Gargano monte, in quem se contulerant, incursiones frequentes in finitimos faciunt, Beneuentum captum incendunt.

953. Veromanduus rex Hispaniæ cum Sarracenis varia fortuna pugnat.

969. Otho primus, Germanorum Imperator, Sarracenos Italiæ expulit, & Garganum montem recepit.

970. Sarraceni Consentiam recuperarunt, ex qua paulò antè ab Vngaris eiecti erant.

977. Creta insula Sarracenis erepta, duces ipsorum capti sunt.

982. Otho secundus, cum Sarracenis, quibus cum socia arma ex fœdere Græci coniunxerant, in Calabria, magna sua clade conflixit, Idib. Iulij; fortissimis autem suorum interfectis, ipse fuga vix saluus euasit, peritus linguæ Græcæ à Piratis se redemit. Delatus ad Siciliæ littora, quadraginta ex iis, qui illum ceperant, interfecit.

1000. Alphonsus Hispaniæ rex, Sarracenorum præsidium quoddam, nomine Viseum, obsidens, sagitta percussus, vitam cum morte commutauit.

1007. Sarraceni duplici exercitu Italiam ingressi, Capuam ceperunt, Barum obsidione presserunt.

1009. Sarraceni Asiatici Hierosolymam occuparunt.

1013. Henricus secundus Germanorum Imperator Sarracenos Capua expulit, & duces quosdam eorum partibus fauentes, graui bello persequutus est.

1018. Calyphas Ægypti præses Sarracenico exercitu, & Turcico (qui tum Persidem occupauerant) adiutus, templũ Domini Hierosolymis diripuit & spoliauit.

1048. Calypha mortuo, Imperator Constantinopolitanus cum Dobire filio & successore eius fœdus iniit, & eius permissu Dominicum templum instauratũ est.

1056. Robertus Nortmannus Capuam à Sarracenis obsessam liberat, & Græcos cum eis confœderatos Calabria eiicit, Sacerdotibus tantum relictis.

1060. Antiochiam & Cæsaream vexantes Sarraceni repressi sunt.

1094. Rainaldus, vnus è Christianorum ducibus in oppido Syriæ obsessus, deditione facta fidem abnegat.

1095. Ad Cynitum oppidum vltra Bosphorum Thracium multi Christiani à Sarracenis occisi sunt.

1096. Ex Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, Dania, Lotharingia, Alemania, Burgundia, Lombardia, Italia, multi exercitus, contra Sarracenos in vnum confluxêre, animo exturbandi illos ex Hierosolymis, & tota terra sancta.

1097. Prædicti exercitus apud Nicæam vrbem duabus stragibus Sarracenos fuderunt. Receptæ quoque sunt Eraclea, & Tarsus.

1098. Christiani ex Antiochia expulêre Sarracenos, quam obsederunt mensibus vndecim. Hostium centena millia occisa, quod prælium commissum est 4 Calend. Iulij.

1099. In agro Hierosolymitano bellum à Christianis contra Sarracenos commissum est, & Dei beneuolentia Sarraceni victi, Hierosolyma à Christianis recuperata, Idibus Iulij mensis.

Gotfridus Bolionius Remensis, Lotharingiæ dux, qui primus muros ascenderat, Rex Hierosolymorum à Christianis victoribus creatur.

Eodem anno Sarraceni duce Calypha Babylonio, cum centenis millibus equitum, & quadringẽtis millibus peditum, cõtra Christianos parauerunt exercitum. Christiani autem quinque millibus equitũ, & quindecim millibus peditum victores extitêre, centum millibus virorum occisis, & Hierosolymis conseruatis.

1100. Gotfridus Ascalonem cepit, magnóque auri pondere ibi potitus est. Eodem anno Gotfridus moritur, cui successit Balduinus frater.

1102. Balduinus magna strage vincitur, & vix fuga incolumis euadit. Ramæ mœnia, in quam reliquiæ eius confugerant, ab hostibus diruuntur.

1103. Boëmundus Apuliæ rex cũ cæteris in expeditionem Hierosolymitanam profectus, à Sarracenis capitur, & postea à Tancredo nepote suo liberatur.

1104. Christiani Accaron ciuitatem Palæstinæ, quam alij Ptolemaida appellant, post vigesimum diem obsessionis capiunt.

1105. Magna pars Sarracenorum à Christi fidelibus deleta est.

Eodem anno Alexius Imperator Constantinopolitanus conditiones pacis à Balduino oblatas, accipere cogitur.

1106. Balduinus Berythum & Sidonem, vrbes maritimas subigit. Apud Carrhas seditio inter Christianos Principes orta, maximo illis damni fuit. Irruentibus enim in illos ex improuiso hostibus, quidam capti, quidam duces fugati sunt, exercitu miserè destituto. Hanc notam paulò pòst recenti de Sarracenis victoria emendauit Balduinus.

1113. Sarraceni in regnum Hierosolymitanum ex Perside incurrẽtes, regis copias fortè oblatas fugant, & cædunt.

1115. Tancredus, qui patruum suum à Sarracenis liberauerat, ad montem regalem ab hostibus vincitur, & occiditur.

1117. Pisani inter Hetruscos nobiles populi, Sarracenos ex Balearibus insulis armis eiecerunt.

1118. Balduino II. Hierosolymorum rege mortuo, alter eiusdem nominis succedit, qui regem Persarum deuicit, atque occidit. Damasci regem fugauit. Sed Parthorum rege sibi resistente, & illos vlcisci volente, Balduinus capitur & vinctus vltra Euphratem custodiæ demandatur.

1119. Balduinus post XVIII Mens. insidiis è carcere liberatus, ad suos reuertitur.

1122. Vene-

1122. Venetorum claſſis in Syria Sarracenis moleſta fuit, Dominico Michaële duce, qui Tyrum & Ioppen cepit. Fuerunt Venetis propter merita & virtutẽ conceſſa magna priuilegia.

1125. Pugnatum contra Chriſtianos eſt quadringentis millibus militum, quibus occurrerũt tribus millibus virorum Chriſtiani, & Dei benignitate, ſeptẽ millibus hoſtium gladio cæſis, & quinque millibus aquis ſuffocatis, Chriſtiani victoriam conſecuti ſunt.

1127. In Syria Chriſtiani duabus ſtragibus fudêre Sarracenos, vbi in prima pugna duo millia Sarracenorum, & quingenti deſiderati. In altera, quamuis vterque exercitus afflictus eſt, Chriſtiani tamen victores extitêre.

1129. Rex Aſcalonitarũ à Balduino repreſſus, Rex Damaſci trib. præliis victus.

1130. Balduino tertio Rege Hieroſolymitano è viuis ſublato, Fulco quartus Rex conſtituitur.

1131. Tripolitanus comes proditus occiditur. Fulco Rex ab hoſtibus fugatur, & iniquas conditiones, vt ex obſidione liberaretur, accepit.

1133. Chriſtiani Ægyptiis felici Marte reſtiterunt.

1139. Aſcalon à Chriſtianis recuperatur.

1142. Fulco quartus Rex in Hieroſolymis, inſequens leporem, & ex equo decidens, efflauit animam: cui ſucceſſit Balduinus filius, qui quintus Rex fuit.

1143. Vrbs Ediſſa, & tota ferè Meſopotamia à Sarracenis, & Alapho duce Turcarum, qui iam in Oriente magni nominis erant, deuicta eſt, multa & miſerabili Chriſtianorum ſtrage edita, matronis in æde Diui Ioannis Baptiſtæ ſupra altare ſtupratis.

1144. Balduinus III. quintus Rex Hieroſolymorum, Gaza & Aſcalone Sarracenos eiecit, & apud Hierichunta Noradinum Damaſcenæ militiæ Principem, quinque millibus hoſtium interfectis, vicit & fugauit.

1145. Emanuel Conſtantinopolitanus Imperator exercitus Chriſtianorũ contra Sarracenos euntes, multis inſidiis fatigauit, ne quid vtile Chriſtianæ Reipublicæ efficerent.

1146. Rogerius Siciliæ, & Nortmannorum Rex Sarracenos Africanos Rege ipſorum capto, ad triginta annos ſibi tributarios reddidit.

Eodem anno Conradus ſecundus Imperator ingentes copias pugnatorum contra Sarracenos parat, ſed pugnat infeliciter.

Ludouicus Rex Galliæ contra infideles maximam vim militum cogit.

1147. Ex Flandria, Anglia, Lotharingia, Germania magna, inſtructis ducentis nauibus bellum contra Sarracenos inſtitutum eſt.

Hoc anno Conradus Imperator tranſmiſſo feliciter Boſphoro, prope hoſtes acceſſit, & expugnauit Iconium; verum deficiente commeatu, & (vt nonnulli aſſerunt) frumento à Græcis gypſo corrupto, coactus eſt continere curſum, & copias reducere. Quo cognito Sarraceni à tergo inſequentes, aliquot hominum millia trucidauerunt.

Eodem anno confluit ad Imperatorem Rex Franciæ, adiuuandi illum ſtudio, ſed exercitu fame confecto nihil præclari actum eſt.

Eodem tempore Veneti inſtructâ claſſe profecti ſunt in Aſiam, opem laturi Imperatori, qui Sarracenis bellum faciebat.

1148. Hiſpani expulſis Sarracenis, Almariam, & Tortoſam, turrigeras vrbes recuperarunt.

Eodem anno Damaſcus à Syris, Gallis, Alemanis, Hieroſolymitanis oppugnata eſt, ac extremi muri diruti, cumque iam ſpes eſſet potiundæ vrbis, & expugnandi Sarracenos, exortâ diſſenſione inter Principes, quiſque conuocato ſuo exercitu, ab oppugnatione deſtiterunt.

1149. Rex Antiochiæ Raimundus cum toto exercitu deletus à Sarracenis eſt, omniq; terra ei9 deuaſtatâ, ſola Antiochia à Rege Hieroſolymorũ ęgrè ſeruata eſt.

1151. Rex Hieroſolymorum Balduinus, Ægyptios ac Babylonios fudit.

1158. Sarraceni ex Almaria armis profligarunt Hiſpanos.

1159. Balduinus multas ciuitates, eiectis Sarracenis, in pacem, & libertatem reſtituit.

1164. Moritur Balduinus Hieroſolymitanus Rex, ſubrogatusq; eſt frater eius Almericus, Sextus Rex.

1170. Almericus in Ægypto clara contra Sarracenos potitur victoria.

1171. Idem Rex Damiatam obſidet, ſed malis conditionibus init pacem.

1172. Sarraceni Africani plurimas fecerunt excurſiones in Hiſpaniam.

1175. Almericus Hieroſolymorum Rex febri extinctus, Balduinus filius eius in Regem vngitur, ſeptimus Rex.

1177. Balduinus Saladini Ægyptiorum Regis copiis bis victis & deletis, multum auri Hieroſolymis intulit.

1180. Filia Regis Sarracenorum, quæ Pagano Principi nupſerat à Rege Siciliç in mari, cum ſponſo domum deduceretur, capitur.

Eo anno Chriſtianæ religionis Profeſſores, qui Hieroſolyma inhabitabant vincuntur.

1181. Maximis impenſis ac ſumptibus Carthago à Rege Sarracenorum Mauſamuntho inſtaurata eſt.

1184. Balduinus ſeptimus Rex in Hieroſolymis, quem lepra infecerat, abſque herede vita excedit. Nepos eius ex ſorore Balduinus nomine, Rex quidē declaratur, ſed fatorum inuidia ex illo honorum gradu eripitur, cui ſucceſſit octauus Rex Guido Luſignanus.

Inter Guidonem Hieroſolymitanũ Regem, & Raimundum Tripolitanũ Comitem orta diſſenſio, cauſa extitit, vt Chriſtiani in extremũ diſcrimen inciderent.

1186. Congreſſi Chriſtiani cum exercitu Saladini Regis, viginti millibus, ac quingentis ſuorum interfectis, miſerè occumbunt. Guido Rex capitur, Tripolitanus Comes ſubitanea morte extinguitur.

1187. Octoginta & octo annis, cum Hieroſolyma à Chriſtianis habitata eſſent, hoc anno Regi Sarracenorum, occiſo Patriarcha, & expulſis Chriſtianis, deditione traduntur, die ſecundo Octobris.

Eo anno vniuerſam Iudææ regionem hoſtis Sarracenus Chriſtianis eripuit, Tyro, Tripoli, & Antiochia vix conſeruatis, ductu & auſpiciis Marchionis Montferratenſis.

1188. Fridericus Romanorum Imperator cũ Friderico filio, Philippus Galliæ, Richardus Angliæ Reges, cum plurimis aliis Principibus, in comitiis decernunt, relictis in Iudæa Chriſtianis ſubueniendum eſſe. Inſtruitur bellũ: Fridericus Imperator deductis in Syriam copiis, Armeniaq; minore receptâ, æſtatis tempore lauandi cauſſa Selephium amnem ingreſſus, periit. Factum hoc in die Barnabæ Apoſtoli, qui eſt duodecimus Iunij: Inteſtina Antiochiæ, corpus Tyro eſt conditum. Exercitus Imperatoris malè diſſipatur.

Eodem anno Danica & Flandrica claſſis Africana littora infeſtant, Syluâ vrbe captâ & incenſa.

1189. Guido collectis copiis Aconē, olim Ptolemaidē dictam grauiter obſidet: ſed Saladini aſtutiâ ſemper vincitur, magna clades Chriſtianis illata, morbo, fame, armis. Sibylla Guidonis vxor cum quatuor filiis in caſtris moritur dyſenteriâ.

1190. Angliæ & Galliæ Rex coniunctis ſuis nauibus cum Guidonis exercitu, Aconem oppugnant.

1191. Acon poſt biennalem obſidionem conditionibus ſeſe dedidit.

1192. Inter Philippum & Richardum Reges ſimultate ortâ, copiæ diſiunguntur, & Rex Galliæ domum rediit. Angliæ autem Rex diutius aliquantulum experiebatur belli fortunam, ſed fruſtrà.

Eodem anno Venetæ quoque, & Piſanæ claſſis diſiunctio, Chriſtianæ Reipublicç pernicioſa fuit, quia & ipſæ diſceſſum parantes, odiorum cauſſas domum ſecum attulerunt.

1193. Sultanus Saladinus Imperator Sarracenicæ gentis, rebus geſtis, moderatione, & fortitudine inſignis, efflauit animam, filiis eius regnum inter ſe diſpertientibus.

1195. Sarra-

1195. Sarraceni Africani in Hispaniam irruentes, binis, vt nunc sunt, regnis potiuntur, Castellæ & Granatæ.

1198. Henricus Imperator Moguntino, Archiepiscopo, & Othone Duce Saxoniæ, belli præfectis, ac plerisque aliis magni nominis viris, nouas instruxit copias contra Sarracenos, & receptis ad certum numerum ciuitatibus, cõstituunt Christiani Regem, Hamericum nominatum. Fuit in eadem expeditione Hermannus Landgrauius Turingiæ.

1199. Henrico Imperatore mortuo, duces modò dicti, victoriam desperantes, in Germaniam reuertuntur.

1200. Sarraceni post captã crudeliter Ioppẽ, sæuierunt in omnes Christianos.

1202. Africani Sarraceni vtramque Hispaniam igne & cæde vastarunt, excursionibus in Galliam quoque factis.

1216. Friderico secundo Imperatore noua expeditio in Syriam decreta, multis Principibus conspirantibus contra Sarracenos.

Eodem anno in suburbio Aconis ciuitatis exercitus Christianorũ confluunt, & Damiatam Ægypti vrbem ab impiis munitam obsident.

1217. Quatuor Hispaniȩ Reges collecto in vnum exercitu Sarracenos represserunt, ex Betica tamen eijcere non valuerunt.

1221. Damiata Sultano reddita, Christiani Aconem, & Tyrum redierunt.

1228. Fridericus Imperator in Syriam profectus inducias cum Sarracenis pepigit, & Hierosolyma Christianis restituta, cum suis copiis Regio Diademate ornandus ingressus est.

1237. Christianorum exercitus, cui Theobaldus Nauarræ Rex præfuit, inter Gazam & Ptolemaida occubuit.

1238. Immissi à Sarracenis Tartari, multa hominum millia trucidarunt in Vngaria, & Polonia.

1244. Sarraceni à Ferdinando Rege forti & celebri, & Hispaniis expulsi.

1247. Sarraceni Asiatici auxiliis Tartaricis Christianos in Syria vexarunt & sepulchrum Christi ignominiosè defœdarunt.

1248. Ludouicus Rex Galliæ, animo expugnandi Sarracenos, & cupiditate liberandi Christianos, exercitum traiecit in Syriam.

1249. Congressus Ludouicus Galliæ Rex cum Sarracenis Damiatam ciuitatem populosam, ac turrigeram cepit.

1250. Cũ inter ꝓcellas pugnȩ ad Faramiã à Sarracenis cõprehenderetur Ludouicus Rex cũ Carolo, & Alfonso fratribus, reddidit Damiatã, quo facto suæ, suorumque saluti consuluit, & ex vinculis liberatus est. Captus Rex est die 5. Aprilis.

1252. Sarraceni Baleares amiserũt insulas, quas occupauit dux Tarraconensiũ.

1255. Bela Rex Vngarorum auxiliis suis adiuuat Christianos in Syria, à quibus diu vario euentu pugnatum.

1261. Hispaniæ Reges inter se discordes, alius Gallos socios ad se allexit, alter Sarracenũ militem aduersus fratrem cõduxit, suo suorumq; maximo incõmodo.

1262. Factiones Veneta, & Genuensis, Christianos Ptolemaidem & Tyrum incolentes, intestinis odiis exercuerunt.

1265. Expulere è Syria Sarraceni Christianos, & Bodegarus Sultanus Azotum, Cæsaream & Calipham cepit.

1266. Sultanus cepit totam Galilæam & Hierosolyma, Ordinis Teutonici milites ad duo millia primum vinxit, postea immaniter obtruncauit.

1267. Reges quidam Christiani, audita suorũ calamitate in Syria cruce signati ad resistendum Sarracenis proficiscuntur.

1268. Antiochiam captam Sultanus spoliat.

1270. Iterum Rex Galliæ Ludouicus cum filiis tribus ingentes copias contra Sarracenos in Africam duxit, vbi cum contra illos feliciter pugnatum esset, Carthaginem obsedit: sed pestis exercitum inficiens, Regem, simulque filium eius Ioannem vita priuauit, & sic soluta est obsidio.

1271. Carolus Rex Siciliæ de Sarracenis aliquot victorias reportat.

1281. Armenij & Scythæ ad Gamalam Iudææ vrbem cum ipsa penè vrbe à Sarracenis delentur.

1289. Sultanus tripolim incendit, Christianos inter se dissentientes vincit, & in seruitutem abigit.

1290. Tyrus, Sidon, Tripolis, Berythus, ab eodē incensę, & complanatæ. Ptolemais, fuga dispersis Christianis, sine vi capta atq; diruta, fundamentis quoq; effossis. Christiani qui orbem reliquerant, Cretam fugientes, perierunt naufragio.

1291. Post tot clades vniuersæ Christianorum reliquiæ passim è Syria eiectæ, omnibus, qui fuga non euaserant, aut vinctis miserrimè, aut occisis crudelissimè.

1299. Tartari Sarracenos Hierosolymis expellunt.

TVRCARVM REGNVM.

1300. Othomanus rapinis & prædationibus ditatus, intra decennale spaciū bonam Bithyniæ partem, & adiacentia Ponto Euxino loca, suo imperio adiecit, & primi Regis Turcarum nomen meruit.

1307. Rhodus insula Sarracenis erepta.

1310. Aphonsus Rex Castellæ cum Sarracenis signa feliciter contulit, duabus potentissimis vrbibus captis, Alcala, & Bencaia.

1311. Sultanus à Rege Tartarorum, qui auxiliis pugnabat Armenicis, ingenti prælio victus est.

1328. Othomanus Turcarum Rex moritur, cui successit Orchanes filius, Turcarum Rex secundus.

1338. Græcis de Imperio inter se disceptantibus, Prusiam amplissimam vrbem Orchanes vi ademit.

1350. Orchanes contra Tartaros (ita Scythæ appellantur) infaustè pugnās cum multis suorum interficitur. Regni habenas accepit Amurathes Turcarū Rex III.

1363. Amurathes auaritia & perfidia Genuensium Hellesponti angustias ad Abydum, conductis eorum nauibus, superat, & Philippopolim, & Hadrianopolim vrbes in potestatem redigit.

1372. Seruia, seu Mysia superior Christianis est adempta, Lazaro Despota capto, in Campis Cassouiis.

1373. Seruiam ingressus Amurathes, à fideli seruo Lazari, qui mortē Domini vlcisci cupiit, pugione in inguine percussus interiit. Amurathis interfecti regnum consecutus est filius eius Baiazethes, fratre interfecto, Turcarum Rex III.

1374. Marcus Craieuicus Bulgarorum Rex, cum vniuersa sua nobilitate à Baiazethe in prælio deletur.

1377. Sigismundus Imperator Walachis opem ferens, Turcarum præsidia eiicit, & eorum latrocinantium reprimit impetum.

1383. Bosna, Croatia, Illyria, Albania, Walachia vastatæ, multis millibus Christianorum partim occisis, partim in seruitutem abstractis.

1389. Constantinopolis ab immanissimo Turcarum Rege totos octo annos vexatur, & obsidetur.

1390. Franci & Angli sociis Genuensibus obsederunt Tunetum, & Sarracenos Africanos compulerunt, vt captiuos Christianos redderent, & decem millia aureorum penderent.

1392. Walachi auxiliis Turcicis vtentes contra Vngaros, profligati sunt. Nicodia oppidum ab Vngaris captum.

1395. Prælio inter Christianos & Turcas ad Nicopolim cōmisso, die profesto D. Michaëlis victoria penes Baiazethē fuit, qui in armis plusq̃ trecenta hominū millia habuit, in quib. sexaginta millia equitū fuerunt. Christianorū exercitus, qui ex Gallis & Vngaris constabat, non excessit numerū octoginta milliū, inter quos circiter viginti millia equitū fuēre. Gallorū duces maxima ex parte capti, Sigismundus Vngariæ Rex fuga sibi vix consuluit. Ex Christianis viginti millia, ex Turcis sexaginta sunt occisa. Hæc quoq; clades Christiani exercitus discordia contigit, modò Gallis, modò Vngaris primas præliandi partes deposcentibus. Post pręlium ad Constantinopolitanam obsidionem recursum fuit.

1397. Tam-

1397. Tamburlanus Scytharū Rex, obſcuro loco natus, tantopere creuit, vt mille ducentos equites in aula ſua aleret. Hic cum infinita armatorum multitudine in Aſiam deſcendens, prope Stellam montem in Galliciæ, Bithyniæque confinio, ad ducenta Turcarū millia cæcidit. Regem Baiezethem cepit, & caueæ incluſit, aureis cathenis ligauit. Conſcenſurus equū eo pro ſcabello vtebatur, & in ludibrium per totam Aſiam ſecum circumducebat. Perſas fugauit, Medos vicit, Armenios ſtrauit, totam Ægyptum deuaſtauit. Damaſcum euertit: Marchantum vrbem cōdidit, quam omnis generis captiuis impleuit, & vrbium captiuatum ſpoliis ornauit. In eius exercitu penè ſupra fidem duodecies centena millia hominū militaſſe traduntur. Triplici tentorio vſus eſt, cum in conſpectum hoſtiū veniret albo, quo ſpem gratię ſeſe dedētibus ſignificabat. Tum rubro, quo ſanguinem & flammam. Poſtremo atro, quo extremam rerum omnium.

Eodem anno Walachia, Tranſyluania, Moldauia, & omnis tranſdanubiana regio Duce Stephano Vaiuoda tumultuatur contra Sigiſmundum: vnde intellectum eſt, prioris cladis autorem Vaiuodam fuiſſe, qui Turcas allexerit.

1398. Cyriſcelebes, quem Calepinum alij appellant, poſt deletum à Scytharum Rege exercitum, & captum patrem, fuga liberatus, ad regnum aſpirauit, quod etiam obtinuit. V. Turcarum Rex.

1399. Turcæ Rege ſuo capto, & cæſo exercitu, ſub Cyriſcelebe nihil memoria dignum egerunt.

1403. Tamburlanus totius Orientis terror, tyrannorum nobiliſſimus, è vita migrat.

1404. Cyriſcelebes Turcarum Rex moritur, relictis Orcanne, & Mahometo.

Orcannes Thraciæ Regulis fauentibus admodum adoleſcens imperio deſtinatur, ſed in pugna ad Gazarum, non longè ab Hebro fluuio, Moſis patrui ſui ſcelere opprimitur.

1405. Mahometes VI. Turcarum Rex, ſublato fratre, regno ſolus potitur.

1408. Mahometes Seruiam, Walachiam, & non exiguam Sclauoniæ partem ſubegit.

1411. Sigiſmundus Vngarorum Rex in Salumbezinis campis, qui Philadelphię olim appellati ſunt, contra Turcas pugnans, viribus inferior, victus atque fugatus eſt. Calabotia munitiſſimum præſidium amiſſum.

1412. Walachis grauia tributa Mahometes impoſuit. Ex Bithynia in Thraciam, ſedem Regiam tranſtulit, & Pruſiæ vrbi prætulit Adrianopolim. Primus Danubium traiecit, Macedoniam perdomuit, ad Ionium vſque pelagus peruenit.

1419. Amurrhates VII. Turcarum Rex, Muſtapha Baiazetis filio hoſtiliter deuicto, regnum paternum arripuit.

1420. Turca in Georgium Deſpotam Seruiæ expeditionem facit, Nouemontum, & Scopiam, quadriennium obſidet, Synderouiam infeſtat, Deſpotæ filios duos captos, oculis & pudendis priuans, tetro carceri includit. Filiam eius in vxorem ducit propter pulchritudinem.

1438. Theſſalonica inſignis vrbs Venetæ ditionis in Turcarum poteſtatem venit, qui nullum genus iniuriæ, aut contumeliæ in Chriſtianos omiſerunt.

Amurrhates Belgradum obſidens, circa decem millibus hominum in foſſis amiſſis, cum dedecore ſeptem menſium obſidionem ſoluit, & inducias expetit.

1439. Ioannes Huniades Turcis ſe oppoſuit, inter Sauum & Drauum regiones Vngariæ vaſtantibus, eosque in fugam vertit. Vno die quinquies collatis ſignis eſt ſuperior.

1440. Ladiſlaus Polonię & Vngariæ Rex eodem Huniade duce, in Hæmi campis illuſtri victoria potitus, Turcam ad conditiones pacis compulit.

1444. Pax cum Turca inita, Eugenij Pontificis hortatu violatur, quæ res nomini Chriſtiano perniciosa extitit. Primum enim ſeptuaginta triremes Chriſtianorum ad Helleſponti anguſtias ſuperatæ: deinde commiſſo ad Varnam prælio,

die profesto Diui Martini, vltra triginta millia ceciderunt, plurimi in paludibus submersi sunt. Interierunt Iulianus Cæsarinus Cardinalis, qui ad fœderis violationem impulerat: Rex ipse Ladislaus, qui bellum cupidè nimis susceperat: Episcopus Varadinus, qui aciem in prælio nudauerat: Huniades vix fugâ euasit. Turca per Bosphorum Thracium traijcere classem non potuisset, nisi Genuenses, in singula Turcarum capita aureo nummo accepto, id permisissent.

1445. Isthmum Corinthiacũ Amurrathes occupat, & Græcorum præsidia cum fratre Constantinopolitani Imperatoris fundit, & populationibus totam deuastat Peloponnesum.

1446. Rex Poloniæ cum Turcis in Vngariam irruentibus conseruit manus, & victor euasit. Turcæ vltionis cupidi, magnâ vi coactâ, reparant vires, ac bellum instaurant, in quo vtraque pars tulit cladem circiter octingentorum millium: grauior tamen Turcarum iactura fuit, quàm Christianorum, quamuis occubuerat Princeps belli, cuius caput ad Turcarum Regem allatum est. Occubuit & Turcarum Regis filius in eadem pugna.

1448. Vngari duce Huniade deuastaturi Turcicas Prouincias numero circiter sexingentorum millium, regiones eorum ingrediuntur, pugnantesq; cum Turcis ad Basila, primâ quidem pugnâ retulêre victoriam: altero verò prælio cecidêre penè omnes, exceptis circiter mille, qui fuga sibi consulebant.

Eodem anno Despota Georgius Fricebeçhum Turcicum præfectum cepit, Bidinum Bulgariæ vrbem incendit.

1449. Turca Croiam vrbem in campis Æmathiæ sitam, Scanderbeco resistente, frustra multis mensibus oppugnat, suorumq; multis deletis infecta re discedit.

1450. Amurrhates Turcarũ Imperator de vita discedit, relicto successore filio Machomete, VIII. Turcarum Rege, qui fratrem suum Thursinem, adhuc infantem, ne pater solus sepeliretur, statim interfecit, & eodem sepulchro condi iussit.

1451. Machometi initium belli fuit contra Scanderbecum. Turca Croiam octuaginta millibus hominũ obsidens, cum dedecore discessit, & relicto in Croiç obsidione duce Ballabano, ab vrbe fugit.

1452. Athenæ, omnium artium & disciplinarum inuentrices ab immanissimo Tyranno solo æquatç sunt, etiam fundamentis quibusdam in locis effossis, & Munychia, atque Piræo dirutis.

1453. Machometes Constantinopolim die nono & vicesimo Maij expugnauit, quam nono die Aprilis cœperat obsidere, omnibus Christianis gladio dissectis, & Constantino interfecto, cuius caput ludibrij caussa pilo affixum in castris circumferri iussit, vniuersa eius stirpe deleta, & nobilibus omnibus inter conuiuia per ludibrium trucidatis.

1454. Calixtus Pontifex classem conscribit in Turcam, cui Cardinalem Aquileiensem, virum ferocem, & Sacerdotem venatorem, præfecit: statim igitur dissipata est.

1455. Turca Bosnam cædibus & incendiis replet.

1456. Machometes Belgradum, quam Albam Græcam, & Taurinum vocant, cum centum quinquaginta millibus hominum expugnatum adiit. Conuocatis autem Christianis, & Ioanne Capistrano adhortante, Huniades dux vltra quadraginta millia hostium occidit, aliis in fugam turpissimam versis: & ipso Machomete sagitta percusso, Turcæ castris exuti sunt. Hoc prælium commissum in die Magdalenæ.

1457. Cum Assimbeco Persarũ Rege, quem Vsuncassanum, quasi heroa magnũ appellant, prælio primo Turca congressus ad Euphratem, quadraginta millia militum amisit. Secundo prælio Machometes superior fuit, occiso Vsuncassani filio.

1458. Capta est Corinthus à Machomete, Peloponnesiis imperatum tributum.

1460. Rex Turcarum Imperium Trapezuntium suæ potestati, decollato Dauide Comneno Rege, subdidit.

1461. Paphlagoniæ, & Cappadociæ regna Turcicis armis cesserunt. Reguli, & Principes omnes cum vxoribus & liberis vexati cõtumeliis, & mutilati membris,

ducti in triumpho, postea ad vnum omnes, vxores ante oculos maritorum, filij ante ora parentum obtruncati.

1462. Mitylene insula expugnata. Catalusius eius Princeps trucidatus.

1463. Veneti instructam classem, liberaturi Corinthum, in Græciam miserunt, sed re infecta sunt reuersi.

Eodem anno Rex Vngariæ Geisam Bosniæ vrbem recepit, quam Turca secundùm obsidens, audito Christianorum aduentu, quatuor Bombardis ingentibus in Drinam fluuium demersis, in fuga spe posita reliquit.

1464. Stephanum Principẽ Mysiæ inferioris, simulata pace ad se Machometes euocans, captum excoriauit. Fratrem eius & sororem in triumpho duxit.

1465. Turca in Epiro munitionem validam, vrbis instar, mira celeritate triginta dierum spacio extruit, ex qua finitimas regiones excursionibus vexare, territasque & exhaustas facilius posset armis subijcere.

1466. Rex Epiri Georgius Castriottus, cognomẽto Scanderbecus, ingenti clade Turcas strauit, atque repulit.

1468. Machometes Syros & Ægyptios cum eorũ exercitibus fudit. Narrantana, & Scandalora vrbibus vi captis, & incensis omnem populum miserabiliter interfecit, & nobiles de locis editis, & turribus præcipitauit.

Eodem anno cum Cisimo Indorum Rege amicitiam iniit, cui nobilẽ puellam ex suo gynæceo cum regali munificentia & donis Imperatoriis in vxorem misit.

1469. Grauiter oppugnatus est Machometes à copiis Vsuncassani Regis.

Eodem anno Nicolaus Canalis, classis Venetæ præfectus, magnũ damnum nauali bello intulit Machometi, occisis duobus millibus Turcarum.

Eodem tempore multi Christianorum in Stiria, & aliqua parte Germaniæ à Turcis capti, & abducti sunt.

1470. Missis quadringentis nauibus ac centum viginti millibus hominũ in Eubœam insulam, Omario duce, in oppugnando quadraginta penè hominũ millia Machometes amisit, sed eam post trigesimum diem cepit, Italos milites palis affixit, & omne genus crudelitatis, & libidinis in incolas flagitiosissimè edidit.

Eodem anno Turcicus exercitus in Vngaria vsque ad Zagabriam prædando grassatus, circiter decem hominum millia captiua abduxit.

Eodem anno Turcæ in Dalmatiam, Forum Iulium, Stiriam, excursiones fecerunt, multa ex hominibus & pecoribus præda abacta.

1471. Rex Portugalliæ, freto Gaditano traiecto, multas ciuitates in Mauritaniæ finibus à Turcis liberas fecit, suoque imperio adiecit: duas autem præcipuas, Tingam, & Argillam.

1472. Vsuncassanus Rex secundis præliis factis, plures ciuitates Othomanicis ademit, quod factum æternum nomen in Orientis partibus illi peperit.

Nicolaus Thranus eodem anno classem Venetam cum Regis Parthorum exercitu contra Turcam coniunxit.

1473. Vsuncassanus leui prælio circiter triginta millia ex Machometis exercitu fudit.

Eodem anno Turcæ cum ingenti multitudine traijcientes in Vngariam, finitimas ciuitates ad fluenta positas depopulati sunt.

1474. Commisso cum Persarum Rege ad Euphratẽ fluuium prælio, Turca victor extitit, sex hostium millia, & octingentos cepit. Ex quibus domum rediens, in singulis locis, vbi statiua habuit, quingentos per diem gladio secari iubet, & insepultos dispergit, totamque Armeniorum regionem impleuit tetro, horrendoq; funerum spectaculo.

1475. Ad Istri fluminis partem, quam Muldauiam appellant, Turcæ cæsi sunt à Stephano Muldauiæ Palatino. Quatuor duces Turcici capti, & XXXVI. signa militaria ex hostibus recepta.

1476. Matthias Vngarorum Rex ad Sauum fluuium castellum Turcarum magna cum laude sua expugnauit.

Eodẽ anno Capha in Ponti Euxini ora, Genuensiũ colonia Turcæ ꝑdita est.

1477. Clausit supremum diem Vsuncassanus, qui Persis, Parthis, Medis, ac toti penè Orienti præfuit. Cui successit filius maior natu, hic capite plectens fratres suos, solus regno potiebatur.

Eodem anno Nicosiam Turcæ classe piratica infestârunt, non sine magno vrbis eius incommodo.

1478. In Mysia ingens multitudo Turcarum superata est.

Veneti cum Machomete fœdus iciunt, Chalcide armis, Scodra deditione extortâ. Polliciti eidem sunt quotannis octo aureorum millia, vt Pontica nauigatio pateret mercatoribus. Tradita eodem tempore Insula Lemnos, & Tænarum Laconiæ promontorium.

1479. Magnam classem Machometes in Apuliā misit, sed & ipse in Vngariam cum exercitu profectus est, & ex vtrisq; locis plurimos greges captiuorum Christianorum abegit. Inde Leucadiam, Neritum, Cephaleniam, & Zacynthum insulas armis domuit.

1480. Machometes cum exercitu est in Ægyptum profectus ad occupandam Alexandriam; domi verò ad Rhodianam expeditionem res sunt necessariæ comparatæ.

1481. Machometes duce Mesicho Rhodum obsedit, & eam quatuor classibus grauissimè oppugnauit, sed trucidatis suorum nouem millibus, & quindecim millibus vulneratis, ab oppugnatione, quæ vndenonaginta dies durauit, turpiter desistere coactus est, Petro Dabusonio pro Christianis propugnante.

Eodem anno cum classe ingenti irruens Turca in Apuliam, Hydruntum ciuitatem maritimam amplam, & populosam, duce Acomato expugnauit, & incolas omnes gladio occidit.

Eo anno sex millia Turcarum ad ciuitatem Mantineam in Laconia occubuerunt. Pirametus Ciliciæ Rex magnum illis metum incussit, & prosperâ aduersus eos fortunâ vsus est, sed non diuturnâ.

Eodem anno Machometes Rex Turcarum, qui Imperatoris nomen primus accepit, qui duo Christianis imperia Constantinopolitanum, & Trapezuntium subuertit, regna duodecim ademit, ducentas vrbes Christianam pietatem secutas cepit, magna & suorum, & hostium lætitia propter crudelitatem inauditam, & omnibus hominibus grauem, animam impiam & blasphemam euomuit. Hic, vt fieri sæpè in magna fortuna solet, suam quoque religionem irrisit, & omnem Dei cultum futilem, & inanem existimauit.

1482. Baiazethes IX. Turcarum Rex, & secundus Imperator, domestica dissensione sedata, & fratre suo ex tota Asia eiecto, regnum stabiliuit.

Eodem anno Ferdinandus Neapolitanus Rex, misso filio Alphonso cū exercitu, Hydruntum ciuitatem à Machomete expugnatam, Turcis eripuit.

Eodem anno Ioannes Castriottus, Scanderbeci filius, ditionem per Machometem patri suo vi ereptam, coactis agminibus recuperabat.

Eodem anno Stephanus Vaiuoda, & Matthias Rex inferiorem Mysiam, quàm nunc Bosnam nominant, Turcæ ademerunt.

1483. Baiazethes contra Sultanum Ægyptium sæpius suo incōmodo pugnans, fœdus cum eo iniit. Pacem quoque cum Rhodiis fecit, nec non alios Christianos sollicitauit, propter metum fratris Zizimi, qui apud Christianos exulabat.

1484. Walachiam Turcæ infesto exercitu petierunt, & deuicerunt.

1486. Turca Getarum gentem circa paludem Mæoticam antiquis suis sedibus eiecit.

1488. Zizimus Baiazethis frater, apud Rhodios exul, Romam ad Innocētium VIII. Pontificem mittitur, tandem cū Pontificis filio Alexandro veneno tollitur.

1490. Alphonsus Lusitaniæ Rex cum decem millibus equitum, & quinquaginta peditum, Sarracenis Granatę regnum eripuit, eorumque reliquias vltra mare compulit.

1492. Cerauniorum montium incolas, tractumque illum Epiroticum, liberarum semper gentium, seruituti Baiazethes subiicit.

Eodem

Eodem anno in Ciliciæ finibus cum Sultano pugnauit infeliciter, & suorum triginta millibus amissis recessit.

Eodem anno Matthias Vngarorum Rex Sabatium, quod Turcæ munierant, firmissimum præsidium expugnans, fines tutiores reddidit, & regnum suum magno metu liberauit.

1493. Misso in Vngariam exercitu, cui præerat Cadumus Bassa, septem millia Vngarorum deleta, & in testimonium stragis Christianis illatæ, multa capita, ac nasi illis abscissi Constantinopolim missi sunt.

1494. Irruerunt Turcæ in Croaciam, quos Maximilianus in fugam vertit.

1497. Hieronymus Thranus Venetus pecuniâ corruptus, Naupactum vrbem, quam Reipublicæ nomine custodiebat, Turcico imperio subiecit.

Eodem anno Turcæ Stiriam, & Carinthiam infestârũt rapinis & latrociniis.

1498. Bellum Venetis Turca intulit, & Iadrensem, ac Sibenicum agrũ in Dalmatia igne, ferroq; desolauit, ingenti prçda abducta. In Foro Iulio itẽ capita hominibus plus quater mille, quos abducere propter inundationem Tiliauenti non poterat, amputari iussit. Venetiæ in periculo & metu constitutæ fuerunt.

1499. Corona vrbs Peloponnesiacâ Turcæ se sponte dedidit.

1500. Metho vrbs Venetis erepta, die Diui Laurentij. Episcopum eius loci decollari iussit Baiazethes in suo cõspectu, oppidanos ad vnum omnes necauit, ædificia maxima ex parte incendit. Amiserunt eodem casu Dyrrhachium, quod inopinantibus omnibus est occupatum.

1501. Quidam ex Christianis Regibus, Venetis amici, vnà cum ipsorum classe; cui Benedictus Pisaurus præerat, Æginam & Mitylenem depopulati sunt, Tenedum incenderunt, Samothracem & Carystum diripuerunt. Pylum receperunt Cephalenen & Nerithum, quæ hodie Diuæ Mauræ appellatur, ceperunt, Naupliam obsidione liberarunt.

Eodem anno Venetus præfectus Leucadiam munitiorẽ factam, pacis caussa, Turcæ restituit.

1502. Turca sibi timens, propter rumorẽ de Elia Propheta Persico acceptum, supra ducentas domos Cõstantinopoli imperauit vnà cum habitatoribus cremari. Fuit autem tantæ æstimationis ille Propheta, vt supra centum quinquaginta hominum millia eius sectam & castra, quæ ornatissima fuerunt, sequerentur, & inter se omnia haberent communia.

Eodem anno cum Lauredano Venetiarum duce, & Ladislao Rege Vngarorum pacem & fœdus Turca iniit. Intestinæ inter Baiazethem, & Zeymum cœperunt discordiæ.

1503. Alexium adiacentem Illyrico Insulam, arce destructa, & deductis in coloniam incolis, Turcæ tradiderunt Veneti.

1504. Rex Hispaniæ in Mauritania Cæsariensi cõtra Sarracenos Magnum portum obtinuit.

1505. Rex Persiæ conserens victrices manus in Asia cum Turcicis copiis eas deleuit.

1509. Granum Africæ ciuitas populosa, & opulenta ab Hispanis occupata est.

1510. Bugia in Africa Hispanorum armis capitur.

1511. Zelymus minimus natu ex Baiazethis filiis patri ætate confecto insidias, fratribus interitum struxit. Fratres tandem cum ipsorum filiis strangulari iubet, patrem toxico per Iudæum tollit.

1512. Zelymus factione militari, & studiis popularibus Imperator salutatur & eligitur x. Turcarum Rex.

1513. Acomathes Zelymi frater Persicis auxiliis adiutus, bellum mouet, sed fortuna illi inuidente capitur & strangulatur.

1514. Pacem cum Venetis atque Vngaris Zelymus renouans, contra Ismaëlem Persarũ Regem ꝓficiscitur, eumq; ad Calderamum oppidũ vincit, & fugat Taurum regiam ciuitatem, olim Artaxata nominatam, sine sanguine, & sudore capit.

1515. Zelymus vincit Ioannem Cepusiensem Principem, & bellum contra Ala-

dulum Cappadociæ Regem suscipit, ducemque eius in fuga captum decollauit, caputque in victoriæ signum Venetias misit.

1516. Zelymus Campsonem Ciaurum Ægypti Sultanum, cum omni suo exercitu deuicit, Sultano etiam in fuga pereunte. Belli autem fortuna prospera vsus Alkairum, Alexandriam, ciuitates turrigeras, ac populosas, totamque Ægyptum suo imperio subdidit. Damascum Syriæ, amplam ac celebrem ciuitatē debellauit.

1517. Pons à Zelymo naualis supra Nilum constratus, vt Tomombeium Ægypti nouum Sultanum insequeretur, quem per proditionem captum, & omnibus tormentis, ac contumeliis vexatum, suspendi ante regiam mandauit.

1518. Maranos Sarracenæ gentis reliquias, Carolus Hispaniarum Rex è regno suo expellit, & barbarorum circiter quadraginta millia occidit.

1520. Zelymus mense Decembri extinguitur vltricibus furiis, eo in loco, quo patrem fuerat hostiliter persecutus. Huic successit Solimanus XI. vel si Moises, qui ante Machometem I. sed non diu, rerum potitus est, connumeretur, XII. Turcarum Rex, Imperator quartus.

1521. Solimanus Belgradum vrbem Daciæ munitissimam expugnauit, Sabatium cepit, multasq; arces, & castella in Vngaria diruit. In Croatia prædas agens, quinque hominum millia abripuit in seruitutem.

1522. Rhodum insulam quadringentis nauibus adiit, & cum maxima hominum multitudine obsedit, sub Iunij mensis finem. Rhodi milites conserentes cum eo fortiter manus, post varias & insignitas strages, viribus exhausti, ciuitatem tradidere, quam Turca ipsis Christi natalibus ingressus est.

1525. Sirmiensem Episcopatum, & omnem eius agrum Turca suo subiecit imperio.

1526. Ludouicus Vngariæ Rex, contra Turcam Vngariam inuadentem pugnaturus, suis ipse copiis præfuit. In acie victus, & sibi fuga consulere cupiens, in palude interijt. Multi insignes viri eo prælio desiderati, ex quibus Stephanus Slico maximum suis dolorem reliquit. Prælium commissum die decollationis Ioannis. Buda Regia vrbs direpta, & nobilis Bibliotheca Matthiæ Regis incensa.

1529. Rhodij milites Meliten insulam Sarracenis eripiunt.

Eodem anno Solimanus redit in Vngariam, Budam munitissimam arcem, receptam à Rege Ferdinando, secundùm obsidet, quam cum frustra laboraret euertere, iis qui eam tenebant, certis conditionibus propositis, persuasit, vt eam traderent. Inde ad Viennam Austriæ perrexit, quam secundo & vicesimo die Septembris obsidet, & quinquies oppugnat, murosq; quadam parte rumpit, sed cum multos suorū amitteret, desperatione adductus, fugæ sese tradidit. Ipso obsidionis tempore ex finitimis locis innumeras prædas egit, & hominū multa millia abduxit, virgines, & matronas nudas proiecit, infantes & pueros palis, stipitibusque affixit. In exercitu centum quadraginta millia virorum habuit, ex quibus circiter octoginta millia tum in oppugnatione Viennæ, tum in fuga, frigore & inedia perierunt. Dux exercitus Christiani Viennam defendentis fuit Philippus, Dux Palatinus, Princeps optimus.

1531. Turcica classis tentat Siciliam, sed conatu irrito.

Modonam ciuitatem maritimam Rhodij equites astu occuparunt.

1532. Gunsium Vngaricum oppidulum, defendente forti & claro viro Nicolao Iurizio, cum ducentis armatorum millibus Solimannus ter decies oppugnauit, non captum tamen vi, sed deditione traditum. Audito autem Caroli Cæsaris aduentu, qui octuaginta peditum millia habuit, & triginta ferè galeatorum equitum ex Germanis, Italis, Hispanis collectorum, exceptis Vngaricis equitibus, Turca non expectandum sibi ratus, per Noricorum montana fugit, multa præda onustus domum rediens.

1534. Solimanus Africanum simul & Vngaricum bellum molitus est, Corradinum enim Barbarossam classis suæ præfectum in Africam, cōtra Tunetanum Regem misit, quem etiam regno priuauit. Ludouicum verò Gritum, Andreæ Venetiarum Ducis filium, in Vngariam, vt Vaiuodam eijceret. Occupata autem Me-

deuischa

deuischa Transsyluaniæ ciuitate, quam Gritus tenebrt, Meilanus Vaiuoda ipsum cum exercitu obtruncauit, eiusq; filios duos ante oculos patris in frusta cōscidit.

1535. Carolus V. in Africam traijciens, Alachenum Tunetanum Regem restituit, & ad viginti captiuorum millia è seruitute liberauit. Tunetam cepit die Ioannis Baptistæ.

Eodem anno Taurus Persiæ ciuitas à Turca vi capitur, in qua cum securius agerent milites, improuiso Tahamæ Persarum Regis aduentu sex & quadraginta Turcarum millia opprimuntur. Spoliis amplis, & Imperatoriis concubinis Persæ cum magno hostium dedecore potiti sunt.

1536. Cambaiæ Rex Indicus, bello lacessitus à finitimis Turcę fauentibus, Regi Lusitaniæ se faciens tributarium, ab eodem defenditur.

1537. Solimanus ex Ponto, & Propontide centum quinquaginta triremes, biremes octoginta, ducenta simul, & septuaginta varij generis nauigia collegit, quibus Corcyram Venetæ ditionis insulam, aggressus, decem dies obsidet, incensisque suburbanis, & agris deuastatis, multisque incolarum aut occisis, aut captis discedit. Zacynthum, & Cythera populatur, Æginam expugnat, & complanat, Parum capit, Naxum tributariam facit. In Apuliam maiorem, & meliorem classis partem, in quam decem millia lectorum peditum, & duo millia equitum robustissimorum imposuerat, mittit, & totam Tyrrheni maris oram ibi deprædatur. Classes Imperatoris, Pontificis, Venetorum coniunctæ, ducum ambitione, & discordia dissipatæ sunt.

1538. In Stiriam incursiones fecerunt Martilosi nominati, genus hominū agreste, & latrociniis deditum, sed incolarum virtute repulsum est.

Eodem anno classis Turcicæ præfectus Adenam Indiæ ciuitatem copiosam adit, Regem ad se pacificè euocatum suspēdit. Dium emporium ad Indi fluminis ostium tentat, à quo non tam armis Lusitanorum, quam insidiis repellitur, cum summa trepidatione vt fugeret.

Eodem anno Calciani ducis perfidia à Christianis infeliciter contra Turcas in Sauia pugnatum est.

1539. Veneti cum Turca pacem renouarunt, traditis illi trecentis millibus coronatorum, & Nauplia, ac Monembasiâ oppidis, in finibus Macedoniæ.

Eodē anno iuxta Epiri littora Turcicæ naues quinquaginta naufragio perierunt, hominū millia viginti, quos tempestas nō hauserat, fames ac pestis absorpsit.

Eodem anno Castellum nouum in Dalmatia, Ducatus S. Sabæ vocati oppidum, & Rizanam ceperunt Christiani.

1540. Castellum nouum, quod Hispani & Germani milites tenebant, conniuentibus Venetis, à Turcis receptum, & direptum est, incolis & militibus, de more, gladio occisis.

1541. Turca relictus tutor Ioannis Vaiuodę infantis filij, cum in Vngaria Ferdinandus Rex Budam oppugnaret, à Georgio monacho Vaiuodæ gentili vocatur. Qui Buda capta, infantem vnà cum matre sequi castra iubet, ipse arcem ingreditur, & Pestum è regione positam ciuitatē, omni apparatu bellico tum instructam, sui iuris facit, die Natiuitatis Mariæ.

Eodem anno Carolus Imperator contra Barbarossam, ad capiendum Argieræ portum, in Mauritaniam Cæsariensem serius nauigans, & (vt aiunt) Pontificis colloquio Lucæ detentus, naufragium fecit. Ipse in Baleares insulas vento reiectus est, multis nauibus ex pulcherrima illa classe vi & iniuria tempestatum amissis. Germanus miles Italo fugiente fortiter contra Mauritanos pro Cæsare pugnauit.

1542. Expeditio in Vngariam facta, ad recuperandam Budam, Duce Ioachimo Brandeburgensi Electore, plures milites morbo, quàm armis perierunt. Oppugnationem tentauerunt quidem, sed non vrserunt. Mauricij Saxoniæ Ducis tus tum maximè eluxit.

Eodem anno Strigonium nouendecim dies obsessum proditione Salamancæ capitur postridiè Laurentij. Quinqueecclesiæ Episcopalis vrbs solo æquata.

1543. Pacis conditiones Ferdinando Regi cum Turca initę ad certum tempus, quæ vtrique parti armis fessæ gratæ fuerunt.

Eodem anno Catharum Dalmaciæ Barbarossa Turcicus præfectus obsedit ducentis triremibus, sed virtute Ioannis Matthęi Bembi repulsus est. Portum Villæfrancæ, & Niciæ idem Barbarossa incendit, sed prædam & captiuos ei extorserunt Garsias Neapolitanus, & triremes Rhodiæ non procul à Siciliæ littoribus.

1546. Poloniæ Rex Sigismundus castellum quoddam Turcæ prope regni sui fines ædificatum, duce Breteuitio diruit, & euertit.

1547. Mustapha Solimani filius, reliquis liberis à patre sublatis, solus imperio destinatus, cupidus paterni imperij, sollicitauit populos Ægyptios, & commouit Persarum arma in patrem.

1548. Solimanus contra Tolcham Regem Persarum maximo cum exercitu profectus, signis infelicibus pugnauit, suis fame & inediâ amissis in Persia, & Tartaris socia arma iungere volentibus, cæsis in minore Armenia.

Eodem anno Curculaius Turcicus pirata, viginti biremibus, & triremibus contra induciarum pacta, Siciliæ & Campaniæ littora infestauit, improuisosque accolas adoriens, ingenti prædâ ditatus est.

Eodem anno Sarraceni Mauritani, auspiciis Regis Sarsensis tumultuantes, ducum Cæsarianorum Sestiani & Albani virtute repressi sunt; Portugallia, & Hispania ab incursione liberatæ.


1549. Turca vt vindicaret recentem ignominiam, nouos exercitus conscripsit contra Persas, & primùm milites suos stipendiorum amplificatione inuitauit, deinde sociorum animos per legatos confirmauit. Sed copias apparatissimas foris fame & peste amisit, & eodem morbo Constantinopoli grassante, quam centum triremium præsidio absens munierat, ad septuaginta hominum millia sublata sunt.

1550. Ineunte hoc anno Solimani mors falsis rumoribus nunciata est, qui triginta annos populum Dei afflixit.

Hic annus autem cum Iubilæus habeatur, & apud Ebræos olim annus mitigationis & leuationis fuerit, te oramus Deus æterne, mitiga propter Filium tuum mala tot annos Ecclesiæ tuę illata, conserua pro immensa misericordia tua doctrinam Euangelij, vt sublatis Machometanorum blasphemiis, gloriosum fiat nomen tuum in gentibus: excita ad necessarium bellum Principum Christianorum animos, vt liberato grege tuo ab impiissimo Tyrannidis iugo, tuam bonitatem & potentiam agnoscat, atque prædicet orbis vniuersus, Amen.

HACTENVS CHRONICON DRECHSLERIANVM.

APPENDIX CHRONICI TVRCICI ADDITA A IOANNE ROSINO.



NEVNTE (1550.) vere, Dragutes Raisus, pirata celebris, auspicijs Solimani Aphricam Barbariæ oppidum, (veteres Aphrodisium appellarunt,) occupauit, & præsidio muniit. Verum Andreæ Doriæ Imperatoris classis Caroli V. Augusti industriâ, atque vigilantiâ & Monasterium Aphrodisio proximum oppidum expugnatum, cæsis ex hostium præsidio trecentis: mancipiis autem mille ac ducentis abductis: & adiuuante suis cum copiis Ferdinando Gonzaga Siciliæ Prorege, Aphrodisium ipsum receptum; vbi plurimi ex Barbaris cæsi, capitum septem millia capta.

1551. Sinan Bassa, quia instructa cũ classe, & adiunctis sibi Dragute, Salaq; Raisis, arcem Melitensem frustra tentasset, transiectis in Africam copiis, Tripolim arcem, & oppidum ditionis Equitum Melitensium, eorumque præsidio munitam, frau-

tam, fraude Dragutis & Salæ Raisorum, & proditione Aramontani, Henrici Galliæ regis Legati, occupauit. Factum hoc die xv. mensis Augusti. Solimanus Tripoli Dragutem cum imperio Sangiacibegi præficit, qui non contentus suis finibus, Caruennæ regem Maurum maiore principatus sui parte spoliat.

1552. Temesuarum Daciæ oppidum à Turcis, ductu Alis Bassæ Budensis obsidetur, ac deditione capitur, interfecto per scelus violatę fidei Stephano Losoncio, illius loci propugnatore. Descripta extat hæc huius arcis expugnatio à viro clarissimo Ioanne Sambuco.

Lippa quoque Solimosus, Chianadia (Vlpianum veteribus dictum) Daciæ oppida, cum aliis castellis occupata: Erasmus Teifelus, Ferdinandi regis exercitus dux, Sfortia Palauicinus, & Augustinus Sbardellatus, Vaciensis præsul ad Palastum cæsi: Dregeltum arx, Giarmatum, Zezenum, aliáque loca vicinia, sub iugum Tyranni Turcici missa. Zolnoccum vltrò cedentibus præsidiariis occupatum 3. die Septembris. Agria summo quidem cum impetu ab eodem Ali Bassa Budensi, Achmate Romaniæ Beglerbego, & Casanæ, aliísque pluribus begis oppugnatum, sed irrito conatu, & magno cum Bassarum dedecore: qui in ea erant Ducibus, aliísque fortibus viris eam feliciter defendentibus. Extat hac de re Ioannis Sambuci narratio.

1553. Classis Turcica cum Gallicis coniuncta copiis ditiones maritimas Caroli Quinti Imperatoris infestans, grauissima Neapolitanis, atque Siculis littoribus damna infert. Capitur & Corsica Genuésium insula, incolis & præsidiariis partim cæsis, partim crudeliter habitis. Hæc tamen insula anno pòst sexto, cum pax inter Philippum, & Henricum, Hispaniæ, Galliæque reges coiuisset, Genuensibus est restituta.

Eodem anno Solimanus filium Mustapham ex Circassa susceptum, exercituíque charum, veritus, ne ab ipso imperio excuteretur, è medio tollit, & paulò pòst filium etiam eius vnicum Amuratem, qui Prusæ apud matrem educabatur. Zangier minimus natu Solimani filius ex Roxolana vxore, conspectu interemti fratris Mustaphæ cadauere, & exprobrato Patri verbis acerbissimis tàm impio diróque facinore, statim suis manibus in propria viscera pugionem adigit, & cadaueri fratris incumbens exspirat.

1555. Turci copiis Gallicis auxilio missi, Plumbinum in mari Thusco obsidione cingunt, sed non sine clade reiecti, Elbam insulam conatu itidem irrito tentant.

Ferdinandus Bohemiæ, Vngariæ, & Romanorum Rex Legatos de pace cum Solimano acturos Constantinopolim mittit, qui totum ibi biennium coguntur hærere.

Bassa Budensis Capenisuarum, præsidiariis ad deditionem compulsis, & Babotzam, nihil dum ab hoste perpessam grauiùs, fide militari deserta, sese dedentem occupat. Zigethum adoriturus, quum fortiter in hostem præsidiarij sese gererent, suíque monerent, ne temerè tentatam obsidionem soluere coactus, Solimanũ offenderet, ab instituto discedit. Gesta hæc apud Vngaros per Autumnũ.

1556. Sequentis anni vere Solimanus Alim Bassam cum copiis denuò in Vngariam misit, qui Zigethum obsidione premeret, atque in potestatem redigeret. Is cõtinuata ad tertium vsque mensem oppugnatione, cum Christiani omnem vim hostilem magna cum strage Turcarum intrepidè repellerent, infecta re militem cum machinis bellicis inglorius abduxit. Priusquam tamen soluta Zigethi obsidione se Turci reciperent, Sammartinum, Gerosgalum, Seliam, Sanlaurentium, & Caliangem (aliis Calamancia dicitur) partim flammis iniectis absumserunt, partim solo æquarunt. Extat huius Zigethanæ obsidionis expositio edita à Ioanne Sambuco.

Ferdinandus, Ferdinandi regis filius, Archidux Austriæ, & Comes Tyrolis, validissimis copiis pro tempore contractis in Vngariam descendit, hostem aggreditur, & cum immortali præclaræ victoriæ monumento reprimit. De his clarissimus D. Petrus Raymundus Amadonus Medicinæ Doctor, & in ea expeditione Physicus.

Eodem anno Transsyluani à Diuo Ferdinando rege suo ad Ioannem filium regis Ioannis nuper reductum deficiunt.

1558. Selimus, Baiazethésque fratres Solimani filij superstite patre inter se de imperio, & successione dimicant, victúsque Baiazethes è Caramania cum viginti millibus armatorum, & quatuor filiis ad regem Persicum Tecmasem (Thammasum alij nominant) profugit.

1559. Solimano, qui Selimi partes fouebat, sollicitante, Baiazetes cum quatuor filiis in Persia, præsente Solimani prægustatore, cui illi noti erant, adhibito neruo suffocantur, & genere mortis genti Ottomanicorum familiari de medio tolluntur: Cadauera necatorum Sebastiam deportata pro more monumentis inferuntur.

1560. Classis Hispanica flagitante magno Magistro Melitensi ad recuperandam Tripolim missa, cum eius expugnandæ, quia præsidium auctum erat, spe deiecta esset; Gersensem insulam (quam ante Dragutes, regulo Insulæ sub amicitiæ prætextu Tripolim euocato, & suspendio necato, interueniente proditione occuparat, eiusque dominium alteri regulo, sex aureorum millia tributi annui nomine pollicito permiserat) petit, nec magno negotio regulum Maurorum adigit, vt tradito castello, deinceps Hispano se regi pariturum, & quotannis sex aureorum millia tributi nomine soluturum stipularetur: pôst congressa cum Turcis magnam accipit cladem, qua vel ab hostibus cæsi, vel aquis absorpti, vel in seruitutem abducti fuere, vel alioqui variis periere casibus decem & octo Christianorum millia, triremes amissæ XXVII. naues onerariæ XIIII. Gasto, Medinensis Ducis Hispani filius, in hostium potestatem venit.

Eodem anno Turci Fileccum in Vngaria superiore locum satis munitum occupant, vbi Sangiacum Solimanus constituit, qui Budensi Bassæ subiectus esset. Neque multo pôst inducias Ferdinandus Augustus, ac Solimanus pepigere, quæ vtrique parti gratæ durarunt, quàm diu Ferdinandus superstes fuit.

1561. Iacobus Heraclides Basilicus Despota, corrogatis quorundam Poloniæ procerum auxiliis, Moldauiam inuadēs, Alexandrum eius regionem crudelem Principem fundit, fugátque, & Moldauię regno pellit: ipse principatum illum occupat, profusisque apud Portam largitionibus à Solimano, vt in eo pro more confirmaretur, impetrat.

1563. Idem Despota à suis Valachis, hominibus improbis fraude circumuentus, vt elabi non posset, die v. Nouembris occiditur. In huius locum vocatus à Valachis Dux Demetrius Visnouecius, non multo post, Solimano Constantinopolim vinctus ad certam necem mittitur. Cuius loco Thomsa Princeps à factiosis salutatur: sed cum perexiguo tempore rem Valacham administrasset, ab Alexandro iam reuerso expellitur, & in Russiam vsque fugatus, Sigismundi Augusti Poloniæ regis iussu ad Podoliæ Leontopolim capite plectitur.

1564. Duce Garzia Toletano feliciter occupata fuit arx in ora maritimæ Africæ, siue Barbariæ sita, quam Pignonem siue rupem Velezi oppidi vocant, Turcicorum hactenus piratarum Hispanum pelagus infestantium, quod esset in præruptis posita scopulis, & vndiq; mari circumfluo munita, receptaculum. Factum hoc mense Septembri.

Sub exitum eiusdem anni demortuo prius Ferdinando Augusto, die XXV. Iulij, filióque Maximiliano vix imperium auspicato, Ioannes Sigismundus Princeps Transsyluaniæ, (Erdelij begum Turci vocant) fretus viribus potentis patroni Solimani, & perduellium quorundam Procerum, in primis Georgij Bebeci consiliis incitatus, Zatmarum haud exigui momenti munitionem, eiecto Melchiore Balassa, præfecto Cæsaris, ac thesauris eius, coniuge, liberisq; captis, suam in potestatem redigit.

1565. Lazarus Suuendius Baro altæ Landispergæ, Dux exercitus Maximiliani Imperatoris, copias equitum, peditúmque Germanorum in agrum Cepusiensem educit, media bruma Tocaium locum munitissimum Turcis defendentibus, admirabili celeritate expugnat: quo capto, neque multò pôst ictu sclopeti occiso

Francisco

Francisco Nemethio præfecto, arx etiam à præsidiariis dedita fuit. Expugnationem hanc diligenter descriptam edidit Ioannes Sambucus. Inde Zerenzium in potestatem redigit: & Zatmarum, quam Transsyluaniæ Princeps superiori anno occupatam, de eius defensione desperans, indefensam reliquerat, ob naturalem situs commoditatem mox instaurat. Hinc transmisso Tibisco Erdeudam, Cuuaram, Batorem, Vibaniam, Sendereuiam, arces & dominia amplissima, aliáque insignia loca Maximiliani imperio subiicit.

Eodem anno Solimanus ingentem classem, quæ triremibus, onerariis aliísque diuersis nauigiis 250. constabat, ad Melitem insulam oppugnandam misit: quæ S. Helmo, castello in ipso portus ostio expugnato, atque euerso, post diuturnam, validissimámque oppugnationem munitionis S. Michaëlis, Hierosolymitanis equitibus incredibili virtute locum tuentibus, cum quatuor menses hoc bello absumsissent, & hyems iã appeteret, re infecta, & magna clade accepta, amissis scilicet suorum viginti tribus millibus, recessit. Ex Melitensibus 240 equites, militum tria millia, bello inutilis turbæ capita 1700 cæsa. Descripsit res hoc bello gestas Claudius Grangeus Biturix.

1566. Chius maris Ægæi insula, à Piali Bassa, qui rebus ad Meliten infeliciter gestis, Constantinopolim contendebat, ipsis feriis Paschalibus insidiose in potestatem Imperatoris Turcici redigitur, Præfecto Insulæ cum XII viris Rempublicam administrantibus dolo ex vrbe in classem Turcicam euocatis, & detentis, qui postea cum familiabus, & aliis primariis Constantinopolim missi, & hinc inde varias in regiones deportati sunt. Turcicus magistratus Chiensibus datus, & templa Christianorum solo æquata: Vnicum S. Dominici relictum, ritibus Turcorum initiatur, vt Messitæ (sic templum Mahometicis sacris dedicatum, Turci appellant) loco Turcis esset. Captiui tamen subsequentibus annis, intercedente Rege Galliæ Turcis confœderato patriæ restituti fuerunt, & vmbra quædam administrationis, iudiciorúmque pristinorum miseris Chiensibus concessa.

Solimanus à Ioanne Sigismundo Transsyluaniæ Principe exoratus, suscipit expeditionem in Vngariam aduersus Maximilianum Imperatorem.

Palota a Budensi Bassa militum corona circumdatur, sed Turcis inopinato aduentu Georgij Comitis Helfestainij territis, ac in fugam se coniicientibus, obsidione liberatur.

Vltimo die Iunij Vesprinium ab eodem Comite Helfestainio, & Egone Salmensi Comite expugnatur, barbaris ad vnum omnibus, præter quinque trucidatis. Capitur etiam Tata.

Maximilianus Imperator cum numerosissimo, expeditissimóque Christianorum exercitu generaliter parato, in regnum Vngariæ Komaron vsque ad hostium vim reprimendam descẽdit, ibique non solum Vngariæ, sed & totius Christianitatis propugnacula contra hostiles incursiones tutatur.

Tatari, gens immanitate barbara, à Solimano exciti, superiores Vngarię partes, vltra & citra Tibiscum latè discurrunt, prædas abigunt, omnia flamma vastãt, omnísque ætatis & sexus homines partim cædunt, partim in seruitutem perpetuam abducunt. Horum ad decem millia à Suuendio superantur, cæduntur, ac finibus eiiciuntur: Ducibus ipsorum begis Turcicis altero interemto, altero lethaliter sauciato.

Ab eodémque Suuendio Georgij Bebeci perduellis arces aliquot, Zabatica, Pelsozium, Combazzecum, Crasnahurca, Gadige, aliáque his vicina, tùm castella, tùm munitiones expugnantur.

Giula, & Zigethum munita Vngariæ loca in Turcorũ potestatem veniunt, fortiter pugnante, & tandem occumbente Comite Zerinio, cum insigni nobilium Vngarorum, strenuorúmque militum numero interemto. Descripsit hanc duarum munitionum expugnationem Ioannes Sambucus.

Triduo ante expugnatum Zigethum, Solimanus, cum antea etiam vt fama fuit, epilepsiæ paroxismis, item apoplexiæ, podagræ, & gangrænæ obnoxius fuisset, in castris moritur dysenteria, die IV. Septemb. anno ætatis 76. vel, vt nonnulli

malunt, 67. postquam imperio præfuisset annos 46. menses 6. Eius obitus tantisper occultatus fuit, astu vaferrimi Veziris bassæ Mechmetis, (necato etiam noctu Solimani archiatro, ne per eum Imperatoris mors emanaret) dum Selimus Solimani filius, occupato citra tumultum imperio, ad exercitum in castra venisset. Ferunt hunc Solimanum, qua fuit barbarica arrogantia, & iactantia, sæpius dicere solitum, Romæ, ac totius Occidentis imperium ad se pertinere, propterea quod ipse Imperatoris Constantini, qui imperium Byzantium transtulit, successor sit.

Occupato Zigetho Baboza, cui Turci iam appropinquabant, ab incolis incnlis incensa deseritur: quorum exemplum Sacchani, & Zorgenses imitantur.

Hoc eodem anno, XXIII die mensis Septembris, Selimus II. ætatis annum agens 42. in imperio Solimano patri successit, Turcarum rex XIII. Imperator V.

1567. Selimus ob imminentis hyemis asperitatem Constantinopolim redit, relicto in Vngaria cum satis magnis Turcorum, Valachorum, Tartarorúmque copiis Pertauo Bassa, Transsyluaniæ Principi auxilium aduersus Maximiliani Imperatoris exercitum laturo.

Transsyluanus Tocaium obsidione cingit, sed eam soluere cogitur, Tataris, Turcis, & Valachis auxiliariis, illius ipsius ditionem populantibus, & inaudita crudelitate passim in fortunas, & corpora miserorum cuiusuis ætatis, & sexus grassantibus: quos postea accepta haud exigua clade territos, atque in Podoliam & Russiam fugatos Palatinus Russorum debellauit.

1568. Zatuarum haud leuis momenti castrum in finibus Transsyluaniæ situm, Suuendij virtute, medio mense Ianuario expugnatur: quo in loco Suuendius parùm abfuit, quin tormentariis globis petitus occubuisset.

Muncazio loco munitissimo in Transsyluaniæ finibus per deditionem capto, induciæ quædam fuerunt, vt de pace actiones institui possent: sed earum parum obseruantes Transsyluani duces, quia videbant Suuendium, ne spem pacis interturbaret, Cassouiam abiisse; collectis non magnis copiis, impressione nec opinata Risuarum adorti capiunt, & thermas, quas Riuulos Dominorum appellant, biennio antè à Suuendio ipsis ademtas, occupant: sed Ruberus Suuendij legatus vtraque recipit, præsidiarios Risuari interficit: Riuulis autem exorto incendio, propugnatores maiori ex parte extinguuntur.

Hoc denique anno pax, octauo quoque anno renouandæ, inter Maximilianum Augustum, & Selimum coiit, qua Transsyluanus etiam comprehendebatur. Eius cum aliæ leges, & conditiones erant, tùm, vti quisque sibi retineret, quicquid eo bello cepisset. Id quod Maximiliani rebus plurimum profuit: qui fines suos opera Suuendij sic ampliarat, vt ad quadraginta milliaria Germanica cis, & vltra Tibiscum latè dominaretur.

1569. Splendidissimum, & instructissimum Venetiis nauale sub medium mensem Septembrem, accenso tormentario puluere, maximo cum reipublicæ detrimento conflagrauit. Ibidem tàm in vrbe, quàm terra continente, diuturna & insitata quædam erat annonæ caritas. Quo Venetorum aduerso casu permotus Selimus, (licet initio regni pacem à Solimano patre cum Venetis initam confirmasset) vel propria ambitione, vel suorum impulsu, bellum iis inferre statuit, sub prætextu regni Cyprij cuius possessionem nullo iure à Venetis hactenus vsurpatam, Selimus ob successionem gentis Otomanicorum in iura Sultanorum Ægypti, ad se pertinere contendebat.

XXVII Septembris die incendium Constantinopoli exoritur, quod totum biduum durat, & domorum, ac multiplicis mercimonij tabernarum circiter triginta & sex millia absumit, Ianizaris, quorum Præfectus decumbebat, ad extinguendum ignem non accurrentibus.

1570. Selimus per legatum Venetias missum, Cyprum insulam à Senatu repetit, ferensq; repulsam, bellum ei denunciat. Hinc Cyprium bellum, quod à Ioanne Baptista Contareno Veneto, & Petro Byzaro Sentinate descriptum habetur, exortum: ad quod gerendum Selimus tres Bassas, Mustapham cum copiis terrestribus, Pialin, atque Alin cum classe mittit.

Pialis

Pialis Bassa profectus cum suis ad Tenum Insulam Venetorum in Ægæo, ferro ac flammis eam, non sine graui tamen suorum iactura, direptam vastat.

Sebastianus Venerius, Insulæ Corcyræ maxima cum potestate præses, mense Iunio Suppotoum castrum Albaniæ non procul à Corcyra situm expugnat, præsidióque imposito rebus necessariis munit.

Sub eiusdem mensis exitum Marcus Quirinus, classis Venetæ in Hadriatico mari præfectus, arcem sinus Mainensis ad portum, quem vulgò Qualliarum, siue Coturnicum vocant, positam feliciter expugnat, actisque sub ea cuniculis, & supposito incensoque puluere tormentario, funditus euersam diruit, ne barbaris amplius receptum præberet.

Nicosia Cypri metropolis sub exitum mensis Iulij à Mustapha Bassa obsideri cœpta, & acerrimè tàm oppugnata, quàm defensa, decimo tantum Septembris die in hostium potestatem venit, miseréque diripitur, cæsis præsidiariis, extincta nobilitate, perexiguis reliquiis seruituti mancipatis.

Quarto Octobris die in Famagustæ vrbis conspectu Prætoria Mechmetis Veziris Bassæ primarij triremis, & aliæ duæ naues magno captiuorum vtriusque sexus numero, flore nimirum iuuentutis Nicosiæ, & multa, atque preciosa præda onustæ, vt Constantinopolim Imperatori Selimo dono mitterentur, puluere tormentario, vel ipsius gubernatoris negligentia, vel studio captiuæ fœminæ nobilis, quæ mori, quàm indigna ab immanissimis hostibus pati maluit, incenso, in vniuersum disiiciuntur, omnibus, qui in iis fuerant, exceptis gubernatore cum tribus captiuis, qui aufugerant, miserè pereuntibus.

1571. Famagustam Mustaphas Bassa obsidere cœpit mense Aprili.

Turcica classis Duce Ali Bassa, Cretam insulam (nunc Candiam vocant) petit, vbi exposito in terram milite, sæuitum in obuios immaniter. Rhetymum oppidum ab incolis desertum, mense Iunio, nemine resistente vastatur. Cæteræ ciuitates munitæ, & oppida detrimentum nullum accipiunt. Desiderati Turcicis è copiis tria millia septingenti.

Cerigus Veneti iuris insula, (Cytheram veteres dixere) maiori ex parte diripitur. Zacynthi, & Cephalleniæ suburbia, & vici excidio dantur. Suppotoum arx, cæsis, captísque præsidiariis, à Turcis recipitur: cuius etiam præfectus Manuel Murmurius, vir bello strenuus, in hostis potestatem venit.

Dulcinium situm in Albaniæ, Dalmatiæque finibus oppidum, mense Iulio Turcis se dedidit, ciuibus libertatem suam, militibus vitæ pactis incolumitatem: qui tamen contendentibus inter se de possessione oppidi Bassis, plærique omnes in seruitutem abducuntur.

Potiuntur Turci etiam Antibari, per summam ignauiam deditionem faciente Alexandro Donato Præfecto: item Butua, quæ, quod versus mare parùm munita esset, defendi non potuit. Liesenæ insulæ (Farum Dalmatæ vocant) suburbia depopulantur, arcem tentare non ausi. Insulæ Curzolæ (quam Corcyram nigram vocant) Vlatim pagum flammis iniectis exurunt. Oppidum insulæ, quod ipsum quoque Curzolæ nomen habet, à viris desertum cum aggrederentur, fœminis animose patriam defendentibus, memorabili cum marium Curzolanorum, & ipsorum hostium infamia, fœmineique sexus immortali laude reiiciuntur.

Famagustani aliquot menses obsessi, cum fortiter hactenus omnem vim hostilem sustinuissent, tandem mense Augusto, in extrema rerum omnium penuria deditionem fecêre, certis cõditionibus à Mustapha Bassa approbatis, ipsiusque manu subsignatis: quæ tamen seruatæ non sunt. Marcus enim Antonius Bragadinus, sub quo defensa hactenus Famagusta fuerat, cum illustri nobilium virorum Comitatu in Mustaphæ castra veniens, eique claues ciuitatis, quod in deditionibus fieri solet, offerens, exceptus initio comiter à Mustapha Bassa, mox ab illa crudeli bellua per summum scelus violata fide, cum aliis per ludibrium adficitur exquisitis iniuriis, tùm ad extremum viuus exoriatur. Laurentius Teupolus Paphi præfectus, qui & ipse cum aliis Famagustam singulare virtute

propugnârat, suspendio necatur: cæteri deditiij immaniter cōtrucidantur. Turcorum, qui obsidionis principio in vniuersum ad ducenta millia censebantur, obsidione durante octuaginta millia periisse constat.

Die VII. Octobris committitur à classe Hispanica & Veneta prælium cum classe Turcica ad tres exiguas insulas, vel marinos potius scopulos, quos Strabo Echinadas insulas, Apollodorus Strophadas, hodie Cuzolaros tam Græci, quàm nostri vocant. Victoria potiuntur multis à sæculis inaudita Christiani. Perit occisus Alis Bassa, Pertauus Bassa animaduerso præsenti suorum interitu, non magno nauigio fugiens ad terram euadit. Vluzalis mari profugit cum triginta plus, minúsve triremibus. Cæsa fuerunt ad vigintiquinque millia hostium, capta quatuor millia, classis hostilis vniuersa cum spoliis immensis Christianorum in potestatem venit, iis duntaxat exceptis triremibus, quos euasisse diximus. Liberata Christiana mancipia supra quatuordecim millia. Cum hæc fœderatorum Principum naualis victoria in Perside nuntiata fuisset, multíque proceres ad arma palam in Turcos capienda Regem suum Tecmasen adhortarentur, non prius se capturum respondit, quàm vidisset vtiliores Christianorum progressus: parui referre, ligneas scutulas demersisse, dum sunt incolumes syluæ, ac possidentur, vnde possint aliæ exscindi.

Hac Turcis illata clade, Veneti Margaritanum, in Chimeriotarum regione, quæ Albaniæ pars est, haud procul à Corcyra situm, deditione capiunt, XII. Nouembris die, barbaris vitam, facultatésque paciscentibus: ipsum castrum mox igne concrematum diruunt. Suppotoum quoque desertum à Turcis Albani occupant, & Venetis restituunt: à quibus redditum deinceps Selimo fuit.

Hoc eodem anno obiit Ioannes Sigismundus Transsyluaniæ Princeps; cui cum onere tributi annui Turcarum Imperatori soluendi successit Stephanus Bathorius Somlianus, nobilis Vngarus.

1572. Mense Maio anni proximè sequentis tentata fuit à Venetis obsidio Castelli noui in Dalmatia, captaque suburbia: sed succurrentibus barbaris ab obsidione discessum.

Veneti, cum tantoperè à Turca terra maríque premerentur, omnia ad bellum necessaria rursus apparant, sed sociis classibus tardius aduentantibus, & Turcica classe vt plurimum retrocedente, nec pugnæ copiam faciente, nulla re ferè memorabili gesta in hyberna reditum. Cæsi tamen aliquot centeni Turcorum, & in his Begus Mitylenensis, Dragutis gener in frusta dissectus.

1573. Turci duce Vluzali Bassa, excusso Amida rege Thunisino, (vel Thunetano) auctoritate Selimi alium in eius locum suffecerunt.

Ioannes de Austria nauali de Turcis victoria toto iam orbe celebris, ab Amida rege Thunisino à Turcis fugato, & Guletæ, quæ Hispanorum præsidio tenebatur, priuatam cum duobus filiis vitam agente, regni autem recuperandi desiderio flagrante exoratus, insigni cum classe, comitatus etiam cū aliis triremibus à Duce Suessano, & Ioanne Andrea Doria in Africam traiicit, Thunisim occupat, regem à Turcis datum in potestatem redigit, vrbem captam militi suo diripiendam concedit, Abidam fluxæ fidei hominem cū duobus filiis in Siciliam transuehi iubet, Machometē Abidæ fratrem regno præficit, accepto prius ab ipso Sacramento, quo se perpetuò fidelem Hispano regi clientem futurum promitteret. Inde communicato cum aliis consilio nouā munitionem inter Guletam & Thunisim ad interiectum vtrique lacum exstruere instituit, vt hoc modo & Guleta firmior efficeretur, & tanto facilius in fide barbari continerentur.

1574. Initio sequentis anni Veneti certas ob caussas, non consultis, & inuitis adeò Pontifice, atque Hispano, contra leges fœderis, pacem cum Selimo faciunt.

Selimus ægerrimè Christianorum in Africa progressus ferens, Sinanē Bassam classi supremo cum imperio præfectum in Africam mittit, qui cum noua munitio nondum perfecta, & præsidiariorum etiam numerus, exauctoratis temerè nonnullis, quos omnem in euentum retentos oportuit, deminutus esset, munitiones illas omnes nullo propè negotio in potestatem suam redigit. Guleta

expugnata,

expugnata, & solo æquata Christiani omnes, exceptis quatuordecim ex proceribus, qui vincti Constantinopolim sunt missi, crudelissimè trucidati sunt. Caetera Guletæ præfectus, quem quidem proditionis nonnulli insimularunt, præmii loco pro vili mancipio aliquandiu habitus, & propè Corcyram in ignominiam Hispanæ gentis ad necem vsque fustibus, iussu Sinanis, cæsus. Gabriel Serbellonius Mediolanensis, nouæ munitionis perficiundæ caussa à Ioanne Austrio cum præsidio relictus, crudeliter à Sinane Bassa tractatus. Hoc modo prorsus eiecti sunt Hispani ex Aphrica intra trigesimum & sextum diem: amissaque per summam ignauiam ea, quæ Carolus V. Imperator in potestatem optimo consilio redegerat, vt securitati Siciliæ, regni Neapolitani, totiusque tum Italiæ, tum Hispaniæ consuleret.

Sinan Bassa ex Aphricano bello rediens & Corcyram insulam exscindens, in insulanos, reiectis etiam muneribus, quæ ipsi offerebantur, immaniter grassatus, Corcyræ muniendæ Venetis causam præbuit.

Selimus Maronitas & Tuscos populos, Libanum montem inhabitantes, religionemque profitentes Christianam, sub iugum mittere, sed frustra tentat.

Princeps Iuonia, (sic Ioannem vocant) Valachiæ Despota, quum iniqua petentibus Turcis denegasset, adiunctoque sibi non magno Polonorum equitum, militumque numero, nec contemnendis suorum coactis copiis, nimis graue barbarorum iugum excutere conaretur, à fidelissimis sibi creditis proditus, qui missi fuerant, vt à traiectione Danubii Turcos arcerent, indignam magnanimitate sua mortem oppetit. Et Petrus alterius Valachiæ Principis frater, fauentibus Turcis sufficitur. Cæsa ab Iuonis exercitu Turcorum, Muldauorum, & Vngarorum supra ducenta millia. Descripsit huius historiam belli Leonhardus Gorecius, eques Polonus, vbi sub finem hæc addit: Post tam ignobilem cædem Iuoniæ, Selimus totam Muldauiam occupat: omnes ferè stirpis Valachicæ, tam summos, quàm infimos crudeliter è medio tollit, totaque Valachia occupata, arcibusque ipsius firmo præsidio munitis alia multitudine alibi in colonias deducta, in Russiam intentus est.

Mense Augusto Seraclium (sic arcem vocant Turci) Portæ Imperatoris ferè contiguum incendio perit, quod intra biduum vix integre restinctum est. Damnum quod fecit eo incendio Imperator, decies centenis millibus, à quibusdam pluris æstimatur.

Eodem anno mense Decembri obiit Selimus II. Solimani filius, cum regnasset annos octo. Ferũt huic diuinos quosdam hoc imperii tempus prædixisse: quod cum breue ipsi videretur, solitum fuisse dicere, voluptatibus impendendum esse. Quare etiam venere, & vino exhaustus febre extinguitur. Bella non nisi per legatos gessit.

1575. Extincto Selimo II. filius ipsius Amurates III. imperium auspicatus est, annum agens ætatis XXVII. Turcarum Rex XIIII. Imperator VI. Hic ante omnia recepto more barbaro, strangulari quinque fratres natu se minores in præsentia sua iussit: quorum minimi ceruicibus & iugulo, cum pro more neruus adhiberetur, incertum an tenerioris in hunc amoris caussa motum, an conscientia patratæ crudelitatis in omnes, illachrymasse quidem ipsum constat.

Eodem hoc anno Ismael II. Tecmasis (vel Tammasi) filius secundogenitus, fratre eius Haidar Mirise decimosexto regni die à Proceribus quibusdam occiso, Persarum Rex, Sangiacum quendam Curdum, qui à Turca defecerat, receptans, accedentibus etiam aliis causis ex superstitionum dissidiis, & vana somniorum apud Turcos obseruatione, falsaque eorum interpretatione, occasionem præbuit bello atrocissimo inter Persas & Turcos gesto, quod descriptum extat à Petro Byzaro Sentinate, latina, & Ioanne Thoma Minaduo Italo, patria lingua, inde in Germanicam etiam linguam tanslatum.

Turci limitanei Duce Husreue Bassa, Wani Beglerbego, Persicis finibus damnum per incursiones inferre incipiunt.

Imperator Turcicus memor cladis, quam Iuonia cum Polonis Cosaccis su-

periore anno ditionib. Turcicis intulerat, vt aliquãdo Polonos vlciscerentur, immissis mense Octobri centum & vndecim millibus Scytharum (siue Tatarorum Præcopiensium) regiones Russicas quaqua versus ad quadraginta milliaria peruastat, ducentas domos equestris ordinis, ac pagos permultos flamma iniecta immites isti hostes exurunt: senioribus è plebe, puerulisque plorantibus contrucidatis: Nobiles circiter triginta vel in prælijs occidunt, vel cum vxoribus, liberisque in Valachiam miseris modis colligatos abducunt, multos boum, ouiumque greges, multa equorum armenta abigunt. Interea Cosacci Borysthenis accolę ductore Bogdano Rosinskio in Scythiam irruunt, flamma & cædib. omnia complent, fœminarum vbera abscindunt, alias excæcant, liberos illarum collidunt, & veteres captiuos liberant.

1576. Stephanus Batorius Transsyluaniæ Princeps, Turcis Erdelianus Begus dictus, commendatione Amuratis Patroni sui Poloniæ Rex factus est, cum Henricus Valesius Gallus à morte Caroli IX. fratris in Galliam se recepisset.

Ismaeli II. Persarum Regi propter nimiam sæuitiam veneno, quod sororis operà propinatum ipsi fuerat, sublato, succedit frater natu maximus, Tecmasi filius primogenitus, Muchemetes, cognomine Hodabendos, quod Dei seruum significat. Hic bellum Turcicum à fratre inchoatum prosequuturus, filium Emir Chan Mirisen, magni iuuenem animi, gerendarumque rerum in primis auidum supremo cum imperio suis copiis præficit: prius tamen quàm hostile quid faceret, legatos ad Amuratem, de pace inter cognatas, & eiusdem superstitionis gentes conseruanda tractaturos mittit.

1577. Muchemetes Persarum Rex cognito Amuratis animo à pace alieno, vires suas vt confirmaret, & cum populis Vlu Chan Chitaino, & Kezies Bassæ subditis fœdere inito, eos sibi bello contra Turcos gerendo socios adiungit, & à quibusdã non paruæ auctoritatis Turcis auxiliares, & à Georgianis quoque, antiquitus Iberis dictis, copias non exiguas impetrat.

1578. Exercitus Turcicus, qui erat numero ad ducēta millia, cui Mustapha Bassa supremo cum imperio pręfectus erat, Georgianorum (Christianam hi religionem Græco ritu colunt) res per summam crudelitatem agere ferro incipit.

Mustapha Bassa Principis cuiusdam fœminæ inter Georgianos filios duos, subiectionis & obedientiæ erga Amuratem caussa sub fide publica ad se missos, nulla datæ fidei habita ratione, Constantinopolim mittit, Amurati insinuãs, modò ditionem illam iugo subiicere suo vellet, daret operam, vt vel vterque, vel alteruter duntaxat Turcicam amplecteretur religionem, id quod à fratre natu minore factum: alter natu maior, licet multùm tentatus precibus, promissis, minis denique formidabilibus, cum adduci non posset, vt Christianam fidem desereret, vbi primum cum fratre in patriam reuersus esset, expirat, veneno vel à fratre, vti existimatum fuit, vel à Turcis propinato sublatus.

Idem Mustapha Bassa post varios conflictus, & pugnas, quibus modo cum Persis, modo cum Georgianis insigni cum exercitus iactura congressus est, (vno enim prælio mense Augusto, duce Tecmase Reuani domino XV. millia Turcorum cæsa) Tiphlisium vrbē in Georgianorum regione, mense Septemb. capit.

Redacto in potestatem Turcici Imperatoris Tiphlisio, ac Beglerbego, & Quæstore ei Præpositis, Mustapha Bassa, transmisso cum copiis flumine Ares, vbi vno duntaxat die XVII. millia suorum amisit, quos vorticosus amnis præter equos, camelos, & mulos absumpsit, Siruano, Siruani, siue Mediæ metropoli, nemine resistente potitur, cum Persæ facultates suas omnes auexissent, totamque viciniam ferro & igni vastassent. Verùm digresso Mustapha, & relicto Siruani cum præsidio Beglerbego, Persæ cum eo prælio congressi, victoriam insignem consequuntur, Beglerbego omni cum exercitu cæso: Siruanum recipiunt, res à Turcis relictas diripiunt, Siruanum muris nudant, & propugnacula à Turcis ædificari cœpta diruunt. Periisse hoc primo belli Persici anno dicuntur Turcorum septuaginta millia.

Osman Bassa (siue Secretarius aut Consiliarius) Portæ factus, & cum exercitu

citu in Georgianorum finibus à Mustapha relictus, Siruano à Persis recepto, cum paucis suorum Temircapim, siue Derbentum aufugit. Principem eius loci amicum sibi reddit, filia eius matrimonio sibi iuncta, cuius opera postmodum socerum veneno tollit, & totam istam regionem, possessione sibi ab Amurate confirmata occupat.

Hoc eodem anno Bassa Budensis, nec multò pòst, vel certè anno sequenti etiam Alexendrinus Præfectus Amuratis iussu strangulantur.

1579. Osman Bassa acceptis auxiliaribus copiis LX. Tatarorum millibus, quib. duo Tatariæ Regis fratres præerant, & rebus aliis bello necessariis, ex arce Temircapina solitis in Siruani fines excursionibus damnum Persis inferens, eos ad prælium alicit, quo Tatari ad internecionem vnà cum altero Tatari Regis fratre cæduntur ac delentur. alter frater viuus ab hostibus capitur. Osman ipse Bassa cum paucissimis suorum vix saluus euadit, quibuscum more latronum quotidie vicinas sibi ditiones prædis agendis infestare incipit, nullo nec amicorum, nec hostium discrimine, rationeque habita.

Mustapha quoque Bassa exercitum ad fines Persicos ducit, diuersisque præliis modò cum Persis, modo cum Georgianis confligens, inferior semper, insigni cum suorū clade discedit. Carseum tamen munit, & Beglerbegum ei cum Quæstore præficit, sicut & ad Tschilderim, in Georgianæ limitibus.

Vluzalis Bassa, præfectus maris, ab Amurate in Mengreliam, regionem populorum Colchidis missus, iis in locis munitionem, Fassam nomine ædificat, quo facilius in Georgianos duci copiæ possent: sed ea non multo post Vluzalis discessum penitus ab hoste diruitur, & vastatur.

Persa de dispersis hinc inde propter egestatem, contagiosæ luis vim, & imminens hybernum frigus, profugisque Turcis factus certior, in hosticum profugit, prædaque ingenti onustus, in hyberna militem & ipse dimittit.

Mustapha Bassa, ob res infeliciter gestas ad Portam ab Amurate reuocatur, eiusq; in locū sufficitur Sinan Bassa, cui confestim imperatur, vt primo vere semet ad expeditionē Persicam rebus ab omnib. egregiè paratus, & instructus accingat.

Vndecima Octob. die, Machumetes Bassa, homo penè octogenarius, quique trium Imperatorum supremus Vezires, siue locum tenens fuerat, hora quarta pomeridiana, à quodam mendico Turcico, (talē quippe se dissimulauerat) supplicationem exhibente, in aulico suo Senatu (Diuanum Turci appellant) interficitur, percussus cultello in dextrum pectus illiso, ex quo vulnere duabus post horis moritur: homicida pariter sequenti die in quatuor partes dissecatur.

Mustapha Bassa in summo vitæ versans discrimine, immensis largitionibus aliquam apud Amuratem gratiam redimit.

Sinan Bassa supremo cum imperio, Veziris azemis, hoc est, supremi consiliarii Portæ insuper dignitate ornatus, contra Persas mittitur: sed propter militum ab antecessore relictorum paucitatem nihil admodum memoria dignum efficere potest: ingressurus Georgianorum regionem, magna clade afficitur, multis ibidem etiam bellicis machinis amissis.

Eiusdem exercitus Tiphlisio ab hostibus circumsesso auxilio missus, tanto cum impetu à Persis & Georgianis inuaditur, vt omnib. rebus amissis, propè nullus ex eis saluus ad Sinanis castra reuerteretur. Quo factum est, vt intra Tiphlisium obsessi Turci, dira fame, gustatis etiam canum, muriumque carnibus, extinguerentur.

Mense huius anni Augusto, Regis Persici orator Maxudes Chan, pacis cum Turcis componendæ caussa Constantinopolim missus, quia Turci nimis iniqua postularent, vt nimirum Persæ ipsis omnia tam Siruano comprehensa, quàm extra Siruanum posita loca, tentoriaque relinquerent, quibus hoc bello Mustaphæ Bassæ equus calces suas impressisset, quod Persis faciendum non fuit, re infecta Constantinopoli discedit: domum reuersus aliquanto pòst perduellionis crimen incurrit, & Rege suo deserto, Amuratis se fidei permittit, Ferhatemq; Bassam deinceps ad bellum Persicum proficiscentem sequitur.

I 2

Eiuſdem menſis Auguſti die ſexto Muſtapha Baſſa Conſtantinopoli moritur, vel morbo ex eſu melopeponum contracto, vel ſumpto veneno metu ſupplicii, quod vereretur ne priores ad cauſas, ob quas Amuratis indignationem incurrerat, accedente Perſici Oratoris accuſatione de ſuppreſſis aliquot Regis ſui legationibus, magna cum infamia vitæ periculum adiret. Facultates mortui fiſco fuerunt illatæ, portione quadam nepotibus relicta.

1581. Sequenti anno nihil ferè memorabile geſtum fuit, propter extremam in limitibus & caſtris inopiam, ipſis etiam militibus ab hoc bello prorſus alienis, & quacunq; ratione poſſent, ſe ſubducentibus. Pactis igitur induciis de pace agi cœptum. Sinan Baſſa relictis caſtris Conſtantinopolim proficiſcitur, & magna pompa ab obuiam ſibi prodeuntibus Portæ proceribus excipitur.

Eodem anno Conſtantinopolim vocatus venit Beglerbegus ciuitatis, & dominationis Ezerumenſis, qui quod inauſpicati belli ſuaſor extitiſſet, capitis pœnas dediſſet, niſi matre & vxore Amuratis centum millib. aureorum ſibi conciliatis, & exinde pro ſe intercedentibus, veniam ab Imperatore ita impetraſſet, vt continuò ducenta ducatorum millia in Amuratis ærarium inferret.

Machometes Amuratis filius, maxima, & hactenus inuſitata atque inaudita pompa Conſtantinopoli circumciditur, præſentibus Imperatoris Romani, item Galliæ, Poloniæ, Perſiæ, & Africanorum, Maroci, & Feſſæ, ac Tatarorum regum, Erdelii, Moldauię, Valachię, aliorumq; Principum, ac Senatus Veneti legatis. Egit tum Machometes ætatis annum XV. vel vt alii, XVII. Durauit ipſa feſtiuitas, in quam impenſi ſumptus æſtimantur decies centenis millib. ducatorum, totis quadraginta diebus, & noctibus continuis. cœpit enim 28. die menſis Maii, & durauit ad 7. Iulii, quo ſub ipſum noctis initium à Mechmete Baſſa poſtremo inter Vezires, qui Solimani tonſor aliquando fuerat, non publicè, ſed in patris cubiculo circumciſus fuit. Munera Machometi oblata æſtimata dicuntur vities centenis millibus ducatorum. Exitus huius tantæ feſtiuitatis fuit aliquando triſtior, propter filium Amuratis alterum Mahumetem tertio poſt ortum die extinctum, id quod factum 17. Iulii, propter excitatum incendium in publicis, & amplis nonnullis diuerſoriis, & exortum inter Ianitſcharos, & Spahios, ſiue equites tumultum, qui tragicum penè & cruentum huic feſtiuitati exitum præbuiſſet. Amurates certè cum filio Machomete paucis admodum ſuorum comitatus, ſummo mane diei 22. Iulii, tantum non ſeſe ſubduxit, atque in interiorem aulam recepit. Extat hiſtoria totius huius feſtiuitatis deſcripta Germanicè.

Dum hæc Conſtantinopoli geruntur, Oſman Baſſa per inducias Siruanum inuadens, maximum Perſis damnum infert: Sed viciſſim ab eis cæditur, omniſq; præda recuperatur: cuius cladis nuntius Conſtantinopolim prælatus, maximum Perſico legato periculum creat.

Eodem anno Perſæ & Georgiani coniunctis viribus Turcos adoriũtur, qui Tiphliſio recentes copias cum annonis, ſoluendiſq; militi ſtipendiis inferre conabantur, multis eorũ millib. occidione deletis, & annonis atq; pecuniis interceptis.

Principis illius fœminæ annoſæ inter Georgianos, cuius mentio antè facta, filio, quod huius cladis Turcis auctor fuiſſet, Amuratis iuſſu aſtutè ſtruuntur inſidiæ, quas tamen ipſe patefactas ſibi per amicos euitat, fuga ſibi conſulens, & ab Amurate deficiens, ditionem ſuam ab Otomanico iugo, tyrannideque liberat, ſeque cum aliis Principibus tam Georgianis, quàm Perſis coniungens, perpetuis excurſionibus fines Turcicos infeſtare non deſinit. Has vt prohiberet Ferhates Baſſa ab Amurate magno cum exercitu, & non exiguo numero fabrorum eos ad fines miſſus, caſtellum primum inter Garſeum, & Reuanum (regionis hoc, & ciuitatis ſimul Tocmaci Principi ſubiectæ nomen eſt) extruit: inde cum copiis progreſſus, arcem Reuani fabricat, præſidioque, & aliis rebus neceſſariis firmat, vnde Turci per Reuanenſes agros aliquoties excurrentes omnia rapinis exhauriunt, ſed ſua potius cum iactura, quàm lucro.

Potocoua nobilis Polonus, qui cum Coſaccis Benderiam Turcici iuris oppidum verſus nigrum mare ſitum, ceperat, ac dirupuerat, aliaque Turcis, qui ab

aliis

aliis lædi se nolunt, quum maximam sibimet ipsi nocendi licentiam in finibus sumant, damna grauissima dederat, eum fraude amicorum in Stephani Poloniæ regis potestatem venisset, Amurate per legatum res repetente, & non sine minis supplicium eius exquirente, contra datam ipsi salui commeatus fidem, capite plectitur. Tantum in hoc Potocoua robur fuit, vt equorum soleas ferreas etiam recentes, nullo negotio manibus, instar chartæ, vel alterius rei fragilis rumperet.

Eodem anno sex, plus minusve Turcorum millia Duce Sangiaco Solnoccensi, qui deinceps Bassa Sasuarensis, siue Zigethanus nominatus fuit, prædæ faciundæ caussa collecta, celeritate quadam inexpectata regionem Cepisiensem inuaserant, Onodium, quod iis in locis oppidulum est, direptum incenderant, multa Christianorum capita cum amplissima præda secum abduxerant: Sed in reditu à nostris ad Agriam, siue Erlam duabus pugnis vincuntur, & in fugam coniiciuntur, plures eorum cæduntur, nec pauciores capiuntur: præda cum mancipiis Christianis recuperatur. Huius rei nuncius Constantinopolim perlatus, primum magnam Legatis Imperatoris Rodolphi inuidiam conflauit. Cognito autem postea, Turcos nulla lacessitos iniuria, regionem istam inuasisse, iræ nonnihil sopitæ sunt.

1583. Ferhates Bassa Georgianorum in agros eductis aliquoties suis, duas in iisdem finibus arces ædificat. Cigaloglis arcis Reuanensis à Ferhate Bassa ædificatę præfectus, siue Beglerbegus, semel atque iterum à Principe Tocmase Reuani domino, prælio vincitur, aliquando etiam vulneratus tantum non in hostium potestatem venit.

Osman Bassa, qui ad Temircapim hærebat, acceptis ab Amurate, exercitus supplemento, artificibus machinarum fundendarum peritis, triremiumq; architectis, nauigia quædam multo milite instructa, mittit ad infestanda maris Caspii littora: terrestres verò copias ablegat, vt tam Siruanensium, quàm aliorum sibi finitimorum agros, non minus amicorum, quam hostium, rapinis dirum in modum agerent, ferrent: sed plærumque magno cum detrimento, suorumque cæde reuertuntur. Ne tamen nihil ageret ciuitates quasdam, Sommachiam, Tabassaram, Cabbam, & alias, quarum illa ad Siruani fines, hæ non longo à Temircapi interuallo sitæ, capit, in quib. omnibus gubernatores, & præfectos idoneis cum præsidiis, machinis bellicis, rebusque ad id necessariis, & annonis relinquit.

Sinan Bassa Vezirazemes, hoc est, supremus Portæ Consiliarius, conquerenti Amurati de clade exercitus Turcici in Perside accepta, & illius belli difficultate, præter expectationem, & ipsius quidem Sinanis pollicitationem sibi accidente, (qui, qua fuit tumida superbia, & arrogantia, aliquoties affirmauerat, se, si belli Dux amplissima cum potestate designaretur, penetraturum vel ad intimam Regis Persici regiam Casiminum, & inde regem viuum in potestatem redactum Amurati missurum:) cum temeraria quadam audacia respondisset, vt his rebus obuiam eundo remedium inueniatur, Scachum Scacho (vel Regem Regi) opponendum esse; istud volens innuere, aduersus Regem Regis opus esse opera: planeque necessario requiri ad obtinendam de hoste victoriam, vt ipse Amurates Dux belli aduersus Muchemetem Persarũ Regem proficisceretur: consilio matris Amuratis confestim omnibus honoribus, in primis dignitate supremi Veziris exuitur: ac parum abfuit, quin occideretur. Bona tamen eius condemnati fisco applicantur: Ipse relegatus & exul Malagræ, oppido Macedoniæ aliquandiu vixit. Sufficitur ei in Vezirazematus officio Siauses Bassa, natione Vngarus, quo cum nupta fuit Amuratis soror.

Vel hoc, vel superiori anno factum, vt Amurates vnius sacrificuli ex offensa aliqua Iudaico nomini infensissimi suasionibus adductus, Iudęos ad vnum omnes qui tum Constantinopoli erant, interfici mandaret, quod contempta sua maiestate, atque conculcata, nefarios de se rumores sparsissent, nec solum regni administrandi imperitum, sed stultum etiam atque insanum appellarent, qui regnum virtute maiorum suorum, & sapientia quæsitum, stultitia atque ignauia sua præcipitaturus esset. Ita enim persuasus Amurates fuerat. Verum antequam iussa exe-

cutioni darentur, intercedente Amuratis matre, animus eius mitigatur, & mandatum reuocatur. Eosdem tamen Iudæos Constantinopoli paulò post eiecturus Amurates, re cum summo pontifice suo communicata, tum religione, tum alia causa prohibetur. Fuisse in eodem tum periculo etiam Christiani, qui Constantinopoli degunt, iisdem criminibus accusati perhibentur.

Podolouius nobilis Polonus, stabuli regii supræfectus mittitur Constantinopolim, vt impetrato Amuratis consensu, in Anatolia aliquot generosos equos Regi Stephano compararet. Is emptis equis viginti quatuor insignibus, ac planè regiis, cum in reditu esset, instructus saluo Amuratis commeatu, posteaquam noui Cosaccorum motus, & excursionis nuntius ad Portam peruenerat, Amuratis iussu, ex itinere retrahitur, & famulis eius quatuor ac triginta, quos in comitatu habebat, vno tantum excepto puero, qui solerter in syluam profugiens, euasit, trucidatis, ipse post conceptas ad Deum preces, capite plectitur. Res omnes ipsius, & Comitum regiis cum equis Constantinopolim reducuntur: Equi iussu Amuratis partim in regium Saraium, ad ipsius Imperatoris vsus recepti, partim inter Bassas distributi, digitisque singulari cum ignominia Stephani regis passim monstrati fuerunt. Factum hoc mense Augusto.

Hoc eodem anno vigesimo nono die mensis Nouembis, Hama Cadum, Selimi II. relicta vidua, & huius Amuratis mater, diem suum obit, ac propter virum suum Selimum, vbi & quinque strangulati Amuratis fratres iacent, sepelitur.

1584. Initio sequentis anni Legatus ab Amurate ad Poloniæ Regem Stephanum, qui tum Grodnæ in Lituania erat, mittitur, vt cædem Legati regii Podolouii excusaret, quasi is negatus fuisset nullo Amuratis interueniente iussu: quum præscriptos legationi limites egressus, copias Turcicas, quæ tum temporis contra Persas mittebantur, spectatum venisset: cumque diceret Legatus mandato Amuratis adduci à se cædis auctores, (qui tamen non erant, sed fortassis aliud ob maleficium capitis anquisiti) de quibus Rex Stephanus supplicium sumeret. Quia vero Cosacci recens magnum finibus Turcicis damnum intulissent, vicissim petere Amuratem, vt oblata restituerentur, & Cosaccorum Dux (erat hic vir bellicosus, & Turcos in finibus more suo semet insolentius gerentes aliquoties cæciderat) ad necem sibi dederetur: Dux ille fraudulentis verbis Grodnam vocatus cum venisset, intercedentibus apud Regem pro eius incolumitate præcipuis regni Proceribus, non quidem Turco deditus: sed tamen incertum quo deportatus, nunquam ex eo tempore conspectus fuit. Præda Cosaccorum omnis cum captiuis absque cuiusquam impedimento Legato Turcico restituta, & quasi cum triumpho Constantinopolim perlata est.

Hoc eodem anno constituta fuit inter Rodolphum II. Imperatorem, & Amuratem III. induciarum prorogatio, quæ Calendis Ianuarii inciperent, ac nouum ad annum vsque durarent.

Tauricæ Chersonesi partem Borealem, quæ Tatarorum Præcopitarum sedes iam aliquot sæculis fuerat, Osman Bassa, ex Persico bello per Colchidem, & Pontum Euxinum redux, Mense Maio occupat, & in prouinciæ Turcicæ formam redigit: Rege ipsorum Muchemete, quod ex fœdere, quo obligatus Amurati erat, acceptis insuper eo nomine ab ipso ducentis plus, minusve millibus florenorū, vestibus etiam armisque, profectus ad Persicum bellum non fuisset, cum duobus filiolis à propriis, & quidem intimis, & selectissimis Consiliariis pecunia corruptis in casa rustica, in qua diuerterat, in frustra conciso. Sic Tatari, qui hactenus liberi & immoti fuerunt, & sociis & fratribus Otomanorum ipsi facti sunt serui: quem amicitia Otomanica finem plerumque habere solet.

Siauses Bassa, cum alias ob causas, tum verò, quod mittendorum Tataro pecuniæ, reliquorumque subsidiorum auctor Amurati fuerat, interuenientibus etiam occultis aduersus Osmanem Bassam inimicitiis, quæ postea patefactæ fuerunt, in publico diuano condemnatur, & à Vezirazematus officio remouetur: eius loco princeps Amuratis Consiliarius constituitur, Osman Bassa, facile Turcorum omnium

omnium secundum Otomanicos, nobilissimus. Fuisset Siauses, fatente ipso Amurate, in pleno diuano, sine vlla commiseratione interfectus, nisi in matrimonio habuisset Imperatoris sororem, qua deprecante & vitam, & annonas, & alios reditus, quæ octo circiter millib. florenorum æstimata fuerunt, seruauit, inque domum suam ad litus Asiaticum in hortis sitam migrauit.

Æstate huius anni Amurates, dum se cum multis suis (sunt hi in delitiis Turcicis Imperatoribus) oblectat, quos equis prægrandibus, & ob corporum molem tardis impositos, ipse maximè agilibus, ac præsertim Arabicis vsus sequebatur, & modo in hunc, modo in illum prouectus, nerui bubuli verberibus tam mutos, quàm equos eorum cæsos ad cursum impellebat. Comitiali morbo sibi familiari correptus, tam graui lapsu, ex equo decidit ad pauimentum allisus, vt omninò per vrbem vel iam moriturus, vel mortuus crederetur: & Ianizarus pro more, velut extincto Imperatore, Christianorum, Iudæorumque tabernas inuolantibus, easque diripere incipientibus, maximus penè in vrbe tumultus fuisset sequutus, nisi Ianizarorum tribunus, sumpto de nonnullis supplicio, mature iuisset obuiam. Ita penè de vita Amuratis, & imperio actum fuit. Paulo post tamen is conualuit.

Die 24. mensis Octobris aliquot Begi Turcici suis cum copiis, in quibus erant ad decem millia hominum, Carniolæ fines ingressi grauissimam impressionem fecerunt: direptis passim vicis, ac pagis, magnaque Christianorum mancipiorum multitudine secum in seruitutem abacta: Quos Iustus Iosephus Comes Turrianus, & Tomas Erdendius Comes Muslouinæ, &c. coactis subito duobus hominum millibus, nulla interposita mora maximis itinerib. hostis tergo inhærētes, tertio tandem die, qui 26. Octob. fuit, ad Slunum Croatiæ adsequuntur, inuadunt, & cædunt, captiuos liberāt, & prædam recipiunt. Perierunt Turcorum circiter quatuor millia. De hac clade certior factus Amurates, cum intellexisset à suis iniuriæ factum initium, iure cæsos pronunciauit, affirmans nolle se quidquam à suis contra leges induciarum ad turbandam pacem in Vngariæ limitibus attentari, iubensque Rodolphi II. Imperatoris Oratori suarum ad vtrumque Bassam Vngariæ, Budensem, ac Temesuarensem literarum exemplar exhiberi, quibus seuerè mandabat, vt milites suos limitaneos in officio continerent. Idem vt à nostris quoque præstaretur, imperari vicissim petiit.

Eodem anno Ramandanis Bassæ Tripolitani vidua, cum filio, familia, & mancipiis vtriusq; sexus quadringentis ferè Constantinopolim profectura, facultatesq; suas amplissimas, octies centenis millibus nummum aureorum à Turcis æstimatas secum auectura, coorta subito tempestate, in sinum Hadriaticum reiicitur, & à prouisore eius sinus, Petro Emo, Patricio Veneto in potestatem redigitur, vbi diro quodam, & inaudito furore in captiuos tam mares, quàm fœminas sæuitum: Maribus occisis ducentis quinquaginta, filioque Ramandanis Bassæ, matris in complexu, & gremio cofosso, fœminæ quadraginta, prius nefariis pollutæ stupris, vberibus mutilatæ, (quæ quidem viuis adhuc, spectantibusq; misellis à quibusdam crudelitate plus quàm barbarica in mare proiectæ perhibentur) dissectæ tandem atrociter ad vnam omnes in aquas à piscibus deuorandæ præcipitātur. & præter has vna insigni forma puella Christiana, & in Cypro nobili nata familia vel summis precibus impetrare non potuit, quo minus ab Emi fratris filio violaretur, & suffocata cum aliis mancipiis Turcicis in mare proiiceretur: Sed Amurate grauissimè apud Venetos de ista immanitate conquerente, & perpetrati sceleris pœnas flagitante, suisque ob damnum datum satisfieri volente, alioqui se bello suorum cædes, & iniurias vindicaturum, minitante: Petrus Emus capite plectitur, & ipsa triremis cum omni armorum & instrumenti genere, totidemque mancipiis, quot in ea Veneti reperissent, redditur.

Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus nocturno tēpore è Patriarcheio extrahitur, catena collo iniecta per vrbis vias ducitur, ludibriis læditur, & bonis omnibus exuitur: post durū deniq; carcerem Rhodum in exilium mittitur, quod cōmunicatis cum Pontifice Romano consiliis, Calendarium nonū Gregorianum

recepisset: quod tamen Amurates iratus statim abrogat. Succedit ei Cæsareæ Cappadociæ Metropolita, homo indoctus, quique annis aliquot ante Caupo fuerat. Hic præterquam quod pensionem, quam nouus Patriarcha Imperatori solet persoluere, sex millibus ducatorum augeret, etiam alia duo millia eidem Imperatori, nec etiam Purpuratis nihil dat.

Die 15. mensis martii, anni sequentis concessum in Diuano fuit Siausi Bassæ, Amuratis sororio, vt liberè, quibus in locis vellet, versari posset, quod decretum viam ipsi aperuit priorem ad dignitatem redeũdi, id quod non multo post accidit.

Osman Bassa Persicos ad limites accedit, sed occurrentibus intrepidè Persis, modò mille, modò plures, ad decem vsque millia de ipsius exercitu carptim cæduntur. Tandem mense Augusto, Persis insciis, nihilq; tale cogitantibus, Tebrisium accedit, voluntaria id deditione capit, regiam in eo Persarum, dierum circiter triginta opere cum propugnaculis, tum firmo præsidio, machinis bellicis, & rebus aliis necessariis egregiè munit: Ipse abducturus Tebrisio vniuersas copias, quinto post die in itinere dysenteria moritur.

Extincto Osmane Cigaloglis Bassa, Beglerbegus Reuanensis supremum nactus imperium, suos in tutum reducere nititur, quibus Persæ instant, & acerrimo conflictu, eoq; aliquoties repetito, maximam Turcorum stragem edunt: Verum iis impostura quadam deceptis maxima cum celeritate cum suis aufugiens Cigaloglis elabitur, & Vuanum reliquias incolumes ducit. Persæ fugam hostis conspicati Tebrisium reuertuntur, & vrbe recuperata mox arcem obsidere incipiunt. Periisse constat in hisce conflictibus haud dubiè Turcorum ad octoginta millia, in quibus fuerunt veteranorum militum lectissimorum, ad quadraginta millia. Prælia totum continuata triduum, trinoctiumque. Captæ centum ac plures machinæ bellicæ maiores. Rex Persarum re bene gesta, regno semet abdicasse fertur, idque sic tradidisse filio, vt eum sacramento prius obstringeret, quò sanctè polliceretur, nunquam se cum Turcis pacem facturum, ni prius recepisset omnia, quæ iuris aliquando Persici fuissent.

Hac etiam æstate bellum aduersus Maronitas & Truscos Libanum montem inhabitantes, & Christianam religionem profitentes gestum fuit: quorum libertati ac fortunis cum decem annos insidiati Turci fuissent, nunc tandem eos domuit Ibraimus Bassa, Cairi, vel Ægypti Beglerbegus: qui de spoliis thronum regium ex auro puro puto Constantinopolim misisse Amurati dicitur, æstimatum sexies centenis aureorum millibus. Idem Amuratis coniugi, cuius filiam natu maiorem ambiebat, aliisque aulæ istius mulierculis fertur misisse munera, quorum precium ducenta Sultaninorum millia æquarint.

1586. Persis arcem Tebrisianam ab Osmane Bassa superiori æstate munitam obsidentibus, quum obsessi propemodum ad extremam rerum omnium penuriam redacti essent. Cigaloglis Bassa insigni strategemate Persas ab obsidione abstrahit: quo factum, vt conclusis succurreretur, eæque res omnes, quarum inopia laborabatur, cum nouo militum supplemento inueherentur.

Magnus Chaitanus Chan, Persarumque Rex nouum inter se fœdus pepigere, quo mutuis se subsidiis aduersus Turcos ferendis obligarunt. Maioris coniunctionis caussa contractum fuit inter liberos vtriusq; matrimonium, Tatari Chanis vel Regis filia Persici Regis filio nuptui data. Simul etiam stipulatus est Tatarus ad vsum Persæ, hominum se viginti millia proprio ære tam diu contra Turcas in armis habiturum, donec bello finis ex voto Persici regis impositus esset.

Mense Maio huius anni Constantinopoli summa cum festiuitate celebratæ sunt nuptiæ Ebraimi, siue Ibraimi Veziris Basse cum Huma Kissi, filia Amuratis natu maiore: Dotis nomine numerata sponso fuerunt ducenta ducatorũ millia.

Iunio mense orta quædam obscura Constantinopoli nebula fuit, qua desinente, locustis pluit, quæ fructus omnes, & arborum absumpsere folia.

Sub finem anni, mense Decembri Croatinis in finib. aliquot millia Turcorum à nostris numero longè imparibus cæduntur. Perit inter alios Bassæ Bosnensis frater, (natus ex familia Mechemetis Bassæ Vezirazemis, cum quo nupta fuit

Selimi

Selimi II. filia, Amuratis ſoror) cuius caput à ceruicibus reciſum, cùm captiuis quibuſdam Viennam ad ſereniſſimum Auſtriæ principem Erneſtum mittitur.

1587. Menſe Febr. annis ſequentis, milites limitanei Imperatoris Rodolphi Copanum arcem non procul ſitam lacu Balatone, tum temporis congelato, quo tres Turcorum begi conuenerant, ex inopinato adorti capiunt, ex mille plus minus ve Turcis, qui in arce, cum inuaderetur, erant, præter alios vilioris fortunæ, centum nonaginta nobiliores, cum ſeptuaginta fœminis in poteſtatem redigunt, reliquis aut fuga dilapſis, aut ſub terra ſemet intra ſpecus abdentibus: equos generoſiores abducunt centum, præda potiuntur æſtimata quadraginta nummum aureorum millibus: De tribus Begis, qui id temporis illic fuerunt, Sangiacus Copanenſis, Niger Alis dictus, capitur, & Viennam prius, inde Pragam ad Rodolphum Auguſtum mittitur: alter in loco ſubterraneo concamerato, quò ſe defendebat, igne vi tormentarii pulueris accenſo, ſuffocatur: tertius fugæ tum beneficio ſeruatur. Huius cladis cauſa Vezir Ali Baſſa, Amuratis affinis (cuius ſororem, relictam viduam Mechemetis Vezirazemis, vxorem habebat) Baſſa tum Budenſis, non multo poſt Amuratis iuſſu ſtrangulatur, vel quia non bene ſucceſſerat Begorum irruptio ipſo conniuente facta: vel vt confirmaret noſtros Amurates de ſua voluntate in ſeruãdis pactis fœderis, & improbatione excurſionum à ſuis in fines noſtros factarum. In locum Alis Baſſæ iterum Budam mittitur Sinan Baſſa, qui paulo ante Conſtantinopolim inde fuerat accerſitus.

Anno eodem menſis Auguſti die 8. quatuor Begi Turcici, Saſuarenſis, ſiue Zigethanus Baſſa, Sangiacus Mohazienſis, Petſcheuius, ſiue Quinqueccleſienſis, & nouus ille captiui loco ſuffectus Copanẽſis, quinq; ſuorum millib. collectis, intra fines Rodolphi Imperatoris irrumpunt, & pagis aliquot cis & vltra Limpacum vna cum oppidulis Moracio, Dobronacis ambobus, Reſneccio, Tarnaco, ſeptem ac decem in ſumma pagis repentina impreſſione obrutis, ac miſeris vtriuſq; ſexus incolis captis, omnia depopulati diripiunt: Hos illuſtris præſidiariorũ caſtri Caniſani Tribunus Georgius Comes Zerinius, Nicolai, illuſtris Herois, filius, cum vicinis ſibi Proceribus, Ciſdanubiani limitis cuſtodib. collecta aliqua militũ ex præſidiis & ſubditis manu, reuertentes cum præda, magnoq; captiuorum cuiuſuis ætatis & ſexus Chriſtianorum numero, ſupra Catzerolacum, ad vnũ à Caniſa miliare, necdum diſſipatis omnino tenebris, ſub primum diei crepuſculũ viriliter adoriuntur, manum conſerunt, animoſè cædunt, omni armorũ genere vulnerant, cedentibus inſtant, aduerſos mactant: eò deniq; trepidationis, ac deſperationis adigunt, vt acinaces noſtris ſuos vltrò porrigerent, obiicerent, itidemq; cæteris armis depoſitis alii vitam & incolumitatem voce, geſtuque lamentabili deprecarentur, alii quacunque via poſſent, in ſyluas ac ſaltus aufugerent, ipſiſque ſe paludib. immergerent. Sangiacus Quinqueccleſienſis, Alis Baſſæ filius, qui in ſuperiore irruptione fugæ beneficio euaſerat, hic noſtrorum in poteſtatem venit. Sinan Mohazienſis Begus ſclopeti per mediam frontẽ petitus ictu occumbit. Zigethanus Baſſa, cum res ſuas iam deſperatas cerneret, vnà cum Bego Copanenſi fuga ſe ſubducit è prælio: Copanenſis prima poſt pugnam nocte, quodam in ſaltu oberrãs, cum aliis capitur: Zigethanus euadit. Cæterorum captiuorum fermè mille trecenti fuerunt, de quorũ numero multi grauiſſimè vulnerati poſt expirarunt. Cęſi tam in ipſo prælio, quàm deinceps & in paludibus, ac ſyluis extincti multo plures ad duo millia. Capita cæſorum quadringẽta pro more militari eorũ limitum cum ſexcentis viuis Caniſam duntaxat relata. Potiti præterea noſtri mille quingentis, ac eo amplius Turcorum equis: Prædam cum captiuis Chriſtianis recipiunt. Ex noſtris, quorũ mille quingenti pedites, & quingenti equites fuerunt, vndecim duntaxat deſiderati, nonnulli, ſed pauci tamen, vulnerati. Non multo poſt Saſuarenſis, ſiue Zigethanus Baſſa Amuratis iuſſu Conſtantinopolim vocatus, ob res infeliciter geſtas ſtrangulatur.

Menſe Decembri huius anni Croatinis in finibus ad Wihitzium, Caroli Archiducis Auſtriæ caſtrum, quaſi nubes quædam anatum, & anſerum, aliquot ſanè myriadum aduolauit, ſeque proximum in ſtagnum demiſit, vbi noctu ſtre-

pitus ingens pugnantium inter se volucrum in tota vicinia, seque mutuis conficientium vulneribus auditus fuit. Egressi postridie milites, ciues, agricolæ, tantam & anatum, & anserum copiam ad fumum, ad aerem exsiccandorum congesserunt, vt diu tam opima commodè victitarint præda. Nam alii centum, alii ducentas, alii trecentas, alii plures, pauciores ve collegerunt mactatas ab se inuicem volucres. Tandem è prato quodam spaciosissimo sublatis superstites alis auolarunt.

1588. Anno proximè sequenti maximus, & Turcis hactenus inauditus Constantinopoli tumultus exoritur propter non numerata militi stipendia, & monetam adulteratam, exhaustis nimirum bello Persico amplissimis, & ferè immensis Turcici Imperatoris thesauris: & propter noua, eaque intolerabilia tributa ab Amurate imperata, quæ omnes cuiuscunque ordinis, aut status excepto nemine conferrent. Huic acerbissimæ exactioni cum iuxta plebem non Ianitschari tantùm vehementer sese opponerent, ac præ indignatione, officii immemores, præfectum suum, Amuratis futurum generum, ipsos ad obtemperandum Imperatori cohortantem pene interfecissent, & exorto noctu incendio, nec ipsi ad restinguendum, quod tamen officii ipsorum erat, accurrerent, & alios etiam, quo minus id facerent, impedirent, insuperq; tabernas mercatorum diripere inciperent: Sed omnes etiam sacerdotes, ac iudices, cum supremo Turcorum Pontifice contradicerent, eamq; ob causam statas, certasq; preces hebdomatim pro Imperatore Turcico fieri solitas intermitterent, eosq; omnes, qui Imperatori auctores huius expilationis fuissent, quin ipsum etiam Amuratem diris deuouerent, suaq; resignarent officia, coactus fuit Amurates tributa ista hac vice tollere, & quibuscunque modis Pontificem suum cum clericis & iudicibus placare.

In Persia Gentzium vrbs, hominibus, & rebus aliis omnibus vacua, à Turcis duce Ferathe Bassa occupatur, incolis tamen paulo post, promissa eis à Ferathe securitate, in vrbem reuersis, volentibus ipsis quinque millia ducatorum tributi nomine quotannis petenda imponuntur. Non multo post progressurus Ferathes, parte exercitus ab hostibus cæsa, milite suo vrgente, à quo in militari tumultu vulneribus aliquot affectus fuerat, retrocedere cogitur. Beglerbegus Temircapensis Siruanum inuasurus, cum omni exercitu ad internecionem cæditur. Cigaloglis Bassa transmisso Euphrate Nehauentum amplissimam vrbem voluntaria deditione capit: Ea occupata, & præsidio satis firmo munita, cum Persis semel atque iterum, multis vtrinque cadentibus, confligit.

Hoc eodem anno Æthiopes in Barbaria Turcis rebellant, & seditio Cairi in Ægypto commouetur, quæ tamen non multo post componitur.

In Vngaria mense Octobri, Sinanis Bassæ Budensis mandato aliquot vicini Begi, & Sangiaci cum vndecim millibus tum equitum, tum peditum Turcorum è Filleco in superiorem Vngariam irruptionem faciunt, direpturi ac vastaturi omnem illam regionem, quocunque venire possent: Castellum etiam Sixum incendunt: sed à præsidiariis Imperatoris Romani, quorum mille septingenti sese ipsis opponunt, prælio vincuntur, & fugantur: duo millia quingenti, inter quos plurimi Ianitschari, & alii, flos quasi ipse exercitus Budensis, cæduntur. multi capiuntur, cum ex nostris trecenti periissent. Cadit ex Turcorum parte Begus Setschinensis: Belgradensis accepto vulnere vix fuga euadit. Machinæ quoque bellicæ campestres, cum sexcentis plaustris commeatu, & armis onustis in nostrorum potestatem veniunt: qui hac potiti victoria, numero aliquot millium aucti vicissim in hostium fines impressionem faciunt, Plauensteinium, & Gestes castra occupant, atque incenso puluere tormentario disiiciunt. Sinan vero Bassa Budensis ob acceptam cladem, & amissa castra, honoribus ac dignitate exutus, & fortunis spoliatus omnibus, vinctus Constantinopolim adducitur: in cuius locum Ferhates Bassa, Beglerbegus Bosnensis, miles acerrimus, Budam mittitur.

1589. Neque sequenti anno quieuerunt tumultus, superiori anno Constantinopoli excitati. Pactis enim cum Persarum Rege induciis, cum milites & fame enecati, ac fermè nudi solutionē stipendii flagitarent, idq; non solum non acciperent

inte-

integrum, ſed nec in moneta proba: conqueſti primum de iſthac iniuria humiliter, ſibi ſatisfieri, & integra ſolutione, & pura moneta petunt: Quod cum ipſis denegaretur, innotuiſſetque, adulteratam monetam à Græciæ Beglerbego Rumulo importatam fuiſſe, nouis excitatis turbis flagitāt milites, Beglerbegum iſtum cum Quæſtore ſuo ad necem ſibi dari: nec deſiſtunt prius, quàm id ipſum impetrent. Nec hoc tamen modo omnia componuntur. Namque Amurates irarum plenus, cum ſummum ſuum Pontificem (quem Mufti appellant Turci) & Baſſas Vezires (ſiue Conſiliarios) quod tumultus iſtos non ſedaſſent, nec Beglerbegum de ſeditioſorum manibus liberaſſent, ab officiis remoueret, excitatum militum opera incendium, nemine ad reſtringendum accurrente, dimidiam penè Conſtantinopolim abſumit: nec igne ſolum, ſed etiam direptionibus plurimum incolis damni datur. Conflagraſſe iſto feruntur incendio Templa Turcica (Meſchitas iſti nominant) ſeptem, viginti quinque ampliſſima diuerſoria, quindecim millia cauponarum: viginti octo millia ædium priuatarum ciuium, & centum triginta millia tabernarum, omnis generis mercimoniis inſtructiſſimarū. Rumuli Græciæ Beglerbegi opes relictæ, & aliquot millionibus æſtimatæ, in Amuratis theſauros relatæ ſunt. Eidem Amurati à Meſſia Baſſa Eunucho, homine nonagenario mortem obeunte, relicta ſupra decies centena millia ducatorum.

Hoc eodem anno Coſacci Niſouii in Turcicos & Tataricos fines irruptionem facientes, damnum iis, quod fidem penè excedat, dant, & ſæuitiam antè inauditam ac plus quàm barbaricam exercent: Turcicum oppidum Codon mercatibus celebre inuadunt, inque eo trecentis circiter tabernis mercatorū direptis, atque expilatis, prædam ingentem plurimis interfectis aſportant. Quam quidem iniuriam Turci vindicare ipſimet nolentes, Tataros ad inuadendum viciſſim Podoliam excitant: quorum numero ad quadraginta millia Polonis minimè exſpectantibus, repentino impetu, inaudita celeritate, nuſquam poſitis ſtatiuis contento quaſi curſu vniuerſam Podoliam percurrentes, incredibile dictu, quas cædes, rapinas, vaſtationes fecerint: Verùm cum in reditu hi eſſent, & in tria diuiſi agmina domos ſuas repeterent, ad internecionem penè à Coſaccis eos præſtolantibus cæduntur, in quibus etiam Regis Tatarici frater occumbit: pauci fuga elabuntur: captiui Chriſtiani omnes liberantur, & præda recipitur.

In Perſia Nehauentum, & tota prouincia Hamidan, ſuperiori anno à Turcis occupata, à Perſis recuperatur.

Sinan Baſſa Budenſis Conſtantinopoli à duobus nobilibus pueris propter crudelitatem atque tyrannidem occiditur.

Incipit agi de pace inter Perſas & Turcos.

Sinanis Baſſæ Vezirazenis (primarii conſiliarii, & locum tenentis) auctoritas minuitur: filius eius Beglerbegus Græciæ omnibus honoribus, & dignitate exuitur: ad quam tamen poſtea redit.

1590. Anno ſequenti Amurates irritatus Coſaccorum Niſouiorum ſucceſſibus, Poloniæ Regis ac regni oratori de veteribus pactis, & fœderibus, & hæreditaria pace renouandis Conſtantinopolim miſſo, quatuor pacis conditiones regno Poloniæ parū honeſtas ac ferè intolerabiles proponit, de tributo annuo Turcarum Imperatori, nomine regni Poloniæ pendendo: de arcibus limitaneis ſolo æquandis: de Coſaccis extinguendis, ac vt in Comitiis electionis noui Regis Turcicus Legatus ſuffragium teneat, cuius, vt in tribus proximis electionibus factum erat, ratio haberetur. Quæ cum Polonis iniquiſſimæ viderentur, interuentu legati Reginæ Angliæ per Zamoiſcium Regis Poloniæ Secretarium in aula Turcica res eo deducta eſt, vt Turcarum Imperator adquieſceret, ſi pro damnis, quæ Coſacci Niſouii in campis ampliſſimis inter Boryſthenis, & Tyræ oſtia vagātes Turcicis ſubditis intulerant, centum Quadragenas, (Zimmer vulgò vocant) pellium Zabellinarum Poloni Turco penderent, & Niſouios ex illis locis deinceps remouerent, vel ita coercerent, ne in vicinos Turcorum ſubditos & ſocios graſſari cædibus & rapinis amplius poſſent.

Hoc eodem anno menſis Septembris die 5. terræ motus horribilis Viennam

Austriæ, & multa Morauiæ, ac Bohemiæ loca concussit: Viennæ ædes quamplurimæ labefactatæ: Turris Diui Stephani ita conquassata, vt ruina illius metueretur, & de fastigio destruendo consiliũ capi necesse fuerit. Templum cænobii Scotorum, & hospitium ad Solem aureum, Patrona, & familia illius diuersorii, & hospitibus aliquod oppressis, concidit. Castellum Canisianum in finibus Vngaricis media ex parte, magna militum strage facta corruit. Praga quoque haud parum contremuisse fertur: Haud procul à Vienna Austriæ agri mephitim exhalarunt, & solum pluribus locis atris locustis constratum fuit, quæ sub pedibus calcatæ odorem teterrimum efflarunt. Præsignificata haud dubiè sunt hisce terręmotibus paulo post secutæ excursiones, & bellici motus Turcarum.

1591. Sequentis anni initio in comitiis regni Poloniꝗ, & munus pellium Zabellinarum, & magnus ad Portam Imperatoris Turcici legatus, qui pacem & fœdera antiqua Turcis renouet, ac confirmet: Munera etiam Beglerbego, & Bassis Turcicis, qui tractationem pacis Byzantii iuuerant, ad octuaginta millia aureorum decreta sunt. Verum cum munera ista tardiùs mitterentur, nec remouerentur à finibus Cosacci, qui toties subditos Turcicos deprædati fuerant, accederet etiam noua Poloniæ Regis cum Austriaca domo contrahenda affinitas: nouæ inter Turcicum Imperatorem & Poloniæ Regem ortæ sunt offensiones, quæ etiam in bellum videbantur exituræ.

1592. Anno sequenti Turci duce Hazan Bassa Bosnensi, ex Bossena progressi extremum Croatiæ oppidum, & arcem Wihitsch, quæ annos iam centum quinquaginta orbis Christiani propugnaculum in eo tractu aduersus Turcas firmum & incolume manserat ex improuiso obsessum aliquandiu, & deditum occupant: trucidatis, vt ferunt, duobus cuiusq; sexus, ordinis, & conditionis hominum millibus: cæteris in vitam captiuam, ipsa morte duriorem deductis. Nouam in vicinia ad Colapim fluuium ex roboribus arborum munitionem Petriniam, vna cum ponte paucis dieb. excitant, & in amœnissimum agrum inter Colapim, & Sauum longè latéque rapinis, & incendiis grassantur: Copias Stiriacas & vicinorũ à Thoma Erdeud Sclauoniæ Bano collectas, & è regione nouæ arcis Petriniæ, ac pontis recens ædificati considentes, à tergo circumuentas profligant, ac elapso equitatu pedites, inprimis Stiriacos immaniter concidunt, & maioribus aliquot tormentis potiuntur. Inde per totam Thuropoliam, & populosissimas Saui, & colapis ripas impunè vagati, ad quatuor hominum millia partim in deplorandam seruitutem, ac morte tristiorem abducunt, partim trucidant. Sisseckium arcem ad Colapis & Saui confluentem sitam propter transitus in Stiriam, Carinthiam, & Carniolã opportunitatem aliquoties antea tẽtatam, omninò in suam redigere potestatem cogitantes, Nicolai Miccacii præfecti, & militum prǣsidiariorum virtute ac fortitudine singulari repulsi eo tempore, obsidionem Sissecki, aliquot oppugnationibus frustrà susceptis, deserere cogũtur. Insperata hæc Turcarum impresio ingentem terrorem omnibus finitimis gentibus Austriacis, & toti Germaniæ incussit.

Panicus quidam terror Labacensem Carnorum metropolim ita concussit, nuntiato quantumuis falso, de celeri ingentis Turcarum exercitus aduentu, rumore, vt repente tota vrbe trepidatum fuerit, & ad vasa conclamatum: festinantibus omnibus sua quisque arripere, quæ duceret preciosiora, equos, currus, vehicula, qui haberent, conscendebant, cæteri sibi pedites de fuga prospiciebant, matres paruos liberos complectebantur: incondita turba tumultuabatur: clamor ad cœlum tollebatur, vlulatus, planctus, vocesq; miserabiles omnibus viis audiebantur, deniq; qua visus erat, lachrymabile vbiq; spectaculũ cernebatur. Tandem cũ Turcam veluti Hannibalem ad portas vrgere sibi quisq; persuaderet, fuga omniũ pręceps portis certatim sese effundebat, atq; in tuta auolare pro se quisq; innitebatur. In cæco isto, tumultuosoq; impetu, aliquot pedib. hominum, atq; equorũ obterebantur pueri, nonnullæ etiam mulieres exanimabantur. Qua ex re tanta trepidatio, animique consternatio omnes inuaserat, vt vix triduo, quanquam veri iudices, alii super alios aduẽtantes, rem periculo carere, hostem viginti, & eo amplius milliaribus ab vrbe abesse nuntiarent, domum redire quisquam auderet.

Rodol-

Rodolphus Imperator Romanus, & cæteri Principes Austriaci ingentem exercitum Turcis opponendum, & amissa recuperaturum ex Stiria, Carinthia, Austria, Vngaria, & superiore Germania colligunt: sed cum hæ serius conuenirent copiæ, ac mense Octobri demum castra mouerent: nullum tanto apparatu & tantis sumptibus respondens operæ precium hoc anno fecerunt.

1593. In sequentis anni æstate Hazan Bassa Bosnensis cum aliquot Sangiacbegis, quorum nouem suo subiectos imperio habet, reuersus, expugnata primùm Treschina, Episcopi Zagabriensis castello, ad Sisseckii obsidionem initio mensis Iunii redit, & disiectis vi tormentorum muris, interdiu, noctuque oppugnationes continuat: sed Rodolphi Imperatoris copiæ licet minores Turcas adorti, eos profligant, plurimos in flumen propellunt: cæteri qui trans flumen hæserant, ob suorum cladem fuga dilabuntur. Perierunt flumine obruti Hazan Bassa Bosnensis ipse cum fratre, & Sinan Begus, siue præses Clissæ, ex sorore Amuratis Turcici Imperatoris natus, & Memybegus, seu præses Hertzegouinæ superioris Bosnæ metropolis.

Amurates clade suorum exacerbatus, accedentibus supplicibus Sororis ipsius vindictam filii poscentis lamentationibus, & Sinanis Bassæ Vezirazemis, acerrimi Christianorum hostis cohortationibus, statim bellum aduersus Rodolphum Cæsarem apertum decernit: ad quod gerendum summo cum imperio Sinadem Bassam Vezirazemem mittit.

Copiæ Cæsaris Rodolphi Petriniam Castellum obsidentes, cognito Beglerbegi Græciæ aduentu, obsidionem soluunt.

Turci Sisseckum vi expugnant, præsidiariis omnibus, atque in his aliquot Germanis immaniter trucidatis, & concisis, inq; præterlabentē Colapin abiectis.

Iidem Sauum transgressi ad Zagabriam vsque direptionibus, atque incendiis grassati, circiter quinque millia hominum in tristissimā seruitutem abducunt.

Wesperinium totum quatriduum continua oppugnatione conquassatum, tandem in Sinanis Bassæ potestatem venit: Præsidiarii secreto exitu egresi, fuga sibi salutem quærunt, sed ab insequentibus Turcis plærique conciduntur: pauci, & in his Ferdinandus Samaria præfectus, capiuntur.

Pridie Michaelis Palata deditione Sinani Bassæ traditur, discedentibus incolumitas, & saluus conductus promissus, sed non præstitus est. Vniuersi enim ferè sunt trucidati: viginti quatuor tantum salui euaserunt.

Sinane Bassa ab Amurate, quod Persæ ac Georgiani res nouas molirentur, Constantinopolim reuocato, Alba Regalis à Cęsareanis copiis obsidetur, & vnum suburbium occupatur, atque incenditur: discedentibus postea nostris, & Turcis insequentibus, prælium committitur mensis Octobris die 24. & nobilis à nostris, duce Ferdinando, Comite ab Hardeck obtinetur victoria. Ianizari in fugam vertuntur, eorum Aga, siue præfectus capitur: Budensis Bassa tribus sclopetorum ictibus vulneratus, Budam refertur.

In superiori Vngaria Fridericus Baro à Tieffenbach, munitam arcem Zabaccā vi expugnatam Turcis adimit: Fileccum arcem, & oppidum celebre obsidet, concurrentes auxilio obsessis Turcarum copias profligat, incensum tandem ab ipsis Turcis, & deditionem facientibus præsidiariis corporum incolumitatem pactis, in potestatem accipit. Idem Castella Diunum & Hamascum, Turcis sponte diffugientibus, oppidum & arcem Zethschin cum vicinis Castellis Holloc, Samos, & Plauenstein, quæ præsidiarii sponte deserentes hosti venienti aperta reliquerant, occupat. Nouigradum item, celebris Sangiacatus in potestatem nostrorum venit.

Turci aliquot ex Alba Regia Begum nouum in arcem Palattam recens occupatam deducentes, ab Husaco Petri Pappæ præfecto fortiter profligantur.

1594. Mense Ianuario insequentis anni Begi Copanensis filia præcipuæ auctoritatis Turco elocanda in itinere, comitibus profligatis, intercipitur, adque Maximilianum Archiducem Austriæ adducitur.

Expeditione in Vngariam aduersus Turcos suscepta, exercitui summo cum

cum imperio præficitur Ferdinandus Archidux Austriæ, Ferdinandi Imperatoris filius: locum tenente Maximiliano Rodolphi Imperatoris fratre. Ab his Granum obsideri cœptum, sicut à Friderico Barone à Tiffenbach Hatuuan: quorum expugnatio indies speratur.

Hactenus continuatio Chronici Turcici, quam maximam partem ex Ioannis Leunclauii, viri clarissimi Appendice Annalium Turcicorum exscripsi, paucis quibusdam aliunde acceptis. Quia verò ex consignatione earum rerum, quę proximis his annis gestæ sunt, & adhuc geruntur quotidie, haud obscurè perspicitur, quantum & quantis periculis plenum Germaniæ bellum incumbat, quantoque in discrimine versemur, quæ mala non alia caussa, quàm multiplicibus peccatis nobis accersiuimus, quæ vt puniat iustissimus Deus, crudelissimum istum hostem nobis immittit: quid nunc nobis facere conueniat, attente cogitandum est. Id verò docet ipsemet Dominus per Prophetam Ieremiam, inquiens: ca. 18. Memento, vt loquutus fuero de aliqua gente, aut regno, vt euellam, extirpem, & perdam: vbi redierit ea gens (contra quam locutus eram) à malitia sua, iam & me quoque pœnitebit mali, quod ei facere constitueram. Memento quoque vt loquutus fuero de gente aliqua, aut regno, vt ædificem & plantem: vbi malum fecerit ea gens in conspectu meo, neque audierit vocem meam, iam & me quoque pœnitebit boni, quo eam afficere constitueram. Huic igitur salutari Domini præcepto vt obsequuti veram ac seriam agamus pœnitentiam, diuinam placemus iram, tantum hostem ceruicibus incumbentem nostris auertamus, præsentissimumq; declinemus periculum, præstet id nobis clementissimus Deus, propter vnigenitum Filium suum, per Spiritum sanctum suum: cui laus, honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

CAELII AVGVSTINI CVRIONIS IN SVAM NOVAM TOTIVS ORBIS DESCRIPTIONEM Procemium, seu potius Procemii fragmentum.



Errarum ac marium, patrum nostraque memoria, à variis gentibus præstantissimisque viris illustratarum, Historiam Latinis literis adhuc non satis explicatam, neque etiam alia quauis lingua ab vno aliquo absolutè & ordine pertractatam, scripturi sumus: opus quidem arduum summique laboris, sed tantæ vtilitatis, vt Lectoris animum, totius orbis, quem veteres Cosmographi potius quibusdam rationibus rotundum esse docuerunt, quàm re ipsa explicarint, aut ipsi cognouerint, plena cognitione ac penè oculari demonstratione imbuere: ex qua Dei opt. max. mirum opificium atque prouidentiam admiremur: ipsumque non modo omnium creatorem, verum etiam admirabili sapientia gubernantem veneremur, sciamusque extrema tempora adesse, quibus omnes terræ mariaque cognoscantur, vt ad omnes sacrosancti Euangelii lux perueniat, & variis rerum euentuumque exemplis præceptisque ad quamuis humanæ vitæ partem ritè excolendam instituere, ac rerum mira varietate delectare possit. His etenim libris omnes Oceani magni insulæ, omnia Africæ atque Asiæ littora, vniuersa America, siue tota illa terra, quam Nouum orbem vocant, omnes eiusdem Oceani sinus variæque partes,

partes, penè tota Asia & Africa cum Moscouia Tartarorum regnis, ac multis Europæ ad Boream vergentibus regionibus & insulis, totius denique orbis ambitus graphicè describentur: ad hæc singularum gentium, mores & instituta sacra atque profana, locorum & vrbium situs, & res quæ terra marique gignuntur: animalia varia, sidera etiam huic nostro hemisphærio incognita, antipodes, fortissimorum ac prudentissimorum virorum, vereque heroum res terra marique præclarè gestæ, multa maximorum principum bella, leges & iudicia illustria, tempestatum ac siderum miræ vires & vicissitudines, multarum rerum obscuræ causæ insigniaque prodigia: quibus legendis, quanta humana auri cupido, & (vt Poeta ait) sacra fames, quæ ignotas terras quærere, vasta maria tentare, tempestatum cœlique iniuriis subiici, & feros ac barbaros homines adire, mortemque per mille pericula quærere cogat, in mortalium pectoribus possit, quiuis animaduertet: simulque omnia quæ magni viri & Principes faciunt & moliuntur, quamuis propria commoda propriosque fines intueantur: diuinæ tamen maiestati ad ipsius gloriam augendam & propagandam, vel ipsis inuitis, inseruire videbit.

In hoc autem tam difficili opere conatum nostrum animumque probari cupimus: si verò nec dicendi genere, neque ingenii acumine & eruditione rei dignitatem æquauerimus, ætati id ingeniique tenuitati condonari postulamus: qui hunc laborem ideo suscepimus, vt Romani sermonis studiosi, & omnes qui harum rerum cognitionem ex iis linguis, quib. scriptæ sunt, petere non possunt, vel innumera volumina voluere nolunt, Latinam absolutam & compendiosam explicationem habeant. in quo Opere, & si à quibus & quo tempore, quave via & ratione singula loca illustrata fuerint, docebimus: non tamen temporum, sed locorum Geographicum ordinem (quantum fieri poterit) persequemur. sed quia non bene partes intelligi possent, nisi vniuersi cognitio haberetur, neque locorum descriptiones mente comprehendi, nisi ea arte qua describuntur cognita (in quaque enim re tradenda principia quædam sunt cognoscenda, ex quibus ad reliquarum cogitionem perueniatur) nos igitur prius de ipso vniuerso, tum quoniam pleraque loca, quæ à nobis describentur, maritima sunt, vel nauigationibus ad ea peruentum, de ipsius nauigationis præceptis, & noua locorum ex nauigantium vsu describendorum ratione, breuitati cum perspicuitate, quoad fieri poterit, studentes, pauca & necessaria non tam ex veterum libris, quàm ex recentium & eorum qui tanta itinera ac nauigationes confecerunt, certissimis vsuque comprobatis præceptis decerpentes, trademus.

Principio igitur vniuersum, quem nos à perfecta absolutaque elegantia mundum, Græci κόσμον, quod ornatum significat, vocarunt, est, quo cœli, stellæ, elementa, omniaque creata continentur, & (vt Cicero ait) quasi communis quædam hominum atque deorum vrbs, ciuitas & domus, quæ diuino numine regitur, cuius ciuitatis nos ciues & membra sumus: ex quo illud natura consequimur, vt communem vtilitatem nostræ anteponamus.

Hæc autem vniuersa mundi machina, quemadmodum siderum perpetuus ac circularis motus, multaque alia ab innumeris scriptoribus satis explicata argumenta, quæ nos ideo prætermittimus, docent: non modò in ipsa vniuersi

extima superficie, quam cœlum dicimus, verum etiam in partibus, quemadmodum ex hac ipsa nostra historia patebit, rotunda, sphæricaque est. nam quo reliqua omnia continentur, ea forma necesse est esse figuratum, creatorique maximè cognatam & decoram habere, cuius omnis extremitas paribus à medio radiis attingatur: medium autem punctus est, qui & centrum dicitur, & est infima vniuersi pars, ita vt quicquid vndequaque in quamuis partem ab eo proficiscitur, sursum tendere: & contrà, quicquid ad id tendit, inferiora petere dicatur. huius centri natura est, vt omne graue ad se trahat, omne autem leue circumferentiam petat magis vel minus pro grauitatis vel leuitatis portione. Est & linea quædam transiens per centrum mundi, & extremitates suas circumferentiæ atque supremo cœlo applicans, & mundum vniuersum in duas æquas partes diuidens, quæ axis mundi dicitur: eius verò extrema poli appellantur. Id itaque totum tornatum est, vt nihil effici possit rotundius, nihil vt in motu vacuum extrà relinqueret, nihil asperitatis haberet, nihil offensionis, nihil inclusum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum, omnesque partes simillimæ essent.

Hic autem mundus in duas regiones est distributus, in elementarem videlicet, atque æthereAm. hæc superior atque purissima, quæ cœlos & sidera continet: illa inferior, perpetuæ commixtioni corruptionique obnoxia, qua animantia, mortique subiecta continentur, superior illa siue æthera vndecim orbibus vel potius globis connexa est, quorum vnus est verè cœlestis ille extimus, qui reliquos omnes complectitur & mouet, nec mouetur, purissimus, lucidissimusque atque æternus, arcens & continens cæteros, in quo Angeli & beatorum animæ tanquam in summo perpetuoque bono, quale nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis penetrare potest, quiescunt: in quo sunt infixi illi qui voluuntur stellarum cursus sempiterni. Cui subiectum est decimum, quod primum motum appellamus, & circa mundi polos, spatio viginti quatuor horarum, ab ortu in occasum, rursus in ortum rediens, cursum suum perficit, secumque omnes inferiores citatissimo motu suo rapit, vt videmus in sole & stellis: ex quo nobis dierum ac noctium discrimina manant.

Hunc orbem sequitur nonus, qui non circa mundi polos axemve: sed circa axem & polos Zodaici, qui axis mundi axem ex obliquo intersecat, eiusque poli à mundi polis spacio viginti trium graduum, & triginta quinque minutorum distant, superioris contrario motu ab occasu in ortum: rursus in occasum rediens voluitur, & annis XLIX. M. cursum suum perficit. Infra hunc positus est octauus orbis, qui etiam proprium motum habet à Septentrione in Austrum, rursum in Septentrionem, & dicitur motus trepidationis, siue motus accessus & recessus. hic autem motus fit in duobus paruulis circulis, in noni orbis concauitate positis, quorum vnus in principio arietis, alter in principio libræ, annis VII. M. in hoc autem orbe positæ sunt stellæ & sidera: quæ fixa ideo vocantur, quòd motus certos habeant, nec singula suos circulos, quemadmodum planetæ, propriosq; motus habere cernantur. Reliqui sunt septem planetarum, siue errantium siderum orbes, è quibus vnum possidet octauo proximum illa stella, quam Saturniam nominamus. ann. XXX. deinde est hominum

minum generi prosperus & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis, ann. XII. tum rutilus horribilisque terris, quem Martem dicimus, an. II. Deinde subter mediam ferè regionem Sol obtinet, dux & princeps & moderator luminũ reliquorum, mens mundi & temperatio, tanta magnitudine, vt cuncta sua luce lustret & compleat, dieb. CCCLXV. hor. VI. Hunc vt comites consequuntur Veneris alter, alter Mercurii cursus eodem ferè spacio. In infimoque orbe Luna radiis solis accensa, proximè supra ignem conuertitur diebus XXVII. hor. VIII. Horum orbium octo oculis comprehenduntur, reliqui tres nec videri nec tangi possunt: ideo autem sunt excogitati, quòd cum hos moueri sit animaduersum, necesse fuit in loco aliquo moueri. motus enim in loco fit, locus autem continet, nec continetur. Itaque cœlum vndecimum, quod Empyreum vocant, supra omnes immotum: sed in quo omnes reliqui & mouentur & sunt, statuerunt. Deinde, quia corpus simplicißimum, quales sunt cœli, non plus quàm vnum proprium motum habere potest, & sunt tres illi motus in sideribus obseruati: oportuit tres etiam sphæras, in quibus hi motus fiant, excogitare.

Hoc tantum in eius schedis repertum est, cum tamen plura scripsisset: cui si fata vitam longiorem dedissent, Opus dedisset, quale priora secula nunquàm videre. Verum morte immatura sublatus, neque hoc neque alia lectu dignißima absoluere potuit.

CÆLII PATRIS IN CÆL. AVgustinum filium lacrymæ.

O Longè ante omneis mihi quæ me carior ipso est,
  Lux mea, quo viuo viuere dulce fuit:
Tu mea tu fili suspiria pectore ab imo
  Ducta cape, & fusam cum lacrymis animam.
Tu mihi, tu matri fato præreptus acerbo,
  Liquisti tenebras omnibus & lacrymas.
Ah mea tu moriens fregisti commoda fili,
  Tecum vna nostra est penè sepulta domus.
Omnia tecum vna perierunt gaudia nostra,
  Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Cuius ego interitu tota de mente fugaui
  Hæc studia, atque omneis delicias animi.
Heu mihi iucundum misero nunc lumen ademptum est,
  Lumen tum vita dulcius atque anima.
Occidit exemplum iuuenis memorabile morum,
  Doctrina insignis, dulcis & eloquio.
Vix dum vicenos octonos egerat aneos:
  Tot bona tam paruo clausis in orbe dies.
Parte tamen meliore sui super astra locatus,
  Cum CHRISTO viuit, perfruiturque Deo.
Viuit & in terris. nam solers plurima scripsit:
  Liquit & ingenii pignora docta sui.
His Augustini clarescet nomen vbique:
  Ingeniumque probum fama loquetur anus.

OMNIA VNVM.

AD CÆLIVM PATREM, THEODORI ZVVINGERI MEDICI ET philosophi Basileensis.

QVi in terris vixit, quantum pia fata dedere,
Qui viuit fama nominis ingenua:
Qui viuit mente, & rediuiuo corpore viuet
Filius, est hymnis dignior an lacrymis?

CAELII AVGVSTINI CVRIONIS MAROCHENSIS REGNI IN MAVRITANIA NOBILISsimi, à Sarracenis conditi, descriptio antè nunquam edita.

NOSTRI Africæ quatuor faciunt partes, quarum primam, Barbariam appellant: secundam, Numidiam: tertiam, Libyam: quartam, Nigritarum siue Æthiopum regionem. de singulis nos scitu digna afferemus: ac primùm de prima. Ea Africæ pars, quæ hodie Barbaria vocatur, ab ortu solis Marmaricæ, quæ hodie Barca dicitur, deserta habet: à quibus eam Atlas, qua magis ad Ortum accedit, quæ pars hodie Mons Meies appellatur, diuidit; quem à Strabone aspim dictum existimo, qui ab Alexandria Ægypti, circiter trecenta millia passuum distat: à Septentrione Mediterraneo mari, ab hoc monte ad Herculeum fretum vsque protensa. qua verò Occasum spectat, ab eodem freto Oceano Atlantico, ad eiusdem Atlantis finem, vbi in Oceanum insurgit vsque, clauditur: idemque Atlas eam à Meridiano solis ardore tuetur. hæc est totius Africæ nobilissima pars, hodie in quatuor regna siue prouincias diuisa, nempe Marochum, Fessam, Telesinem, & Tunetē. his accedit Bugiæ ora, pro qua semper Telesinenses & Tunetani reges inter se bella gessere, donec nobilissimam eius vrbem Petrus Nauarrus Ferrando Hispaniæ regi subiecit. vt autem institutum ordinem sequamur, à Marochi regno, quod omnium maximè ad occasum est, incipiemus. Hanc partem à veterib. Tingitanam Mauritaniam: populos verò à Græcis Maurusios, à Latinis Mauros appellari, nemini dubium est. Primi Mauritaniam habuere Libyes: sed cum Medi, qui in Hispania cum Hercule militauerant, eo mortuo in Africam transuecti, eam partem occupassent, nomen eorum paulatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros pro Medis appellantes. Vtrum autem Tingitania alias regiones quàm Marochensem complectatur, post videndum erit, vbi de hac ex huius temporis vsu dixerimus.

Marochi regnum, in Mauritania Tingitana situm, ab Occasu ac Septentrione Oceano clauditur, à Meridie verò vltra Atlantem montem ad arenosam solitudinem vsque pertingit, ab Ortu Omirabi, cui à Ptolemæo Cusa dictus fuit, fluuio terminatur. in eoq; septem connumerantur regiones, Sus, Hea, Guzula, Marochi ager, Duccala, Hazcora, Tedle.

SVS, PRIMA REGIO MAROCHI.

SVS regio vltra Atlantem meridiem verſus eſt, initium capit ab Oceano occidentali, qui Atlanticus vocatur: & ad Meridiem arenoſa ſolitudine, ad Septentrionem Atlante monte, ad Orientem flumine quod Sus dicitur, a Ptolemæo Subus, à quo tota regio nomen habet, circumſcribitur. patet hæc regio in longitudinem, quæ duobus montibus, qui tamen Atlantis membra ſunt, nempe Hanchiſa & Ilalemo continetur, Sus fluuium vſque ſeptuaginta circiter millia paſſus: in latitudinem vero, hoc eſt, ab Atlante ad arenoſam ſolitudinem ſexaginta, Hanchiſa mons ab extrema Atlantis parte, qua Occaſum ſpectat, oritur, in Ortumque ad quadraginta millia paſſus extenditur. ad huius montis radices Suſiana regio Meridiem verſus iacet. incolæ fortiſſimi pedites ſunt, adeo vt ſinguli duobus equitibus opponi poſſe ferantur, haſtis quibuſdam magna agilitate vtuntur. Triticum in hoc monte non oritur: hordei vero, melliſque magna copia. quouis anni tempore apud eos ningit: verum incolæ quum tota hyeme leuibus pannis veſtiantur, ſe frigus parui facere oſtẽdunt. nemini parent: & quamuis Seriphus harum regionum Princeps eos ſæpe ſub iugum mittere ſit conatus, nunquam potuit. In huius mõtis ad Orientem fine Ilalemus incipit, ac Ortum verſus in Guzulam regionem vſque circiter triginta millia paſſus nonnihil in Eurum deflectens protenditur: ad Auſtrum vero in Suſiana planicie finem habet. Eius incolæ homines ſunt nobiles & ſtrenui: equis abundant, ac perpetua inter ſe propter argenti fodinam, quæ in eo monte eſt, bella gerunt, eaque victores potiuntur. ex hoc monte Sus, ſiue Subus fluuius, qui hanc regionem ab ortu Solis claudit, oritur: ac per huius regionis, quæ ab ipſo nomen eſt ſortita, planiciem Auſtrum verſus non quidem recta, ſed nonnihil in Libonotum deflectens, XL. millia paſſus labitur. Sed priuſquam eo vſque veniat, ad dexteram Atlantem verſus circiter tria millia paſſuum procul ab fluuio Tedſi oppidum eſt amplum, ædium quatuor M. conſtans, à priſcis (vt ferunt) Pœnis conditum, cuius ager copioſus & fertilis eſt. abundat enim frumento, ſaccaro, glaſto: Nigritæ apud eos negociatores verſantur. Populum habet pacatum, ciues elegantes & honeſtos. popularis eſt ciuitatis ſtatus, ita vt ſorte ſex viri eligantur, quorum adminiſtratio menſibus ſexdecim definita eſt. In ea Iudæi artifices complures ſunt, velut artifices, fabri, & eiuſdem generis alii. Templum habent multis ſacerdotibus, aliiſque miniſtris inſtructiſſimum: iudices item, ac legis interpretes publico ſtipendio conductos. Mercatus ibidem die Lunæ celebratur, ad quem Arabes, agricolæ & montani homines conueniunt.

Hoc oppidum an. Domini M.D.XIII. ad Seriphi imperium acceſſit, in eaque tabularium ſuum princeps conſtituit. diſtat hoc oppidum ab Oceano LX. M. P. & ab Atlante XX. Ab altera fluminis parte, vbi is iam ad Occaſum vergit, rectà Notum verſus, decem millia paſſus procul à flumine, & LX. ab Oceano: ab Atlante vero L. Tagauoſtum maxima huius regionis ciuitas reperitur, à Tedſio XXX. M. P. diſtat: in ea ædium octo millia numerantur, & vivo lapide extructa eſt, & ipſa Pœnorum opus. In media vrbe multa ſunt fora, tabernæ, officinæ, artifices. Populus in tres eſt factiones diuiſus: frequenterq; inter ſe ferunt pugnas, atq; alii aduerſus alios Arabum ſubſidia aduocant: qui prout quiſque maiora pollicetur, modo huic, modo illi fauent. Agrum habet hęc ciuitas fertiliſſimum, pecora multa: ſed lana paruo admodum precio ęſtimatur. Panni multi, ſed exigui ibidẽ fiunt: qui ab eiuſdem vrbis mercatorib. Tombutum, & Gualatum Nigritarum regiones ſemel quotannis aduehũtur. mercatus bis fit ſeptenis diebus. Veſtitus horum honeſtus eſt: mulieres formoſiſſimę & lepidiſſimæ. Viri multi ſunt fuſci, ex candidis & nigris geniti. Magiſtratus non ſunt definiti aut certi, ſed potentioribus reliqui parere coguntur. Rurſus ad fluminis dexteram 4. millia paſſus procul ab Atlante, triginta Occaſum verſus, à Tedſio non quidem recta, ſed ita vt nonnihil in

Caurum iter flectatur, circiter quadraginta, & à Tagauóſto, & Oceano totidem Tarodantum ſatis magnum oppidum eſt, & ipſum à veteribus pœnis conditum ſocorum ad tria millia continet. Hoc ſoli fertilitate, & moribus ſimile eſt ſuperioribus: verum minus, & moribus cultius, propterea quòd quum Marini familia Feſſæ imperaret, Suſe quoque regnauit: fuitque vicarii regii domicilium: cuius rei arcis ruinæ a regibus iſtis extructæ, quæ etiamnum extant, indicio ſunt: extincta verò eius regis familia, ciuitas ſe in priſtinam libertatem vindicauit. Incolæ lana linoque veſtiuntur. Opificibus ciuitas abundat. Reip. adminiſtratio penes nobilitatem eſt, ex quibus ordine ſemper quatuor imperant: imperium ſemeſtre eſt. Gens pacata, nullaque afficiens vicinos iniuria. In horum finibus qua Atlantem regio ſpectat, villæ multæ caſæque ſunt. Planicies, quæ ad Meridiem vergunt, Arabum ſunt & ſedes & paſcua. Ciuitas ipſa magna pendit tributa agri cauſa, cum ex Suſianæ regionis conſuetudine, tum verò vt tuta itinera præſtentur. anno M. D. XIII. ab Arabis defecit, ac Seriphum principem aſciuit. Ab hac XXXV. M. P. in Occaſum progrediendo, Teiieutum oppidum in pulcherrima planicie à Pœnis conditum, reperitur. quod in tres partes, quæ ſimul triangulum efficiunt, eſt diuiſum, & Subo flumine alluitur. Domicilia ad quatuor millia habet. ſolum frumenti, hordei, & aliarumq́ frugum ac leguminum in primis ferax. Magna quoque vis ſaccari ibidem oritur, ſed id neque coquere neque purgare norunt: idcirco horum ſaccarum ſubnigrum eſt. A Feſſa & Marocco, Nigritarumque regione, multi mercatores eò confluunt ad ſaccarum comparandum. Dactylorum quoque ſatis magna copia. Hic nullum monetæ genus in vſu eſt, ſed auro rudi & natiuo vtuntur. Habent etiam ſudariola quædam vnius auri drachmæ precio, quibus pecuniæ loco in mercando vtuntur. Argenti parum habent: eo vtuntur ad ornatum mulieres. pro quadrantib. minutisq; pecuniis fruſto ferri octo drachmarum pondere vtuntur. Pauci ſunt apud eos fructus, ficubus, vuis, perſicis & dactylis exceptis. Olea ibi non naſcitur: ſed oleum è quibuſdam Marochi montibus adfertur: vendit urque Suſe, ita vt centum quinquaginta libræ, quindecim auri drachmis æſtimentur. auri vnciam, quod aurum ſignatum non habent, nummis aureis Luſitanicis (quos ducatos vocant) ſeptem & eius tertia parte commutant. Eorum vncia Italicę reſpondet: ſed libra vncias decem & octo capit, Tethlam illi vocant: vnde ſatis conſtat, centum apud eos pondo Italicas libras 12. vnciarum 150. conficere. In hac vrbe coria illa elegantia parantur, quæ apud noſtrates pelles Marochinæ appellantur: quarum duodecim ſex nummis aureis, Feſſæ verò octo venduntur. In ea parte quæ Atlantem ſpectat, multa ſunt mapalia & villæ: qua verò Meridiem, vaſta omnia. planicies enim ſunt, & vicinorum Arabum prædia. In huius vrbis meditulio templum eſt amplum & magnificum, quod ab eis Templum maius vocatur, per quod fluminis riuum ducunt. Ciues ipſi natura feroces ſunt, ſemper inter ſe bellum gerunt, raroque pace fruuntur: ſingulæ ex tribus vrbis partibus rectorem creant, iique triumuiri paribus auſpiciis Rempub. gerunt: horum trimeſtre imperium eſt, nec vltrà progreditur. hæc gens ferè eodem vtitur veſtitu, quo proxima regio Hea: quidam etiam panno & tunica lintea veſtiuntur, atque in capite ex alba tela mitram geſtant. Habent in vrbe iudices & ſacerdotes, quibus in iis tantum quæ ad ſacra & religionem pertinent, obſequuntur: in aliis vt quiſque plures habet propinquos, ita fauore ſuperior eſt. ſi quis alterum occidat, & à propinquis ipſe occidi non poſſit, ſeptem annorum exilium ſumit, aut inuitis aduerſariis in vrbe manet. ſi in exilium abit, eo finito in patriam reuertitur. omneſque nobiles conuiuio accipit, atque cum parte aduerſa eo pacto redit in gratiam. In hac vrbe multi ſunt artifices Iudæi, qui nullo grauantur onere. A Teiieuto ſecundo flumine, quod Caurum verſus curſum ſuum ad Atlantis radices flectit, paucorum milliarium itinere Meſſam itur. Sunt autem Meſſa tria parua oppidula, inter ſe circiter M. P. diſtantia, quæ vno nomine Meſſa dicuntur, ab antiquis Pœnis (vt aiunt) prope Oceani litus ſub ipſo Atlantis promontorio, vnde Atlas exoritur, condita: quæ à nonnullis falſo, vt opinor, Suriga Ptolom. fuiſſe creduntur: cui tamen Su-

rigam

rigam idem Ptolem. in xxix. gradu lat. collocet, & Subi fluminis oſtium, à quo hæc non procul abſunt in xxv. Sunt autem hæc oppida muris viuo ex lapide ſepta. Inter ea Sus ſiue Subus labitur flumen, quod æſtate vadoſum eſt, hyeme vado neminem admittit: nauiculis quibuſdam vtuntur ad traiiciendum minime aptis. Sunt tria hæc oppidula in nemore non ſylueſtri quidem, ſed palmis conſito, quæ illorum eſt poſſeſſio, ſita. fructus ipſi non vſque adeò probantur, quòd in annum minimè durent. Incolæ omnes agriculturam exercent: cum flumen creſcit, quod Septembri atque Aprili ſolet accidere, terram colunt: Maio colligunt fruges. Quòd ſi menſibus memoratis, aut altero ſaltem decreſceret, nihil colligerent: paucos habent greges. extra oppida fanum eſt ad mare, quod religioſiſſime colunt, ex hoc fano ſanctum quendam Pontificem à Machumete decantatum proditurum opinantur: & præterea Ionam vatem, quem piſcis vorauerat, in Meſſatium ſolum eiectum eſſe fabulantur. Huius templi trabes minores, oſſa ſunt cetorum: nam ſæpe huiuſmodi belluæ marinæ mortuæ ad litus eiiciūtur, quæ & magnitudine & forma immani terrorem ſpectantibus incutiunt. Vulgi opinio eſt, omnes cetos iuxta templum prætereuntes, Dei numine & poteſtate in eo fano collocata interire. verum eius rei cauſa eſt, quòd in mari ad duo M. P. magni acutique aliquot ſcopuli ſunt: cum verò feruet æſtu pelagus, marinæ belluæ mouentur atque agitantur: quòd ſi qua fortè in ſcopulum impingat, facilè colliſa extinguitur, & ad litus mortua impellitur. eſt in agro non procul ab vrbe ceti coſta inſtar arcus ad viam collocata, ſub qua qui tranſeunt, camelis inſidentes, eius tamen ſummum arcum capite non attingunt: ea diutiſſimè ibi fuit tanquam monſtrum aſſeruata. In eius ore litoribus ſuccinum probatiſſimum inuenitur, quod Luſitanis aut Feſſanis mercatoribus paruo precio venditur, ita vt vix aureo nummo vncia æſtimetur. Plerique ſuccinum à ceto gigni, quidam eius excrementum eſſe, alii ſemen genitale putant à maſculo emiſſum, quo tempore fœminam appetit: quod poſt in aqua denſatur. alii verò idem in fundo maris oriri putant, ac deinde pelagi æſtu ab eo euelli, & ad litus proiici: quod tamen de ſuccino odorato, quòd Itali Ambracanem nominant, intelligendum eſt: non autem de nauo, quod ex Septentrionalibus Germaniæ inſulis adfertur. de quo ſuo loco dicemus. ab Meſſa verò Subus fluuius magis ad Caurum curſum dirigit, ſeque Atlanti in occidua eius parte coniungit, ac prope extremum eiuſdem promontorium non procul ab Meſſa in Oceanum labitur. Ad cuius oſtium extremo in Oceano in ipſo promontorio, Gartgueſſemum arx eſt, vulgo Capo Guer, Heæ regioni finitimum, cuius ſolum fertile admodum eſt, & pingue: ſed quia ſupra Seriphi principis mentionem fecimus, & infra quoque multa de eo dicentur, eius origo eſt nobis explicanda.

Cum igitur Luſitani anno circiter M. CCCC. XC. Gartgueſſemum arcem cum agro occupaſſent, Heenſis & Suſianus populus, vires ad eam recuperandam coniunxerunt, peditumque auxilia è remotiſſimis locis adſciuerunt, ducemque ac imperatorem quendam Seriphum, hoc eſt nobilem Arabem ex Machumetis familia delegerunt: qui exercitu adducto, arcem per dies complures obſedit. ſed cum multi à Luſitanis arcem propugnantibus quotidie cæderentur, populares arce relicta domum redierunt: quidam tamen cum Seripho, qui bellum ſe contra Chriſtianos tueri velle aiebat, manſerūt. ſtipendia in equites quingentos Suſianus populus pendebat, quibus ſtipendiis acceptis Seriphus, cum iam peritus eſſet regionis, tyrannidem occupauit, ita vt paulo poſt equitum ſupra tria millia, peditum & pecuniæ ingentem numerum haberet. & hæc de Sus regione.

HEA, MAROCHI REGIO II.

HEA altera Marochi regio, Suſianæ, ſiue Subianæ ad Septentrionem oppoſita, Atlante monte, qui Meridionalem Heæ partem claudit, ab ea ſeparatur: ab Occaſu & Septentrione Oceanum ab ortu Eſiſnualem fluuium, & Gebelelhadichum, hoc eſt ferreum mōtem habet, quem Ptolemæo Vaſagium promon-

torium esse puto. Vt igitur ab occasu & à montib. Subianæ finitimis incipiamus, prima Atlantis pars, Ideuacal mons est altissimus, qui ab Oceano Orientem versus Ighilinghighil protenditur, eiusdem cum Subianæ regionis Hanchisa monte, cui coniunctus est longitudinis, hoc est XL. M. P. estque summum Atlantis iugum, à Ptolemæo Atlas maior appellatum, Heæque ora à Subiana separat. Latitudo eius ab Tephetna Heæ, Messam Subianæ regionis trium dierũ itinere conficitur. habet enim Atlas Tephetnam in ipso promontorio ad mare Septentrionẽ versus, & Messam in Meridiano promontorii latere, quæ trium dierum itinere inter se distant. Hic mons frequens & cultus est: complures enim in eo villæ pagique sunt. Capris caprarumque fructu, hordeo item & melle victitant. Lintea tunica non vtuntur, nec quidquam acu consutum aut elaboratum, quòd apud eos qui acu suere norit, nemo reperitur. Itaque panno corpus vt possunt, inuoluunt. Mulieres annulos quosdam argenteos, eosq; valde magnos auribus appendunt: & sunt quæ non vno contentæ, quatuor appendant. Quibusdam etiam fibulis argenteis vncialibus vtuntur, quibus humeris uestem annectunt. Manuum quoq; digitos & crura annulis argenteis nobiliores & ditiores mulieres exornant: plebeiæ verò ac tenuiores, ferreis aut æneis vtuntur. Equos habet hæc gens non multos, sed paruos, quorum pedes ferreis soleis non muniunt, qui equi adeò agiles sunt, vt felium more de sublimi loco exiliant. Magnus ibidem leporum, capreolorum & ceruorum numerus est: sed in nullo apud hanc gentem precio. fontibus scatet, & arboribus abundat, maximè nucibus. Hi populi maiore ex parte Arabum more viuunt, è loco in locum subinde migrantes. Arma eorum sunt lati pugiones, & retorti siue incurui: itemque eodem modo gladii, quibus dorsum, vt falcibus quibus in Italia prata tondentur, latum & crassum est. In pugnam tria quatuorve hastilia pilave gestant. Apud eos neque magistratus est, neque sacerdos, neque templum, neque doctus quisquam: sunt verò magna ex parte homines improbi & proditores. aiunt hunc montem militum viginti millia emittere. Vbi verò hic mons desinit, Demensera mons, qui bonam Heæ partem à Susiana diuidit initium habet: indeque ortum æstiuum, hoc est Cæciam versus L. M. P. patet: atque in monte Nisisam, qui Marochensis regionis est, desinit: & per eum iter est in Susianam. Frequens est, sed barbaris & immanib. incolis. Equis abundat hæc gens, frequentiaq; cum finitimis & Arabis, vt eos suis finibus arceat, bella gerit. In hoc monte neque vrbs est neque castellum neque domus: multæ villæ, multaque mapalia insunt. Nobiles multi inter eos inueniuntur, quibus tota multitudo paret. hordei miliique solum est in primis ferax. Fontes multi per illorum valles fluunt, qui post in flumen Siffaiam ingrediuntur. Huius populi vestitus satis elegans est. Magna vis ferri inde eruitur, quod in variis distrahunt locis. Ingens Iudæorum numerus per illos montes obequitat, qui armis instructi pro suis dominis, id est, pro eius montis populo decertant: verùm ii inter reliquos Africæ Iudæos in religione impii habentur, Carraumiq; appellantur. In hoc monte lentisci & buxi magnæ sunt arbores, nuces verò maximæ. Nuces cum arganis fructibus miscere solent, atque ex eis oleum quoddam subamatum, quo in cibis & lucernis vtuntur, exprimunt. Est autem Argas arbor quædam spinosa, quæ fructus Hispanicarum oliuarum magnitudine fert, ex quib. oleum tetri admodum odoris, quo in cibis & lucernis vtuntur, exprimunt: horumq; magna est in Hæa copia. Ex hoc monte equitum & peditum XXV. M. emitti ferunt. ad huius montis radicem, qua Orientem solem spectat, Esisnual fluuius labitur, qui ex Secsiua Marochensis regionis monte oritur, & per horum montium valles Boream versus fluit, donec Tensist fluuium ingrediatur, & sic Orientalem Heæ plagam eo vsque claudit, & à Marochensi agro diuidit: vbi verò hic in Tensist labitur, mons Gebelelhadichus, hoc est ferreus incipit, & à Boreali parte in Septentrionem non procul à Tensisto flumine ad Oceanum vsque extenditur: hunc puto à veteribus & Ptolemæo Herculis promontorium appellatum, idque latitudinis ratione adductus. id enim Ptolemæus in XXX. lat. gr. collocat, quem hic non excedere videtur: vel si nõ est, tum est Vasagiũ promontoriũ, quod ab eodẽ in XXIX. lat. gr. & XV. mi. col-

mi.col-

ni. collocatur: idque potius crediderim. neq; enim tantum à Subo distat, vt plures gradus esse possint, nec etiã Subum Sus esse, vel ego vel quisquam Cosmographus ambigit, cum Subus à Ptolemæo Libyæ & Tingitanæ Mauritaniæ finis, ac in 15. gradu eius ostia constituãtur. hic mons Heã à Marocco & Duccala in ea parte separat. Hunc mõtẽ populus incolit, Regrada appellatus. Nemorosus mons est, multis fontib. irriguus: melle arganoq; abũdans. Frumentũ non habẽt, sed è Duccala aduehunt. Pauperes sunt, sed probi & religiosi. In montis vertice multi sunt vitam solitariã arborum fructib. & aqua ducentes. Fidem & veritatem colũt: pacem amant: latrocinia aliaq; scelera exilio ad certum tempus mulctant. Simplices vltra modum sunt, ita vt si quis ex iis qui in solitudine degunt, aliquid operis efficiat, pro miraculo habeant: à vicinis Arabis sæpe infestantur, quib. hic populus vt quietam vitam agat, certũ tributum pendit. Anno 1514. Machumetus Fessanorum rex arma in hanc Arabũ partem mouit, quamobrem illi in montes aufugerunt. Montani homines regis copiis adiuti, in Arabes ad angusta loca impetu facto eos debellarunt: capta atque ad regem adducta equitum tria millia & octuaginta, ita montani à tributo liberati fuerunt. Huius montis incolæ militum circiter duodecim millia emittunt. atque hi sunt Heæ fines. Nunc oppida nobis enumeranda, quæ duodecim sunt: quorum primum in occidua regionis parte ad Oceanum, & Ideuacalis mõtis radices Tephetne vrbs munita est, in ipso Oceani littore ab Afris condita, quod ad sexcẽtas domos habet, & portum ad naues paruas satis cõmodum: ad quem Lusitani mercatores, vt suas merces cera & caprinis pellibus commutent, venire consueuerunt. Fluuius est iuxta vrbem paruus quidem, sed in quem nauigia, cum mare reciprocatur & intumescit, sat commodè ingredi possunt. hunc fluuium à Ptolemæo Sanem appellatum minimè leui coniectura ducti censemus, cùm eius ostium ad Septentrionalem maioris Atlantis radicem, quæ proculdubio hic est, ponat. nã hoc loco Ptolemæus non Salam (vt quidã corrupte habent) sed Sanem dicit: Sala autẽ vbi sit, suo loco ostendemus. oppidũ autem apud Ptolemæum, vel aliũ quempiã ex veterib. non inuenio: neq; est Herculis portus, qui trib. gradib. ab Atlante distat. Solũ omne circa vrbẽ montosum est, in quo hordeũ copiose prouenit. Muris est vrbs fortissimis ex lapide quadrato & latere cincta. Ex iis quæ importantur & exportantur, vectigal capiunt: idq; inter ciues diuidunt, qui ad vrbis propugnationẽ idonei sunt. Sacerdotes & iudices habent: sed ii de cæde & vulnerib. ius dicere non possunt. Quòd si quis tale quid cõmittat, inuentus à mortui propinquis occiditur: sin euaserit, 7. annorũ exilio mulctatur. quo septennio finito, certa pecunia mortui cognatis data absoluitur. Huius vrbis incolæ colore candido sunt, comes & humanissimi: multo maiore honore peregrinum quàm ciuem afficiunt. Et quanquã magna ex parte ad ædes ciuiũ diuertunt, est tamen in vrbe publicum amplumq; peregrinorũ hospitium. pulices hic sunt innumeri, & ingens lotii & caprinarum fecium fœtor. singuli namq; ciues ingentem harum alunt copiam, quæ interdiu in sua eunt pascua: noctu in vestibulis ædium, atque adeò ad cubiculorum fores stabulantur. Ab hac XL. M. P. Orientem versus ad Orientale Ideuacal montis caput, est Inghilinghighil paruũ oppidum in colle ab antiquis Pœnis conditum. domos habet ad quadringentas. rerum in eo necessariarum opifices multi sunt. Solum hordei ferax, mellis arganique cõpia. vnica ad id per montis latus via: eaque angustissima & difficilis, ita vt vix eques eò quis possit ascendere. ciues bellicosissimi sunt: cum Arabis assiduè pugnant, à quibus semper victores discedunt: facit id natura loci accessu ardui & difficilis. liberalissimi sunt. In eo magna vasorum copia paratur, quæ inde in diuersas regiones feruntur. Hinc IIII. M. P. ad Septentrionem est Eitdeuetum, antiquum oppidum in edito monte, in cuius tamen vertice planicies amœnissima patet, situm: domos circiter septingentas habet. In medio oppido fontes multi, aquas lympidissimas frigidissimasq; fundũt. Rupib. nemoribusq; horridis & formidabilib. vrbs tota cingitur. Opifices multi Iudæi in eo sunt, fabri, sutores, infectores aurificesq;. Fama est, veteres huiusce oppidi populos, Iudæos fuisse, à Dauide genus trahẽtes. Sed ea regione à Machumetanis occupata, ad eorũ sectam

transiuisse Multos ibidem eius legis peritos inuenias, ita vt plerique decreta ipsa legesque memoria teneant. ait Leo se eo in loco senem inuenisse, qui magnum quoddam Sarracenicæ legis volumen, Elmudeuuana appellatum, quod legum farraginem vocant, tribus libris distinctum: in quo difficiliores legis quæstiones, & in eas Melici responsa continentur, in promptu haberet: estque hoc oppidum quasi forum quoddam, in quo lites expediuntur: dicæ: edicta siue proclamationes, tabulæ, atq; eiusdem generis alia fiunt, ita vt eo omnes vicini concurrant. Ab iis iurisperitis omnia sacra & profana administrantur. verum in capitalibus causis parum habent populum obsequentem, in eoq; parum admodum eis legum scientia prodest. huius gentis vita uictusque aspera in primis est. hordeo, argano oleo, carneque caprina victitant: frumenti apud hos nulla mentio. Mulieres formosæ & coloratæ sunt: viri corpore robusto, pectore villoso, liberalissimi, sed sollicito coniugum amore penè insani. Ab hoc XV. M. P. in Septentrionem progrediendo Tagtessa, reperitur antiquum oppidum, in editissimo rotundoq; monte positū. Ascensus ad id circa montem quasi per flexuosos quosdam gradus patet: infra oppidum circiter VI. M. P. ab eo labitur flumen, vnde aqua ad vsum potumq; sumitur: ei tamen qui in fluminis ripa sit, vix sesquimiliare abesse oppidū videtur: ad hoc flumen per angustā semitā scalpro scalarū modo factam, mulieres ad aquā hauriendam descendunt. incolę rapto viuunt: cum vicinis omnib. inimicitias gerunt: greges & armenta sua in montib. habent, syluæ circa hoc oppidū omnes capris plenæ sunt: in eo ne vnus quidem equus inuenitur. sine commeatu ac fide publica Arabes per illorum fines iter facere non audent. Est deinde Culeihatum Elmuridinum, quod discipulorum arcem significat, ita positum, vt Tagtessa Culeihatum à Septentrione in Aquilonem, & Eitdeueto à Lyba item in Aquilonem XVIII. M. P. iter sit. Hæc arx patrum nostrorum memoria, ab Homare Seiiepho nouæ in Sarracenica religione factionis autore extructa est. Hic primum concionator fuit: cumq; magnū discipulorum numerū ad se traxisset, eosq; obsequentes haberet, maximus effectus est tyrannus: & hanc arcē in altissimi mōtis cacumine, inter duos alios montes eidem cacumini pares ædificauit, circa quā rupes eminētissimæ, nemoraq; densissima sunt, ad eamq; nisi per angustissimā in eius mōtis latere semitā accessus non datur. Is annos XII. regnauit, eiusq; causa regio hæc vniuersa fuit vastata, tandem ab vxore est propter priuignæ pellicatū interfectus: ex quo quam fuisset scelestus & impius, palàm factum est. Itaque eo mortuo tumultuari cœpit populus, omnesque eius discipulos & quotquot eius sectæ erant, ferro est persequutus. hanc tantā cladem nepos eius euasit, qui arce occupata annū integrum tumultuantiū atq; Heensium obsidionē sustinuit, quamobrem illi cœpto destitere. Odium tamen inter eum & Heensium populum, omnesq; vicinos maximum mansit: vitam per latrocinia ducebat: equites quosdam habebat, quibus viatoribus erat infestus: perpetuisq; excursionib. iam pecora, iam homines agebat rapiebatq;: tormentis quoque, quos sclopos hodie vocant, vtebatur, quib. iter, à quo arx miliare distat, infestum reddebat. Tanto tamē omnium odio flagrabat, vt neq; agros colere, neque vllum aliud opus facere, vel pedem extra suum montē ferre posset. Aui sui corpus magnificè admodū in ipsa arce reponi curauit, coliq; quasi diuū mandauit. Hinc ad Septentrionem circiter IV. aut VI. M. P. Tesegdeltum est oppidum satis amplum, domos enim 80. continet, in alto monte positum, rupibus altissimis vndique cinctum, adeò vt muris nihil opus habeat. Propter oppidum fluuius labitur. Horti omni genere arborū consiti ibidē sunt, ac præsertim nucum. ciues habet locupletes. equis abundat: quorū robore freti, Arabis tributa minimè pendunt, sed cum eis bella continenter gerūt: ac sæpe numero nō paucos trucidant. Agrestes tamē homines fruges ne ab Arabis auferūtur, in vrbē important. Qui in vrbe degunt, morib. sunt satis probatis, hospitales & humani. nam custodibus portarū mandant, simul ac peregrinus quispiam appulerit, inquirant ab eo, habeatne certum aliquem in ciuitate amicum: qui si habere se neget, ab iis ad hospitium deducitur. ita nullus peregrinus pecuniam hospiti suo numerat, sed humaniter & gratis accipitur. sollicito coniugum amore vtuntur, homines

alioqui

alioqui in fide conſtantes. Pulcherrimum habent in media vrbe fanum, à multis ſacerdotibus cultum. Prætorem vnum ſatis in ſua lege peritum foro præficiunt, qui in omnibus ciuilibus & priuatis cauſſis ius dicit: publicas non attingit. agri in quibus ſerũt, omnes in montibus ſunt. Ab hoc oppido XII. M. P. ad Septentrionem eſt aliud nomine Teiientum, in conualle ſitum, lapide cocto extructum. Domos habet ad trecentas: cuius incolæ omnes agricolæ ſunt. præter hordeũ, fruges alias eorum ſolum non fert. Hortos habent complures, vite, ficu, perſico conſitos. Magnos caprarum greges habẽt. Leonum etiam magnus numerus in ea regione inuenitur: à quibus non pauca detrimenta eorum gregibus importantur. hoc oppidum anno M.D.XIII. à Luſitanis populo partim cæſo, partim in captiuitatem abducto deletum fuit. Hinc X. M. P. Orientem verſus eſt Ileuſugaghen, paruum oppidum, in arcis morem in altiſſimo montis iugo poſitum, in quo ſunt ad quadringẽtæ domus, & ſub eo exiguus labitur fluuius. Nec intus nec extra oppidum ſunt horti aut vites, aut arbores vllæ fructiferæ. cuius rei cauſſa eſt incolarum negligẽtia atque inertia, qui nullum cibum curant præter hordeum, arganumq; oleum. diſcalceati incedunt, quibuſdam exceptis, qui calceis ex camelino bubuloq; tergore vtuntur. cum campeſtribus bella aſſiduè gerunt: & canum more ſe mutuò conficiunt. Neque iudicem neque ſacerdotem, aliúmve peritum hominem qui eis ius dicat, habent: propterea quòd neque ius neq; religionem niſi extremis labris colunt. In omnib. eorum montibus, nullus penitus vllius generis fructus prę ter mellis copiam inuenitur: hoc & in cibum ſeruant, & finitimis vendunt: ceram autem vnà cum reliquis ſordibus abiiciunt. In oppido exiguum templum eſt, vix centum hominum capax. nam hoc genus hominum omni religione iureq; contempto, quocunq; eunt, ſemper pugionem haſtiléve aliquod habent ad cædem: homicidæ enim ſunt, proditores & conſcelerati. Decem milliarium Septentrionem verſus itinere, ab hoc oppido progrediendo Hadechis inuenitur, in planicie poſitum, domib. ſeptingentis frequens, crudoq; totum extructum lapide: flumine alluitur modico, in cuius ripis vites plurimæ ſunt, pergulæq; elegantiſſimæ. In eo artificum Iudæorũ magnus numerus: ciues honeſtè veſtiuntur: equos habẽt elegantes, propterea quòd negociationi dediti ſunt, multumq; peregrinantur. monetam hæc ciuitas argenteam cudit. nundinas habent quotannis ſemel: ad quas montani homines ex vicinis cõfluunt locis. In eo mercatu magna animalium variorum copia inuenitur. Lana item, butyrum, oleum arganum: ferramenta quoque & panni, qui apud eos fieri ſolent. Dies quindecim hæ nundinæ celebrantur. Sunt in hac gente mulieres formoſiſſimæ, colore candido, mediocriter pingues, atque inprimis elegantes & humanæ: ſed viri feri, in re vxoria ſuſpicioſi, ita vt ea de cauſſa occidant eos de quibus ſuſpicantur. Nullus ibi iudex, nullus homo doctus, cuius conſilio inter eos officia diſtribuantur, & negocia procurentur, verùm potentiores omnia pro ſua libidine tractant: in iis tamen quę ad religionem ſpectant, ſuos habent ſacerdotes, alioſque miniſtros. nulla apud eos vectigalia, portoria nulla, aliáve onera, quemadmodum neque in aliis huius regionis ciuitatibus. vaſtatum fuit hoc oppidum à Luſitanis anno M.D.XIII. Hinc Septentrionem verſus VIII. M. P. in montis latere Teculethum eſt, quo in oppido mille domus habitantur. paruus amnis præterlabitur: ad cuius ripas vtrinquæ horti multi ſunt, variis fructibus conſiti. non deſunt qui hunc amnem Diurum Ptolemæo eſſe putent: ſed ij mihi gradus iterum non bene numeraſſe videntur, vel regionem inſpexiſſe, iidem enim Diurum magis ad Septentrionem Azafio, quod in Ducala regione eſt, ponunt: cum Teculet magis ſit ad Meridiem. ego verò aut Vnam aut Agnam puto. In oppido complures putei lympidis ac dulcibus aquis ſcatentes. Templum quoque non inuenuſtum: & quatuor pauperibus accipiendis dicata hoſpitia: & præterea vnum viris religioſis deſtinatum. Huius oppidi ciues & incolæ ſatis opulenti ſunt. quod oppidum ad Oceanum portui, qui Goz appellatur, vicinum ſit ibi magnam frumenti copiam diſtrahunt: quod in ampla & amœna planicie, quæ prope oppidum eſt, colligunt: magnam quoque ceræ vim Luſitanis mercatoribus vendunt. itaque ſatis

ornatè vestiuntur, equosque habent eleganter instructos. captum fuit hoc oppidum, & dirutum à Lusitanis anno M. D. XIIII. Huic ad Septentrionem paruo spacio positum est Goz, ad Oceanum portus, ad quem Lusitani mercatores naues appellunt: hunc puto à Ptolemæo Suriga appellatum potius, quàm Messam. Teculetho Occasum, seu potius Lybam versus XVIII. M. P. est Tednestum, antiquum à Pœnis in satis amœna & commoda planicie conditum. Muro quod latericio opere & creta extructum est, totum cinctum: eodem opere & vrbana ædificia constant, supra mille & quingentas ædes capit. ex eo paruus egreditur amnis, qui præter mœnia labitur. aliquot in vrbe tabernæ sunt, in quibus panni quibus vtuntur ipsi, & telæ, quæ è Lusitania eò aduehuntur, venales sunt. Opifices nulli sunt, sutoribus, fabris & sarctoribus exceptis, vnòque aurifice. Diuersoriis caret, & balneis & tonstrina. Si qui peregrini eò commeant, ad amicum notúmve aliquem diuertunt. Sin hoc desit, tunc nobiles inter se sortitò hospitem eligunt: ita nemini hospitium deesse potest. Si quem peregrinum honorificè accipiunt, magna delectatione afficiuntur. Illud tamen moris est, vt hospes discedens dominum aliquo munere ornet, quo se gratum esse testetur. Quòd si quis eò veniat, qui mercator non sit, ei hoc conceditur, vt sibi ipse ex nobilibus qui ei videatur hospitem eligat, apud quem sine precio aut munere vllo sit. Quòd si etiam egens aliquis incidat peregrinus, huic proprium est destinatum hospitium, in nullum præterea vsum erectum, quàm pauperibus accipiendis & alendis. In media vrbe fanum est amplissimum non sine arte, lapide & calce constructum: antiquum, vtpote eo tempore ædificatum, quo Marochi rex huic genti imperabat. In huius fani meditullio ampla cisterna posita est. ibi multi sunt sacerdotes aliique viri ad templi ministerium & custodiam constituti. Sunt & alia templa, aliaque ad orandum loca, sed parua, ac nihilominus pulchrè extructa, beneque custodita. In hoc oppido centum Iudæorum familiæ sunt à tributis immunes: nisi quòd certos habent ex nobilitate patronos, quos certis muneribus afficere consueuerunt. Quin & incolarum maxima pars Iudæi sunt: & hi monetæ cudendæ præsunt: quæ moneta argentea est, centumque & sexaginta eius generis monetæ ex vncia fiunt, aspri vocantur, & quadrati sunt. nullum hic vectigal aut publicani sunt: sed si qua impensa in Rep. sit facienda, conueniunt ciues, ac pro cuiusque facultatibus inter se impensam partiuntur. Dirutum fuit anno M D. XI. ciuibus in montes, ac inde Marochum profugientibus. cuius rei caussa fuit, quòd vicinos Arabes acceperant cum Lusitani regis duce, qui Azaphi sedet, de oppido Christianis tradendo conuenisse. huius regionis oppida ferè omnia ab Hannone Carthaginiensium duce ad hanc oram lustrandam, & colonias in eam deducendas misso condita censentur, ideoque ab antiquis Pœnis ipsi condita dicunt: de cuius nauigatione & rebus gestis alio loco dicemus. Totius huius regionis gens hordeaceo pane ferè viuere cõsueuit: quem tamen in placentarum potius quàm panis formam conficiunt, eumq; sine fermẽto. hunc in testaceis quibusdã patellis depressis & planis coquunt, paucíq; sunt qui furnis vtãtur. Quodam alio cibi genere vescuntur vili & insipido, Elhasid appellatur: cuius conficiendi ratio hæc est. In aheno aquam ebuliunt, in ebulientem hordei farinam coniiciunt, eamq; bacillo tamdiu miscent, quoad coctam putent: coctam in catinum ponunt, ac in medio ducta quasi fossa, in eam oleum quod habent effundunt. quo facto tota familia circumfunditur, ac manibus pro cochleari vsi, dum mica superest, vorant. Vere autem totáque æstate eandem farinam solent in lacte coquere, oleiq; loco butyrum immittunt. Hunc morem in cœnis seruant. In prandio enim, hyeme potissimum, panem cum melle: æstate cum lacte & butyro edunt. Carnibus quoque elixis, cepa & fabis conditis vescuntur: addunt & aliud quòddam edulium, Guscusum ab eis appellatum. neque mensis, neque mappis vtũtur, sed storias rotũdas sternũt in solo, ac super eas sumũt impositos cibos. pleriq; eius gẽtis pro veste, panno quodam è lana, lodicibus quibus lecti in Italia insternuntur, non dissimili (Elchise ab eis appellatur) sese inuoluunt, fasciaq; lanea, non latera quidem ipsa, sed imos lumbos

ingui-

inguinaque constringunt ac tegunt. in capite pannum quendam, & ipsum è lana palmos longum decem, latum duos, gestare solent. Hunc cortice è nucum radicibus detracto tingunt, eoq; caput inuoluunt, ita tamen vt capitis vertex apertus sit. pileolos soli senes, ac si qui sint docti, gestare consueuerunt: hi autem pilei duplices sunt, & rotundi, eiusdemq; altitudinis, cuius erant quos medici in Italia olim gestabant. lintea tunica nudum corpus paucissimi tegunt, partim quòd apud eos linum non seritur: partim quòd telam qui norit texere, non habent. Sedilia iis sunt storeæ quædam villosæ, iuncis intextæ lecti villosæ lodices, longitudine vlnarum decem, interdum etiam viginti: cuius pars culcitræ loco substernitur, pars pro linteo lodiceque est: hyeme in villosa parte cubant, æstate in aduersa, quæ pilis caret. Puluini & ceruicalia, culei sunt quidam è lana magni & horridi, certis equorum stragulis, quæ ex Epiro & Thracia adferuntur, similes. Mulieres ferè omnes facie aperta, minimeque velata incedunt. Vasa habent lignea quædam non tornata, sed scalpro excauata. Ollæ tamen & catini fictiles sunt. Qui vxorem nondum habent, barbam non nutriunt: sed vxore ducta deinceps eam sinunt excrescere. Paucos habent equos: sed quos habent, ij per illos montes (tota enim regio aspera admodum, altissimisque & saxosis montibus saltibusque & vallibus, paruisque fluminibus est referta) tanta agilitate currunt, vt feles æquare videantur. ferreis soleis calceare eos non solent. Asinis equisque agros arant. Magna vis ceruorum, capreolorum & leporum ibidem inuenitur: verùm nulla apud eos venatio est. Paucæ sunt moletrinæ, quod quidem cum fluminibus regio abundet, mirum est. singulæ tamen domus molas habent, quas fœminæ tractant, molendique operam præstant. Literæ apud hanc gentem domicilium non habent, nec quisquam literatus est præter leguleium aliquem, omni reliquo doctrinæ cultu vacuum. Medicus ibi nullus, chirurgus nullus, pharmacopola nullus. plerique autem morbi apud eos candenti ferro, vt in bestiis solet, curantur. aliquis tamen chirurgus inuenitur, cui vnica cura est infantes circumcidere. semper hæc gens in armis est, sed bellum omne inter ipsos est. nam externis nulla fit iniuria. Si cui popularium aliquò proficiscẽdum est, vt aut sacerdotem aut mulierem aduersæ partis aliquam comitem, & tanquam obsidem habeat oportet. Iuris & fori apud eos nulla mentio, in illis præsertim montibus, vbi neque princeps, neque prætor est, qui ius dicat: vixque ipsi nobiles & primarij aliquam in vrbibus speciem aut vmbram magistratus tueri possunt. sunt in hac regione præter ea quę enumerauimus, multa castella & pagi. Heę & Susianæ principatum sibi Seriphus, de quo suprà diximus, arrogat. & hæc de Hea.

GVZVLA, MAROCHI REGIO III.

GVZVLA regio frequentissima est, sed montosa ferè, inter Heam & Susianam in Atlante posita: nonnihil tamen ad Meridiem vltra Atlantem iuxta Sus fluuium, & ad Occasum in Australem Nifisæ Marochensis regionis montis partem extenditur: ab Occasu igitur Ilalemum Susianæ montem, à Septentrione Marrocensis regionis montes, ab Ortu eundem Elfinualem fluuium cum Hea finitimum habet: à Meridie arenosam solitudinem. huius regionis incolæ feri sunt, à pecuniis imparati: sed pecore diuites, & hordeo affluentes. æris & ferri fodinas habent: multaque ænea vasa parant, quæ in varias ferunt regiones, & pannis, aromatis equisque atque aliis rebus necessariis permutant. In hac regione neque vrbes sunt, neque castella: verùm pagi & ampli & boni, quorum singuli plus minus mille continent casas. regem aut dominum non habent, sed promiscuè sine ordine & lege rem communem administrant: ex quo fit, vt inter ipsos siut perpetua ferè contentio & bellum: cui rei nullam aliam norunt adhibere medelam, nisi quòd ex septem diebus tres perpetuò habent induciis consecratos, quibus hostis cum hoste commercium habere tutò potest, & ex pago in pagos liberè commeare. aliis diebus se inuicem ferarum more conficiunt. Hanc induciarum legem religiosus quidã inter eos vir, diuinus

habitus, sanxit. corpus certis è lana tunicis crassis, breuib. angustis, & sine manicis tegunt. pugiones quosdam retortos & latos, vtrinque incidentes, & in tenuissimum acumen desinentes, gestant: enses verò Ideuacalem incolentibus similes: nundinas bimestres quotannis habent, quibus omnes externos qui ibi sunt, etiam si essent decem millia, alunt: vbi dies prima nundinarum venit, inducias firmant, & singulæ partes centurionem creant, cui centum milites attribuunt: idq; faciunt ad securitatem nundinarum. Hi hac illac discurrunt, & sontes pro magnitudine criminis puniunt: fures verò statim hasta quadam eius gentis propria confodiunt, cadauer autem canibus laniandum relinquunt: fit hic mercatus in conualle quadam, merces sub tentoriis & tuguriolis, ex arborum frondibus confectis, mercatores habent: ipsaque genera mercium locis distincta sunt, vt alibi panni, alibi aliæ merces vendantur. Qui bestias habent venales, extra tentoria & tabernacula manent. Omnibus tabernaculis adiacet tugurium frondosum ad nobiles accipiendos, & in quibus peregrinis cibus exhibetur: suntque huic rei ædiles præfecti, & quanquam magnas in peregrinos impensas faciant, tamen in suis rebus vendendis duplum lucrantur. nam ad hunc mercatum concursus fit ex tota illa regione, atque etiam ex Nigritarum gente, quia magna habent ibi negocia. Breuiter rudi quidem ingenio sunt Guzulani, verùm in illis nundinis quietè & pacatè gubernandis admirabiles. Incipiunt hæ nundinæ XII. mensis Rabih, qui tertius est Arabici anni, eo ipso die quo Machumetis natiuitas apud eos celebratur, quod ad nostros mēses redactum est, XXIII. Aprilis. eo enim die Machumetus anno Christi D.XCIII. natus est.

MAROCHVS, MAROCHENSIS PROVINCIÆ REGIO IIII.

MAROCHENSIS ager, ab Esisnuale & Nefisa monte initium capit, tenditq; in ortum vsque Hadimea iuga M.P.C. in Septentriones verò Tensisistum flumen sequitur, donec hoc flumen cum Asisnuale flumine, qua Hea ab Orientis latere incipit, coniungatur: regio ipsa trianguli ferè formam efficit, tritico atque aliis frugibus copiosissima est, itemque pecore, aquis, fluminibus, fontibus, fructibus, veluti dactylis, vuis, ficubus, pomis, pyris omnis generis abundat: plana ferè est Galliæ cisalpinæ instar. Montes quos habet, frigidissimi & steriles sunt. nam in eis præter hordeum nihil prouenit: vt autem institutum ordinem sequamur, à montibus & ab occasu incipiemus. Primus igitur huius regionis mons est Nifisa, qui hanc regionem ab Hea separat: hunc montem à Demensera Heæ monte Asisnual fluuius diuidit. hic mons ad Septentrionem respicit circiter VIII. M.P. valde frequens est: atque in eius cacumine, quanquam in eo crebræ decidant niues, hordeum tamen seritur, feliciterque prouenit. Sunt huius montis incolę syluestres homines, & inculti: si quando honestum aliquem vident virum, tam eum quàm eius vestitum mirantur, quia nulli mercatores ad eos commeant, nec ipsi ad vias, qua solent homines iter facere se conferunt: quòd ea loca ferè homines nequam & latrones tenere soleant. Abundat capris, melle & argano. ibi enim arganum incipit inueniri: huius montis Orientalem partem à meridionali solis ardore tuetur Seusaua mons, à quo eiusdem nominis fluuius oritur: qui fluuius ad Nifisæ Orientale caput decurrit, eumque à proximo monte separat, & in Asisnualem fluit. niues in hoc mōte perpetuæ sunt, gens barbara, nullam cum finitimis pacem colit: arma sunt saxa, aquæ fundis cōtorquent: hordeo melle & caprina carne victitant. multi inter eos Iudæi, qui in illis montibus fabrilem artem exercent, & ligones, falces, atque equorum soleas conficiunt. Iidem quoq; domos extruunt, quanquam in eo haud multum sanè habent negocii: quòd parietes lapide & creta tecta paleis construantur. Hic enim neq; calx, neq; tegulæ, neque lateres, neque aliud quidquam reperitur. Atque eiusmodi sunt ædes in eis montibus, de quibus diximus. Sunt apud hos multi legum studiosi, quos certis in rebus consulunt. In Orientali Nifisæ parte initium habet alius mons, qui Semeda dicitur, quē à Nifisa Sessaua fluuius diuidit: hic XX. M.P. in solis exortū extēditur.

huius

huius montis incolæ, viles, horridi & pauperes sunt. Fontibus hic mons abundat: niues in eo toto anno nō desunt. nullum ibidem forū aut ius, nisi si quando viator aliquis incidat, qui eis prudens esse videatur: huic de re quapiam controuersa ius dicenti acquiescunt, ideoq; vbi quis peregrinus ad eos venerit, eum donec ipsorū controuersias omnes audierit diiudicaritque, discedere non patiuntur: quod vbi fecit, tūc eum sub templi porticu sedere iussum conceptis quibusdam verbis precati, cum muneribus accedunt, capútque osculantur, atque alius gallum gallinaceum, alius nucis putamen: hic restem ceparum, ille allij adfert. nobilissimus autem inter eos hircum donat. hordeacea farina cum feruente aqua permixta, carnéque hircina durissima vescuntur, & in nuda humo cubant. Huic ad Meridiem Tenmele mons est altissimus ac frigidissimus, totus tamen valde frequens: in cuius cacumine vrbs eiusdem nominis posita est: ea quoque admodum frequens, & pulcherrimo ornata templo. mediam alluit fluuius. in hac ciuitate sepulti sunt, Elmahdis concionator, eiúsque discipulus Habdul Mumen. Nequissimi & pessimi sunt huius montis incolæ, seque quòd eius concionatoris (qui tamen in Sarracenica religione transfuga impiúsque habetur) Theològiæ ac doctrinæ operam dederint, doctissimos ducunt. Itaque vt primùm hominem vident externum, cum eo eo disputare volunt. malè vestiti incedunt, quia in eis locis nullus peregrinus versatur: sine lege ferarum more viuunt, nisi quòd sacerdotem vnum habent consilij principem. hordeo atque oliuo vescuntur, nucibúsque & pineis affluunt. Secsiua mons hinc ad Orientem cōiungitur, incultus, præaltus, atque admodum algidus, densissimis syluis & perpetuis niuibus horridus, fontibus scatet, indéque Asifnual fluuius oritur, qui tādiu in Occasum decurrit, donec à Nifisæ finem veniat, ibíque inter Nifisam & Demenseram cursum suum ad ferreum montem, vbi Tensifto coniungitur, in Septentrionem dirigit. in hoc monte speluncæ sunt multæ, amplæ & profundissimæ, in quìs per tres anni menses, Nouembrem, Decembrem & Ianuarium pecora habent, quorum pabulum & fœnum & frondes quædam prægrandium arborum: victum à vicinis montibus capiunt. in hoc enim nihil prouenit. Vere & æstate, lacte, caseo recenti, & butyro abundant. His vita longa est, plerunque annorum octuaginta, sæpe nonaginta, interdum centum viuida senectus, eísque incommodis vacua, quæ anni illi adferre solent. Greges ad vitæ exitum agunt: nullum vnquam externum hominem vident. albos in capite pileos gestare solent, calceos vtuntur nullis, nisi quòd pedibus aliquid subiiciunt, ne saxis lædantur, & crura detritis quibusdam fasciis inuoluunt, & funiculis adnectunt, vt ea à niuium iniuria defendant. Ex Orientali Semedæ montis parte initium capit Gedmeua mons, extenditúrque Orientem versus ad XXV. M. P. adeò vt cum Imizmizis coniungatur. Incolæ rustici pauperes, & Arabis subiecti: propterea quòd sedes ipsi suas prope planiciem, quæ Septentrionalē Teumelis montis partem spectat, habent. in montis lateribus oleæ multæ sunt, & ad hordeum serendum campi: nemora præterea non pauca, & in montis cacumine complures fontes. Hunc sequitur Hantera altissimus mons, qui Ortum versus Adimeium montem vsque XLV. M. P. extenditur. gentem habet bellicosam, diuitem, & equis abundantem. In eo arx est, qua quidam Maro chensis principis propinquus potitur, verùm continua inter eos de finibus bella sunt. In hoc monte multi sunt Iudæi opifices, qui tributa huic domino pendunt. Hi Carainorum in religione sectam sequuntur, suntque (vt dictum est) homines bellicosi. Montis cacumen perpetuis niuibus riget, adeò vt niuium ingens moles primò intuenti nubes videatur. latera eius arboribus, herbísque nuda perpetuò sunt. In plerisque locis candidissimum & purissimum eruitur marmor. quod tamen ab ea gente contemnitur. neque enim quisquam est, qui aut eruere aut expolire id norit. Multis in locis columnæ & capitula columnarum perfecta, vasáque capacissima & pulcherrima ad fontes excipiendos inueniuntur, eorum principum & regum potentissimorum opera adornata: de quibus infra dicemus, sed eorum cœpta bellis interrupta fuerunt. Hunc Orientem ac Meridiem versus attingit Adimeius, mons magnus & altus, qui in Ortum ad flumen Tensistum vsque progreditur. multi hunc mon-

tem populi incolunt. multa ibidem nucibus, oleis, & cotoneis malis referta nemora inueniuntur. Gens est satis bellicosa: omnis generis animalibus abundat, propter cœli temperiem, solique bonitatem. ab hoc monte complures fontes scaturiunt, & Tensistus fluuius, qui hinc cursum suum in Circium dirigit, ibique Oceanum prope Azafium in Duccalia regione ingreditur: hic fluuius aqua abundat, & profundus est, aliquibus tamen in locis ab equite vado transiri potest: prope Marchum vrbem pontem habet, à Mansore rege ædificatum, qui quindecim arcubus sustinetur, ex pulcherrimis Africæ ædificiis. eius tamen tres arcus ab Abu Dubusio postremo Marochi rege ac pontifice, sine fructu, vt Iacobum primum ex Marina familia regem transitu prohiberet, fracti fuerunt. In hac regione decem sunt nobiliora oppida, nempe, Teneza, Tumeglastum, Tesrastum, Marochum regia, Agmetum, Hammineium, Imizmizi, Delgumuha, Elgiumuha, Imegiagen. Teneza oppidum munitum in Nifisæ montis latere Septentrionali, quod latus Ghedmina dicitur, ab Asifnuale Orientem versus VIII. M. P. distans, à priscis Pœnis conditum est. subiacet ei amplissimi campi, & fertilissimi: quos incolæ Arabum metu colere prohibentur. In montis modò lateribus, intérque flumen & oppidum serunt: cuius etiam rei gratia omnium fructuum Arabis pendunt. Hinc circiter XXX. M. P. in Aquilonem est, Tumeglastum, quod tria parua castella in plano loco sita continet, & distat ab Atlante Septentrionem versus XIIII. M. P. circa omnia sunt palmis, vitibus, atque aliis fructibus consita. Planiciem habent pulcherrimam, & frumentis optimam, sed coli propter Arabum excursiones non potest. Sunt hæc castella propè deserta, nec in iis plures sunt quàm duodecim, quindecimve familiæ: domos habent tam angustas, támque incommodas, vt potius pecorum stabula, quàm hominum domicilia esse videantur: aquæ ibidem salsæ sunt. Post XVI. M. P. Ortum versus est Tesrastum paruum oppidum, ad Asifelmelis fluminis ripam situm, procul ab Atlante circiter XX. M. P. hic autem fluuius ex Hantera monte prope Marocum oritur, & in Tensistum fluit. circa vrbem hanc multi horti sunt palmiferi, agríque fertiles. Incolæ omnes ferè olitores sunt. Fluuius interdum ita redundat, vt hortos omnes corrumpat, & Arabes æstate in hortos irrumpunt, & quicquid boni est auferunt. Sequitur Marochũ, olim Bocanum Hemerum, quod XIIII. M. P. ab hoc Ortum versus, distat, vrbs inter orbis terrarum maximas, Africæ verò nobilissimas numerata. In patentissima planitie XIIII. M. P. procul ab Atlãte, & VI. ab Tẽsisto fluuio, ad Agmeti portas, quibus per Atlantem montem in solitudinem, in qua Lontuni populi sedes habent, iter est, à Ioseppo Tesfini eius populi regis filio, quo tempore is cũ sua gẽte in eam prouinciã venit, excellentium architectorum, & magno ingenio præditorum artificum consilio condita, amplum loci spacium occupat: & regnante Hali Ioseppi regis filio, plusquam centum millia domorum continebat. in eã per portas XXIIII. aditus patebat, murísque pulcherrimis, & firmissimis ex viua calce & arena cincta erat. Templis, collegiis, balneis, & diuersoriis Africo more instructa. Ex iis autem templis quædam à Lontunæ regibus erecta sunt, alia ab Elmuachidinis, qui post Lõtunam familiam ibidem dominati sunt. In media vrbe vnum est omnium pulcherrimũ, quod ab Hali, de quo supra diximus, extructum fuit: atque tẽplum Halibeni Ioseppi appellatur. hoc templum eius successor Abdul Mumen destruxit, & iterum construxit, nulla alia de caussa, quàm vt nomine Halis obscurato suum illustraret: eius tamen labor irritus fuit, populus enim antiquũ retinuit nomen. Est & aliud, prope arcem templum, ab eodem Abdule Mumene, qui secundus in regnum per tyrannidem inuasit, extructum: quod templum ab eius nepote Mansore vndiquaque vlnas quinquaginta auctum fuit, & multis columnis ex Hispania aduectis ornatum: & sub eo cisterna fornicata, quæ templum amplitudine æquaret, substructa, in quam per certas fistulas aqua pluuia omnis ab omni templi parte decurreret. nam fani tectum ex plumbo totum Mansor esse voluit. Turrim quoque ex lapide quadrato & maximo, ad amphitheatri Romani formam extruxit: cuius turris ambitus centum vlnas continet, altitudo quanta est Bononiæ Asinellorum, vel Argentorati summi templi turris.

Gradus

Gradus per quos ascenditur, plani sunt, & nouē palmos lati. Muri exterioris crassitudo palmos decem, cochleæ quinq; patet. In turri sunt domicilia alia super alia septem commodissima, & elegantissima: scalarum gradus ab imo ad summum luminosissimi sunt, id quod efficiunt elegantissimæ fenestræ, intus quàm foris latiores, summoque artificio elaboratæ. In huius turris summo est altera turricula, cuius fastigium instar obelisci est, ambitus vlnas capit XXV. qui ferè est cochleę ambitus. hoc fastigium ad pedes viginti attollitur, estque tribus fornicibus tanquam tabulatis distinctum. ex altero in alterum per ligneas scalas scandendum est. In fastigij huius summo veru firmissimè fixum est: in eo tres argētei globi infixi sunt: quorum secundus proportione minor est primo, & tertius secundo. Cum ventum est in supremum fornicem, caput voluendum, vt ij faciunt, qui in nauis cauea, corbitáve quæ in mali cacumine est, versantur: ex quo loco si quis in terram oculos demittat, homines quamuis proceri, vix infantes anniculi videntur: indéque Azafius mons, qui Marocho CXXX. P. M. abest, optimè cernitur: cernunturque planicies quæ circa sunt, ad L. M. P. Templi ipsius interiora non multum habent ornatus. Lacunaria omnia lignea sunt, sed tamen satis eleganter elaborata, cuiusmodi pleraque in Italiæ templis sunt: est autem hoc templum vnum ex maximis orbis terrarum templis: verùm nunc desertum propterea, quòd populus in id non conuenit ad supplicationes faciendas, nisi Veneris die. Quin & ipsa ciuitas multum diminuta est, præsertim in regionibus templo vicinis, adeò vt difficulter ad ipsum templum ædium impedientibus ruinis, pateat accessus. Sub ipsis templi porticibus, ad centum librariorum siue bibliopolarum tabernæ, totidemque in aduersa parte esse consueuerunt, nunc autem in tota vrbe ne vna quidem reperitur, víxque vrbis tertia pars habitatur. Quæ loca sunt in ea vacua, ea palmis, vitibus, aliisque arboribus fructiferis consita sunt. nam extra vrbem nihil præ Arabum metu ne palmum quidem possunt colere. In hac vrbe arx est tanta amplitudine, vt vrbs potius quàm arx esse videatur. huius arcis muri latissimi & firmissimi sunt: portæ pulcherrimæ è marmore, Tiburtino simili, cum ferreis valuis. In arcis meditullio templum est cum turri sanè magnificum. In turris fastigio ferrea eminet hasta, in qua tres aurei sunt inserti globi CCXVI. auri talentis: hoc est, aureorum nummum CXXX. M. æstimati: atque hi globi ita sunt collocati & facti, quemadmodum de argenteis diximus. Hos globos plerique principes inde auellere auferréque voluerunt, vt ex eis conflata pecunia in suis opportunitatibus vterentur: verùm eis quoties id tentarunt, aliquid aduersi accidit: quamobrem eos relinquere coacti sunt, adeò vt inauspicatam rem ducerent eos inde reuellere. Vulgus eos globos, ea cœli affectione, eóque sidere ibi collocatos existimat, vt nulla humana vi auelli vnquam possint: aiúntque eum qui eos ibi confixit, magicis artibus certos in eis inclusisse spiritus, à quib. perpetuò custodirentur. Patrum nostrorum memoria Marochensis rex, vt Lusitanorum bellum sustinere posset, vulgi superstitione contempta, inde omnino aureos illos globos auferre voluit: sed id ei populus non permisit, in eis maximum vrbis splendorem & præsidium situm esse affirmans. Legitur in historiis, Mansoris coniugem, eo à viro suo ædificato templo, vt & ipsa aliquam sui inter templi ornamenta memoriam consecraret, aurum, argentum, gemmas, reliquumque muliebrem mundum à marito, dum sponsa esset, sibi donatum vendidisse, & ex eo auro tribus conflatis globis, fastigio illud ornamentum imposuisse. Est præterea in eadem arce nobilissimum collegium, literis, & literarum studiosis dicatum. In eo sunt triginta cubicula: & in imo locus amplus, vbi olim docentium voces audiebantur, qui in eo collegio manebant discipuli, eis victus vestitusq; ministrabatur, ita vt semel quotannis nouas vestes acciperent. Doctorum alij centum, alij ducentas auri drachmas pro lectionum ratione in annum acccipiebant. In hoc collegium nemo nisi qui principia scientiarū rectè teneret, cooptabatur. Locus est opere tessellato quòd Musaicum vocant, pulchrè ornatus: vbi hoc nō est, intus parietes certis lapidibus coctis, & encausto illitis, in quib. tessellarū loco tenues foliaturæ, aliaq; opera incisa sunt, vestiūtur: in eo præsertim loco, vbi docetur, & in tectis clausisq; porticib. quę autē

aperta cœlo sunt, pauimentum habent ex iisdem lapidibus vitreatis, quę Ezzuleia vocant Afri, cuiusmodi etiam in Hispania visuntur. In ædificij meditulio fons est pulcherrimus, ex candidissimo marmore fabrefactus, sed Africo more depressus. Fama est, hic magnum fuisse discentium numerum, nunc autem paucissimi sunt: & vnus tantum legum interpres. Sunt etiam in eadem arce duodecim distinctæ ædes planè regiæ, omnia à Mansore fabricata. In primo prætoriani milites balistis vtentes habitabant: hique quingenti esse consueuerant Christiani, qui principi anteibant, si quando ei locum mutare contingebat. In altero huic vicino totidem custodes arcus gestantes: pòst paulo vlterius scribarum locus, & eorum qui à cōsiliis principi sunt, quæ ob id negociorum domos ab eis appellatur. Tertium victoriæ Atrium dicitur, in quo arma & reliqua ciuitatis bellica instrumenta conseruabatur. Hunc alius sequitur locus, in quo archippocomus siue stabuli magister habitabat: cui adiuncta sunt tria equorum stabula fornicato opere, quorum singula equos ducentos commodè capere possunt. Alia item bina stabula: quorum alterum centum mulis capiendis: alterum equabus & mulabus, quibus vti rex solebat, destinatum. stabulis coniuncta sunt horea bina, & ipsa fornicata, duplici fornice: in imo stramen, in superiore hordeum ad equos pascendos. in altero horreo frumentum asseruabant: quod ita factum est, vt inferior fornix modiorum XXX. M. capiat, & totidem superior: in quorum tectis de industria quædam sunt facta foramina, & gradus scalarum ex lapide plani eò vsque pertingunt, per quos in tectum scandunt onusta iumenta: indeque certo numero modiorum constituto, in horreum per ea foramina demittitur. Quum verò frumentum inde extrahere volunt, alia quædam subsunt foramina, quibus patefactis sua sponte fluit: atque in hunc modum sine negocio & hauriunt & immittunt. Posthæc aliud est domicilium in quo regis filiorum atque aliorum domesticorum fuit schola. In hoc cubiculum est quadratum cum peristylio & fenestris vitreis colorum varietate distinctis. Insunt quoque circa parietes cubiculi, armaria quædam ex tabulis opere insecto auroque & cęruleo colore preciosissimo, nempe eo qui ex lapide Lazuli fit, picta & ornata. Aliud item domicilium, in quo alia armatorum caterua considebat: itemque aliud admodum amplum, vbi rex se accedentes audiebat: aliud, vbi cum regis consiliariis agebant legati: aliud regiæ vxores, earumque ancillæ & seruæ occupabant: aliud in multas partes & loca diuisum, regis natu grandiores filij obtinebant. Vltra hæc omnia ad arcis muros, qua planiciem spectat, horti amœnissimi fuére, omni arborum ac florum genere consiti & ornati. In his hortis porticus est tota marmorea & quadrata, septem palmos in solum depressa: & in eius medio columna leonem marmoreum sustinens, satis diligenter efformatum, è cuius ore limpidæ & copiosæ in porticum aquæ effunduntur. In singulis quatuor huius porticus angulis pardus sedet ex candido, certis viridantibus & rotundis maculis à natura factis distincto marmore, quod nusquam, nisi in quadam Atlantis parte C L M P. à Marocho, reperitur. Prope hortos septum est, in quo varia ferarum genera inclusa tenebantur, pardi, elephantes, leones, cerui capreoli: quanquam leones separatum ab aliis feris locum habebant, qui etiamnum leonum cauea nominatur. In hac ciuitate mortuo Ioseppo conditore, regnauit filius eius Halis, cui successit filius Abrahamus: quo tempore seditionem in religione excitauit concionator quidam, Elmahelis vocatus, in montibus & natus & altus. Hic haud exiguo militum numero collecto, bellum intulit Abrahamo. Rex cum suis copiis ei obuiam processit, & commissa pugna fusus fugatusque est, itineribusque ab Elmaheli occupatis, in vrbem redire non potuit. Itaque ea à tergo relicta, Orientem versus fuga contendere compulsus fuit, & cum paucis qui è fuga superfuerant, iter per Atlantis latus tenuit. At Elmahelis ea victoria non contentus, homini quem suis discipulis præfecerat, Habdul Mumen dicto, mandauit vt regem cum dimidia copiarum parte persequeretur: ipse autem cum reliquis copiis Marochum obsidione cinxit. Rex nusquam consistere, nec se defendere potuit, donec Oranum peruenit: qua in vrbe cum iis, quæ aderant reliquiis, sese vt

poterat, tueri cogitabat. Sed Habdul Mumene castra ad vrbem admouente populus regi se eius caussa periclitari nolle denunciauit. Quare infelix rex, omni amissa spe, nocte intempesta, equo conscenso, vxoreque quam secum habebat, in eundem equum accepta, incognitus è ciuitate sese per portam proripuit: atque in altissimam rupem, quæ mari imminebat, contendit. Ibi extimulato atque impulso calcaribus equo, præceps per prærupta ruit. Ita tres ipsi mortui totique confracti in scopulo inuenti sunt: & miserabiliter sepulti. His rebus in hunc modum gestis Habdul Mumen victor Maroccum rediit: vbi felici suo fato, Elmahelim mortuum reperit: quamobrem rex in defuncti locum, & Pontifex a quadraginta discipulis, & decem Elmahelis scribis siue consiliariis, nouo in lege Machumetica exemplo cooptatus fuit. Hic igitur in vrbis obsidione constanter perseuerauit, donec anno vertente vrbem vi cepit: captoque Isaco, qui vnus de Abrahami stirpe superesset filius, eum propriis ipse manibus iugulauit: pòst maiorem militum, qui in vrbe fuerant, & ciuium partem vita priuauit: hic omnes regiones à Messa ad barbaricam Tripolim vsque, quæ pars est Africæ præstantior, suo subiecit imperio, ita vt eius imperij fines in Africa, nonaginta dierum itinere in longitudinem, quindecim in latitudinem paterent. obtinuit etiam in Europa omnem illam Hispaniæ partem, quæ olim Betica, nunc Granata dicitur, quæque ad Tariffa Tarraconem vsque patet, bonamque Castiliæ Lusitaniæque portionem: nec solus ipse tantum habuit imperium, verum etiam filius ipsius Iosippus, & Iacobus Mansor nepos: omnésque posteri ad Machumetem Enasir vsque, qui anno Domini M. C C. X I I, in Valentiano regno ab Alphonso (vt opinor) nono Castiliæ rege in eo loco, qui Las Nauas di Tolosa, id est, naues Tolosanæ nuncupatur, L X. M. partim equitibus, partim peditibus in pugna amissis victus & debellatus fuit: in cuius victoriæ de Mauro rege partæ memoriam, hic Alphonsus clypeum suum aurea arce in purpureo campo depicta ornauit. quem morem & posteri adhuc hodie seruant, quòd aureum regnum, tanquam munitam arcem eo die barbarorum sanguine confirmatum, ac ex impiorum faucibus ereptum fuerit, indéque regno quod prius Bastitanorum appellabatur, Castellæ nomen est inditum, eandemque ob caussam D. Iacobi equestrem ordinem instituit, qui purpureo gladio sanguinis argumento vestes suas insigniunt. Hunc Machumetem nostri historici Miramulinum appellant, cuius rei caussa hæc est: quòd Habdul Mumenus, de quo suprà diximus, qui primus nouo exemplo Pontificatum simul & regnum est adeptus, potentia sua & religionis opinione fretus se Miralmuminum, quod credentium principem significat appellari voluit: quod & posteri eius sequuti sunt: nostri autem corrupto nomine Miramulinum, sicut & pro Habdul Mumene, Abed Ramon dixerunt. fuit hic Abdul Mumenus tempore Roderici postremi Visigottorum in Hispania regis anno D. C C. vel circiter: iisque quas diximus regionibus in Africa occupatis, à Iuliano comite Visigoto ob vim Cabæ filiæ illatam in regem accenso aduocatus & adiutus in Hispaniam traiecit, eamque totam præter Astures & Cantabros imperio suo subiecit: sed paulo pòst Christianorum viribus ad Mauros pellendos Pellagio Cantabriæ principe duce in Hispania collectis, aliqua Christiani recuperarunt, Mauri tamen iis quæ suprà diximus, locis circiter trecentos annos potiti sunt, donec ea clade accepta, ex qua tamen rex fuga incolumis euasit, seque Marochum recepit, declinare horum regum familia viresque cœperunt. At Christiani victoria audaciores facti, bellum continuarunt, & spacio annorum triginta, Valentiam, Deniam, Alicantem, Murciam, & nouam Carthaginem, Cordubam, Siuiliam, Iaen, & Vbedam recuperarunt: Machumetes verò moriens, reliquit decem filios iam natu grandes, inter quos de imperio ortum certamen in caussa fuit, vt se mutuò conficerent, & deinde Marina gens in Fessanum regnum veniret. Atque etiam in vicinis locis Habduluadeus populus excitatus, regnum Telensinorum occupauit, & Tunetano magistratu moto, regem qui ipsi videretur imponebat, venit pòst regnum ad Iacobum Habdulachi filium ex gente Marina, quæ annis c x x. im-

perauit: neque in his mutationibus tantum ab vllo ciuitas accepit detrimenti, quantum à ſtirpe Marini, quæ ſedem ſuam Feſſæ collocauit, ibique regiam habuit: Marochi verò vicarium. atque in hunc modum Feſſa Mauritaniæ totiusque Occiduæ oræ caput fuit. Pòſt & Marium defecit genus, & Marochi quidam ex veteri mõte vrbi proximo dominati ſunt, ac tandẽ Marochenſis vrbs contẽpta remanſit, atque ab Arabibus vexata, quoties populus non ſtatim eorum cupiditati & voluntati ſine vlla tergiuerſatione obſequitur. non deſunt qui hanc vrbem non à Ioſeppo Tesfini filio, ſed ab Habdul Mumene, vel Abed Ramonæ (vt ipſi dicunt) conditam velint: ſed nos Leonem Africanum potius quàm alios ſequi voluimus. Sunt etiam qui non abſurdè hoc in loco Bochi regiam, à Ptolemæo Boccanum Hemerum appellatam fuiſſe credant, nec Geographica ratio repugnat. Agmetum oppidum à Marocho ortum verſus XXIIII. M. P. diſtat, ab antiquis Pœnis in quodam Atlantis colle conditum, domorum ad ſex millia continet. Hoc regnante Muachidina gente admodum floruit, alterumque Marochum dictum eſt (fuerunt autem Muachidini Habdul Mumenis ſucceſſores) hortis & vineis pulcherrimis partim in colle, partim in planicie abundat. Præter id labitur amnis ex Atlante ortus, qui deinde cum flumine Tenſiſto commiſcetur. inter hæc flumina planicies eſt ſoli bonitate miranda. aiunt enim id ſolum interdum cum quinquageſimo fructum ferre: huius fluminis aquæ ſemper albæ ſunt, hunc Marochum vſque peruenire exiſtimant: qui per quoſdam ſubterraneos canales decurrens, prope vrbem erumpat. Regibus aliquot placuit explorare, vnde hic fluuius veniret. Itaq; certos per aquæ canales ire iuſſerunt: qui laternam præferentes, cum aliquo vſque per canalem perueniſſent, vẽti impetum ſenſerũt, quo etiam lumen in laterna extinctum fuit: qui ventus tanto impetu flabat, vt maiorem nunquam ſenſiſſe viderentur. Sæpe etiam ita periclitati ſunt, vt redeũdi facultas omnis ablata videretur. Nã præter hoc ipſum flumen, quod per ſaxa immania rotatum frangebatur, inter quæ fluctus allidentes, modo in hanc, modo in illam partem flumen præcipitabatur. profundiſſimas quoq; voragines & cauernas inuenerunt, ita vt ab incœpto deſiſtere compulſi fuerint: nec quiſquam pòſt inuentus eſt, qui idem tentare ſit auſus. Qui res Marochenſium ſcripſerunt, aiunt Marochi conditorem aſtrorum ſcientia, qua ij reges præſtabant, multa vrbi ſuæ bella imminere præuidiſſe: ideoque hæc fluminis curſui alueoque, quæ illum occultarent oppoſuiſſe, quo ignorato aquæ fonte, & viis ab hoſte priuari non poſſent. Sub Agmeto prope fluuium trames eſt, per Atlantem in Guzulam regionem ducens. hæc vrbs nunc habitatore vacua eſt. Sequitur Haminmei paruum oppidum, in Atlantis colle planiciem verſus ab Agmeto, qua ſolem orientem reſpicit XVI. M. P. in tramite Feſſano, per montis latus iter facientibus ſitum: inter flumen & oppidum campi ſunt vbertate cum Agmetanis conferendi. Feſſano regi nunc paret Elginmuha in planicie ad flumen Seſſaua, & Orientalem Niſiſæ partem VII. M. P. procul ab ipſo monte Septentrionem verſus ſitum, ab Afris conditum fuit: verùm poſt exactam regno Muachidinam gentem Arabes tenuerunt. veteris vrbis nunc rara tantum quædam extant veſtigia. Arabes tantum ibi ſoli colunt, quantum ad eorum victum ſatis eſſe videtur: reliquum incultum ſinunt. Quum autem hæc ciuitas eſſet frequens & plena colonis, quadragies ſeſtertiûm pendebat, & domorum ad ſex millia continebat. Imegiagen, arx eſt ab Elgiumuha XXV. M. P. Eurum verſus in vno ex Atlantis iugis ſita, non muris, ſed ſitu & natura munita. Hanc nobiles quidam indigenæ olim poſſidebant: verùm ab Homare Eſſuepho ſeditionis in religione autore: qui nullum immanitatis genus reliquum fecit. nam & infantes pueros trucidari, & prægnantium fœminarum corpora aperiri, & fœtum ex vtero abſtrahi, & in matrum gremio diſcerpi mandabat: vt antè mortis acerbitatem ſentirent, quàm vitæ dulcedinem eſſent experti, anno M. CCCC. XCIII. exacti fuerunt, ita locus habitatore vacuus manſit, ſed pòſt M. D. XIII. iterum aliqua ex parte incoli cœpit: verùm quæ ad vitam neceſſaria ſunt, in montis tantum lateribus ſeri poſſunt. per planiciem

hiciem enim, iam Arabum, iam Lusitanorum metu ne iter quidem fieri potest. Delgumuha vrbs munitissima, in Sesiua mõte supra Asifnualis fluminis fontes, à Marocho Lybam versus L. M. P. aliis montibus septa est: sub ea (vt diximus) Asifnual fluuius oritur, quæ vox punica lingua rumoris fluuium significat. ex monte enim magno cum strepitu præceps ruit, efficitq; profundam voraginem instar auerni. hoc oppidum patrum nostrorum ætate conditum fuit: mille propemodum domicilia continet, equitatu ac peditatu satis valet, ex mapalibus pagisque Atlantis ad quadringenta sestertia: hoc est, aureorum nummûm decem millia capit. frequentissimum est, atque opificibus instructissimum. populus cum Arabis arctissima necessitudine coniunctus est, quos etiam sæpe magnis & splendidis cum Marochensium principum indignatione afficit donis: inter ipsorum montes horti sunt elegantissimi, fructibus abundantes. hordeum, linum, cannabem solent serere: capras habent multas. Sacerdotibus iudicibusque vtuntur: cætera homines ingenio crasso sunt, atque in re vxoria admodum suspiciosi. Imizmizi ab hoc XIIII. M. P. Ortum versus distat, oppidum vetustum, satis amplum, in quadam Atlantis rupe situm. sub eo via transuersa per Atlantem est, quæ Guzulam ducit, Burris, id est plumosa appellata: quia ibi perpetuò niues cadunt, quæ albis sunt similes plumis, quas interdum per aera ferri videmus. Sub hoc quoque latissimi patent campi, qui Marochum vsque pertinent: habent in longitudine XXX. M. P. ibi frumentum pulcherrimum oritur, quo vix vllum melius reperitur. Arabes autem, Maroccensisque princeps exactionibus eos adeò premunt, vt minor agri pars deserta & inculta sit. Quinetiam incolæ id incipiunt deserere. Egentes quidem pecuniis sunt, sed agris & frumento abundantes.

DVCCALA, MAROCHI REGIO V.

DVCCALA regio tota ferè plana est; Euro in Caurum Tensisto, à Cauro in Septentrionem Oceano, ab Euro in ortum flumine Habide, atque ab Ortu in Septentrionem reflexa Omirabide terminatur. Hæc regio ab Tensisto ad Omirabim trium ferè dierum itinere. ab Habide verò in Oceanum circiter duorum patet. habitatore frequens est, sed prauo & imperito. Paucæ ibi sunt mœnibus cinctæ vrbes, nos tamen præcipuas enumerabimus. Sunt autem hæ: Azafium, Tita, Azamor, Meramer, Elmadina, Subeita, Temeracostum, Terga, Bulhauanum, Centum putei, Contis. Montes in ea duo sunt, nempe Mons viridis, & Benimegher mons. Mons viridis ab Omirabi iuxta seruorum, hoc est Habidis fluminis in eum ingressum initium ducit, tenditque Occasum versus vsque ad Hascoranos colles, Duccalamque ab aliqua Tedlæ parte diuidit: altus est, & nemorosus valde, asperque: glande & pineis abundat, easque fert arbores, quæ rubrum quendam fructum ferunt, qui Africanus appellatur. ibi complures habitant religiosi homines, qui nulla præterea re quàm huius montis fructibus pascuntur. distant enim ab hominum frequentia passuum ad XXV. M. Non pauci quoque in hoc monte fontes inueniuntur, multæque aræ Machumetanorum more excitatæ: atque alia quædam veterum Pœnorum ædificia. Ad montis radices lacus est amœnissimus, piscibus affluit, cuiusmodi sunt anguillæ, clupeæ, quas hodie Laccias vocant, & Lucii de genere luporum, aliique optimi. circa hunc lacum ingens est arborum copia, quarum folia pinearum similia sunt. in quarum ramis semper nidi turturũ plurimi sunt, anserum quoque, anatum item, aliarumque aquatilium volucrum & coturnicum, perdicumq;: nec non leporum, ceruorum, histricum, capreolorum, & luporum magna ibi est copia. Benimegher verò mons ad Oceanum & Tensistum fluuium est, ab Azafis Occasum versus XII. M. P. distat, opificibus variis est frequens, qui omnes Azafis domicilia habuerunt. Fertilissimus est, maximeq; frumenti atque olei abundans. quum Azafium à Lusitanis captum fuit, populus in hunc

montem confugit: pòst tamen & hi à Lusitanis subacti sunt. Azafium in Oceani litore oppidum est, à veteribus Pœnis conditum, domorum ad quatuor mi[illegible]a cõtinet, frequẽtissimum est, sed moribus incultum: solum habet optimum & fertile, verùm rudes & imperitos incolas, vtpote qui neque agrum colere, neque vineam putare norunt, hortulos tamen aliquot habent satis cultos. fuit in eo quõdam magnus opificum numerus, Iudæorum præterea centum ferè familiæ. Quum regum Marochensium vires debilitari cœperunt, familia quædam Farhonis appellata in hac ciuitate imperauit: tandem ad quendam Hebdurrahmanum, qui regnandi caussa patruum interfecerat, imperium venit: diuque ciuitate pacata est potitus. Erat huic eximia forma filia, amore capta cuiusdam hominis plebeij: qui tamen magna apud ciues suos gratia pollebat, & Hali Gousimenis filius vocabatur, cuius seruæ cuiusdam matrisque suæ opera puella consuetudinẽ habuit. Quod cum pater à serua resciuisset, vxorem obiurgauit, eiq; minatus est mortem. Pòst autem visus est rem non magnifacere. sed vxor viri sui ira cognita, filiæ amatorem sibi diligenter caueret admonuit. Itaque Hali vitæ suæ timens, dominum suum interficere constituit. ac re cũ iuuene quodam strenuo, qui & ipse caput erat multorum militum, & de cuius fide nihil dubitabat, communicata, nihil iam nisi loci ac temporis opportunitatem expectabat. Rex autem die quodam ipsis solenni & festo, Hali per seruum significauit, se cum eo velle animi caussa aliquousq; post supplicationem equitare: eique locum, vbi se expectare deberet, indicauit: quo in loco necem ei moliebatur. Hoc nuncio misso rex in templum venit. Hali quid rex animo agitaret, minimè ignarus, socium accersiit, eique negocij peragendi tempus adesse significauit: deinde cum decem aliis quibus maximè confidebant armatis (prius tamen celeri nauigio in litore tanquam Azemurum mittere vellet, sed reuera ad fugam si opus foret, comparato) in ipsum templum multitudine refertum, magnanimi, atque ad omnia parati iuuenes veniunt: cum paulo antè rex esset ingressus, & ad eum qui prope sacerdotem ad preces compositus erat, nihil à regio præsidio impediti, vtpote qui nihil de talibus tantæque apud regem autoritatis viris suspicarentur, facilè accedunt. Hic alter antè, à tergo alter regem aggrediuntur, & simul qui à tergo erat, pugione: qui à fronte, ense confodit & conficit. extemplò clamor ingens fit, & primò præsidiarij milites in duos iuuenes impetum faciunt: sed superuenientibus decem cum districtis gladiis, hanc populi conspirationem esse rati, sese in fugam coniecerunt: idem & reliqui qui in templo erant fecerunt, ita vt soli coniurati in templo remanserint: qui fuga conspecta in forum prodiere, & ibi multis verbis iure à se regem, qui eis necem machinatus esset, interfectum populo persuaserunt. Populus facilè quieuit: ipsosque duos paribus auspiciis regnare passus est: at non diu concordes in diuersa euntibus studiis regnarunt. Id animaduertentes Lusitani mercatores, quorum magnus semper est in ciuitate numerus, regem suum hortati sunt classem instrueret, facilè vrbem capi posse. Rex tamen non est motus, donec rursum ab iisdem mercatoribus certior est factus, in ciuitate multas esse factiones: ipsosque muneribus & donis sibi ad intimam alterius principis familiaritatem viam patefecisse. itaque sperare nullo negocio impensisque non magnis, regem vrbe potiri posse. In hunc autem modum incœpta res fuit. Mercatores ab eo principe, cui iam erant familiares, vt domum ad mare munitam, in qua res suas tutò conseruare possent, propterea quòd in principis morte bonis eorum direptis multum detrimenti accepissent, ipsis extruere liceret impetrarunt: eamq; munitissimam excitarunt, clamq; in eam sclopos aliaq; arma in vasis oleariis aliisque mercium inuolucris inclusa importarunt. nemo enim, modò vectigal solueretur, curiosius quidquam inquirebat. Vt autẽ se satis ab armis firmos tam ad inferendam quàm ad propulsandam vim senserunt, varias discordiarum litiumque caussas comminisci cœperunt, ita vt cum mercatoris cuiusdam puer carnes emeret, adeò lanium in furorem cõcitauit, vt ei colaphum impingeret. Puer correpto quem gestabat pugione, lanij pectus cõfixit, ex quo vulnere illico expirauit quo facto in mercatorum domum sese fuga proripuit. Hac re concitatus populus ad

arma,

arma, atque ad eam domum, eam diripi, & qui in ea erant, omnes trucidari posse sperans, concurrit. Verùm vbi propius accessissent, qui in ea erant, tormenta displodere, glandibusque & aliis missilibus Pœnos petere cœperunt, ex quibus hoc primo impetu circiter centum & quinquaginta ceciderunt. Pœni rei nouitatem admirati, non tamen per multos dies ab oppugnatione destiterunt. Interea classis ab Vlyssipone, quam ad hoc ipsum rex omni genere telorum & commeatus, cum peditum quinque millibus & equitibus ducentis instruxerat, appulsa est. Qua re conspecta barbari consternati, vrbe deserta omnes præter regulum, qui in domus extructionem consenserat, eiusque familiam & coniunctos, in Benimeghereum montem aufugerunt. Potitus igitur hac ciuitate classis imperator, eum regulum nomine Iehia ad se venire iussit: eumque ad Lusitaniæ regem misit: à quo humaniter acceptus, & amplis præmiis affectus, cum viginti viris, qui ei parerent, in Africam, vt extra vrbem omnia administraret, & fines tueretur, est remissus. Is enim quem rex classi præfecerat, qua ratione rudis ille populus gubernandus esset ignorabat. vrbs vacua habitatore, totaque regio vastata remansit. hæc gesta sunt anno M.D.XIII. tantorum malorum sæpe caussa sunt fœminæ ac dissensiones. Contis ab Azafis Aquilonem versus circiter XX. M. P. distat, in Oceani litore à Gottis, quum in eo litore regnarent, condita: nunc diruta & deserta est. solum Arabes Duccalani obtinent. Ab hac totidem millia passus Aquilonem versus, ad idem Oceani litus est Tita, ab Afris Tit nuncupatum oppidum, à priscis Pœnis conditum: campos habet circum latissimos, in quibus bonum frumentum, & copiosum nascitur. Populus est rudis: neque hortos colore, neque vllam aliam amœnitatē nouit: vestitur tamen honestè satis propter continua cum Lusatinis commercia & consuetudinem. Capta Azemure, hæc ciuitas pactione quadam in Lusitanorum potestatem venit. Azemurum ab hoc XXIIII. M. P. item Aquilonem versus distat, ad Oceanum in ipso Omirabis fluminis ostio à Pœnis conditum: amplum & frequens est, domorum ad quinque millia continens: ab Lusitanis mercatoribus frequentatur: quo fit, vt ciues comes & humani sint, eleganterq; vestiantur. populus in duas factiones est diuisus, & tamen semper pacatus fuit. agrum habet fertilem, tametsi neque hortos neque vineas, præter ficus quasdam, colant. E fluminis piscatu, hoc est clupeis, sex aut septem millia aureorum nummum in annum vectigalis nomine capiunt: piscatio Octobri incipit, in extremo Aprili cessat. Piscium ingens copia est, sed pinguedinis quàm carnium maior. Piscem frigunt exiguo adiecto oleo, qui vbi ignem sensit, pinguedinis magnam emittit copiam: eoque ad lucernas vtuntur. nam ibi oleum non nascitur. Lusitani semel quotannis eius piscis coemundi gratia eò venire solent, hinc illud magnum vectigal. iidem Lusitani regem suum ad eam ciuitatem capiendam incitarunt: quod ille facere quum vellet, classem haud mediocrem eò misit. Sed quum classis præfectus parum esset peritus in capiendo fluminis ostio, naues vi depressæ maiore ex parte periêre. Verùm biennio pòst rex alteram ducentarum nauium classem misit: quam vbi populus vidit, ita consternatus pauore fuit, vt fuga arrepta in ipsis portis præ multitudine supra octuaginta viri perierint. Venerat eò princeps quidā ad opem ciuibus ferendam, qui in illa trepidatione, quum ad fugam omnes sibi vias interclusas cerneret, sese per funem de mœnibus demisit. Multitudo hac illac per vrbem discurrens, alius pedes, sine calceis alius, alius eques fugiebat: & miserum erat cernere pueros, senes, mulieres & puellas nudis pedibus, passis capillis, ab omni parte cursitare: nec qua euadendum esset inuenire. antequam verò Christiani oppugnationem aggrederentur, Iudæi qui paucos in vrbe reliquos videbant, cum Lusitanis de vrbis deditione, vt ipsi cum suis rebus salui essent, pacti, omnium qui aderant consensu eis portas aperuerūt. In hunc igitur modū Christiani hac ciuitate potiti sunt: populus autem pars Salam, pars Fessam commigrauit. Hinc XXX. M. P. ad Meridiem est Elmedina ferè huius regionis caput, muris, eius gentis more, neque elegantibus, neque firmis satis clausa. Populus imperitus dici potest. amictu vtitur è lana ibidem confecto. Mulieres argento & sardis lapidibus ornant

ſeſe. viri bellicoſi ſunt, equis abundant. hic populus à Feſſano rege ob quandam Luſitanorum ſuſpitionem in coloniam abire anno M. D. X I I I I. iuſſus eſt. Centum putei oppidum eſt in colle ſaxeo, in Mediterraneis Duccalæ inter Elmedinam & Azafios ſitum, extra quod multæ ſunt foſſæ, in quibus incolæ frumentum ſeruare conſueuerunt: aiuntque eius loci homines, frumentum in eis foſſis in centeſimum annum ita incorruptum, vt ne odorem quidem mutaret, conſeruari ſolitum: ex quarum foſſarum multitudine, & quòd eæ puteis ſimiles videantur, oppido nomen eſt inditum. Hic populus nullius eſt ingenii, quamobrem nullus ibi opifex, præter Iudæos quoſdam fabros, inuenitur. Meramerum quoq; in Mediterraneis ab Azafis X I I I I. M. P. Meridiem verſus à Gottis conditum fuit, quandringentas ferè domos habet. ager frumenti oleique ferax, Azafienſium dominis quondam paruit: ſed poſt Azafios à Luſitanis captos, oppidum ab incolis deſertum, annum ferè ſine habitatore fuit. Pòſt re cum Luſitanis compoſita, ad id incolendum redierunt: hodieque regi tributum pendunt. Subeita paruum oppidum eſt, ad flumen Ommirabin Meridiem verſus ſitum: diſtat ab Elmedina circiter X L. M. P. paret Arabis Duccalanis, frumento melleque abundat: verùm hominum ſocordia neque hortus eſt neque vinea. pòſt Bulhauani euerſionem, de qua mox dicemus, hic populus à rege Feſtano, in ſuum regnum, & in quoddam paruum oppidum antea deſertum deductus conſtitutusque fuit, & Subeita vacua relicta eſt. Temeracoſtum etiam exiguum oppidum eſt, ad eundem Ommirabim fluuium à Subeita ad Eurum haud procul ab eo qui Maroccum condidit, conditum, indeque nomen habet: frequens tamen eſt. ſunt in eo domus ferè quadringentæ. Azemureis quondam paruit: verùm quo anno Azemur captum à Luſitanis fuit, hoc quoque vaſtatum eſt, & eius incolæ Elmedinam migrarunt. Ad eundem quoq; Ommirabim fluuium non procul à ſuperiore Eurum verſus eſt Terga, paruum & ipſa oppidum, frequens tamen: domos ad trecentas habet. quondam Arabis Duccalanis paruit: ſed poſt captos Azafos Halis, factionis eius quæ Luſitanis aduerſa fuit, dux, huc venit, hicq; aliquandiu cum multis fortibus viris habitauit: pòſt autem rex Feſſanorum eum in ſuum regnum vnà cum vniuerſa familia venire iuſſit, ex quo oppidum deſertum eſt. Bulhauanum item paruum oppidum ad eundem Ommirabim prope montem viridem longo in ripa fluminis tractu, mediaq; via per quam Feſſa Maroccum itur, poſitum eſt, quingentis domibus frequens, in eoque multi nobiles & liberales viri habitant: domus ibi eſt ampliſſima, & complurium hoſpitum capax, cum ampliſſimo item ſtabulo, in quam quotquot illac iter faciunt, humaniter inuitantur, & gratis accipiuntur. Impenſam omnem populus facit: qui frumenti & pecoris diues admodum eſt. Singuli ciues boum iuga plus minus centena poſſident: ſunt qui mille, ſunt qui tria millia modiorum frumenti ex ſuis agris capiant. Arabes emptores ſunt, atque in annum reponunt. Anno M. D. X I I. Feſſanus rex fratrem ſuum, ad Duccalanos tuendos & gubernandos miſit. Qui vbi eò venit, Azemureum præfectũ ad hoc oppidum diripiendum, & ciues in ſeruitutem abducendos venturum accepit. Itaque is duas equitum turmas, in quibus ſingulis mille erant equites, & octingentos ſagittarios ad oppidi præſidium miſit. Eodem momento quo hæ copiæ appulerunt, & miles appulit Luſitanus: qui à duobus millibus Arabum adiutus, Faſſanum præſidium facile ſuperauit. Feſſani ſagittarii in media planicie circumuenti, omnes trucidati fuerunt, decem duodecimve exceptis, qui vnà cum reliquis copiis in montes euaſerant. Quanquam barbari reſumptis animis reuerſi, Luſitanosq; aggreſſi, ad centum & quinquaginta eorum equites ceciderunt. Regis frater Duccalam venit, exegitq; tributum, perpetuam defenſionem pollicitus. fuit pòſt ab Arabis proditus, & Feſſam reuerti coactus. Populus autem videns aduentum regii fratris tributum quidem confeciſſe, verùm nullam opem attuliſſe, magno metu perculſus, oppidum deſeruit, ſeq; in Tedleos montes recepit. metuebant enim, ne ſi Luſitani venirent, maiorem pecuniam imperarent, quam niſi repræſentarent, captiui omnes abducerentur.

HASCO-

HASCORA, SEXTA MAROCHI REGIO.

HASCORA Duccalam cum monte viridi à Septentrione, ab Occaſu Tenſitum & Adimeum montem habet, & Quadelabidum flumen inter Occaſum & Septentrionem: à Meridie Atlantem, ab Ortu Tenueuem mõtes. Cultiores Haſcorani, quàm Duccalani ſunt. olei ferax eſt hæc regio, & caprarum gregibus referta. hinc bona pars coriis Marochinis cõficiendis operam dat: pannum quoque è lana nobiliſſimum, vt illic moris eſt, texunt, alij ephippia & phaleras eleganter exornant. A Feſſa plerique apud hos ampla negocia tractant, telas cum pellibus & ephippiis permutando. Eadem moneta cum Duccalanis vtuntur. Arabes quoque oleum, atque alia quibus ipſi carent, ab eis accipiunt. Haſcoræ oppoſitus eſt Tenueues mons: eſtque Atlantis facies, qua Meridiem ſpectat, à Zephyro in Aquilones tendit. Haſcoram ab Duccala ſeparat. ex hoc monte Quadelabidus oritur, qui Haſcoram, Tedlam & Duccalam inter ſe, dein Haſcoram ab Oceano ſeiungit: populis frequens fortiſſimis & bellicoſiſſimis, ſiue peditatu, ſiue equitatu pugnandum ſit. Equos habent multos, ſed paruos. In hoc monte glaſtum quidem atque hordeum copioſe prouenit: frumenti verò vix granum videas. Itaque hordeo veſcuntur. Niues per totum annum in hoc monte videntur. multi ſunt inter incolas nobiles, multi equites: atque inter hos vnus eſt princeps cæteris imperans. Hic omnem publicam pecuniam exigit, quæ ſatis magna & ampla eſt: eamque in bella impendit, quæ inter eos & populum Tenſitanum ſunt. Is ad mille equites habet, nobiles verò equitesque totidem penè conficiunt: habet præterea ipſe centum partim baliſtarios, partim quos nunc vocant ſclopetarios, ſtipatores. Tenſita mons Haſcoræ ad Meridiem eſt: ad Occaſum Adimeo proximus, ex quo Tenſit fluuius ortum habet, qui Adimei radices alluit. Tenſita verò ad Orientem Dedeſe monte, ad Meridiem Daræ ſolitudine terminatur. Sunt in hoc monte caſtella quinquaginta, muro lapideo cincta. in eo monte raræ ſunt pluuiæ, ſed flumine Dara vtuntur, ad quod magna incolentium pars eſt ſita. Principem habent, qui in bellum ad mille & quingentos equites ducit, pedites plures. Ac quanquam mons non admodum fertilis ſit, ad vicena tamen millia aureorum nummûm annua (tertia tamen parte minores ſunt, quàm noſtrates) capit. nam & tritici & pecoris inopes ſunt: hordeo tamen & palmarum fructibus ſatis copioſi. mercibus permutandis pars eorum vitam tuetur. Gogidemus ſequitur, Tenueuen inter & Tenſitam ſurgens, quorum ille à Septentrione, hic à Meridie eius claudit latera. quæ pars in Septentrionem vergit, ea habitatur, aduerſa tota deſerta, ab eo tempore, quo Abraemus Marochenſium rex, memorabili illa pugna, cuius mentionem in Sarracenica hiſtoria fecimus, ab Elmahele victus ſe in hunc montem recepit. quem quòd eius montis incolæ iuuare vellent, in eos arma conuertit: pagos incendit, populum partim trucidauit, partim finibus exterminauit: quo factum eſt, vt à viliſſimis hominibus altera tantum pars colatur: nihil autem ibi naſcitur, præter oleum & hordeum. Capras tamen multas habent, & mulos: ſed eos humiles admodum, vtpote à paruis equis procreatos. Loci natura & ſitu, libertatem facilius tuentur. A Gogidemi parte occidua incipit Teſeuon mons biceps & geminus, inque Tagodaſtum montem terminatur. nihil ibi præter hordeum miliumque gignitur. Ab hoc gemino monte flumen oritur, inde lapſus per amœniſſimam planiciem decurrit: quæ ab Arabis tenetur. In Tagodaſto monte Tagodaſtum oppidum eſt, quatuor aliis præliis montibus cinctum. circa oppidum ſunt pomaria omnis generis fructiferarum arborum conſita. Vineta quoque pulcherrimis pergulis inſtructa. Vuæ ſunt rubræ, quarum acini à magnitudine, oua gallinacea dicuntur. Magna eſt in hoc monte olei melliſque optimi copia. Mel candidum eſt aliud, & lacti ſimillimum: aliud auri modo flauum, & clarum. oleum quoque non inſuaue. In oppido ſunt fontes ampli, & ex his riui tanto impetu decurrentes, vt molas agant. Incolæ ſatis culti. fœminæ venuſtiſſimæ, variiſque argenteis monilibus ac ſpiris ornatæ.

Iudices habent & ſacerdotes, nobiles quoque familias non paucas, ex quibus vnus principatum obtinet, ſua tamen iura populo concedit: & quia greges animalium multos habent, lana & pellibus abundant, quæ Feſſam atque in alias regiones mittunt. Planiciem quoque colunt ad ſex M. P. patentem, & tritici feracem: quam vt pacatam habeant, Arabis certam penſionem quotannis ſoluunt. In Atlantis latere altera eſt Elmadina ab Haſcorano populo condita. Domorũ ad duo millia in ea numerantur. Diſtat à Marocho Orientem verſus, nonaginta ferè milliaria: ab Elmadina Duccalana ad Septentrionem, ſexaginta. Eſt hæc ciuitas alutariis, ephippiorum magiſtris aliiſque artificibus referta. Multi ibidem Iudæi ſunt partim mercatores, partim opifices. circa vrbem ſunt oliueta, vineta, pergulæ elegantes, altiſſimæ nuces. Sunt ciues homines factioſi. Alunt inter ſe inimicitias in ciuitate: foris quoque cum ciuitate vicina ad quatuor millia paſſuum, adeò vt nemo ex eis in campos ad ſua prædia egredi, præter ſeruos & fœminas tutò poſſit. Quòd ſi quis mercator peregrinus ex vrbe in vrbem velit commeare, armatis bene comitatus ſit oportet. Quamobrem quiſque ſclopetarium, quem vocant, militem, aut baliſtarium, alere ſolet, cum ſtipendio decem aut duodecim aureorum nummûm ſingulis menſibus, qui aurei ſexdecim Italos conficiunt. Sunt in vrbe quidam legis ſuæ periti, ex iis iudices & ſcribas creant. Vectigalia externorum hominum publicani aliquot exigunt, eáque in communem vtilitatem impendunt. Arabis propter agros, qui ſunt in planicie, certam penſionem pendunt. Caprarum gregibus abundant, pluriſque in cibis fit hircus aut capra, quàm hœdus: fœminæ colore candido, formáque egregia ſunt: hoc vitio laborant, vt cum peregrinis atque exteris libentius quàm cum ſuis, quoquomodo poſſunt, congrediantur. Ab hac ad Occidentem quatuor M. P. abeſt Alemdina in conualle poſita, quatuor montibus ſepta, idcirco frigidiſſima. ab opificibus, mercatoribus & nobilibus habitatur, mille circiter domos continet. Cum Elmadineis continua bella gerunt. noſtra memoria, ambas haſce vrbes, cuiuſdam mercatoris opera, rex Feſſanorum ſuo adiecit imperio, quod ita factum eſt: Erat in ciuitate Feſſanus quidam mercator, is venuſtam quandam puellam amabat, quam etiam ei pater deſponderat. Quum verò dies nuptiarum veniſſet, ab ciuitatis principe rapta ei ſponſa fuit. Qua re is indignatus, aliud tamen præ ſe ferens, ab eodem principe abeundi poteſtatem accepit, Feſsámque reuerſus eſt: vbi regi rara quædam munera inde allata, donauit: ab eo obnixè flagitans, ſagittarios centum, equites trecentos, pedites quadringentos permitteret, quos omnes ſuis ſumptibus alere volebat. Ipſe verò viciſſim regi pollicebatur, ſe intra paucos dies vrbem capturum, daturúmque ſingulis annis aureûm ſeptem millia, ſiquidem eius nomine vrbem liceret cum finibus retinere. Annuit rex, atque vt ſuam liberalitatem oſtenderet, omnem ipſe ſumptum ſuſcepit, præter baliſtarios, quos mercatori ſuſtendandos reliquit. Adiecit literas, quibus Tedletenſi præfecto mandabat, tot equites totque pedites cum duobus ducibus expediret: eóſque traderet mercatori. His acceptis mercator ad vrbem caſtra poſuit: vixque illam ſex dies obſederat, quum ciues ciuitatis principi, ſe cum Feſſano rege inimicitias ſuſcipere, vlláve damna pati nolle, renunciarunt. Qua re audita, is mutata veſte ex vrbe proficiſcitur: verùm agnitus, & ad mercatorem adductus fuit, à quo catenis vinciri iuſſus eſt. Interea populus vrbem patefecit: eámque regis nomine mercatori tradidit. Puellæ cognati ſe apud mercatorem excuſarunt, ſibi per vim ab illo raptam fuiſſe: eam ipſius eſſe legitimam vxorem, cui primùm deſponſa eſſet. Ea tum vterum geſtabat: quare dum pareret, expectauit mercator: poſt illam denuò ſibi deſponſam duxit. Is autem qui illum rapuerat, tanquam adulter iudicum ſententiis morti addictus eſt: eodémque die lapidibus eſt obrutus. Mercator adminiſtrationem Reip. ſuſcepit: duas inter ſe cõtendentes ciuitates, pace coniunxit: regi quod pròmiſerat, præſtitit. Proxima Tegodaſto ad V. M. P. Elgiumuha vrbs eſt, haud pridem in alto monte inter alios altiſſimos montes à populo Tegodaſtenſi cõdita. Ad quingentas domos habet, totidéq; pagi, qui inter eos mõtes ſunt, numerãt domicilia. Fõtib. exuberat, & hortis omni genere fluctuũ copioſis, ꝑcipuè nucib. maxi-

mis,

mis, altissimisque. In collibus verò qui circa montes sunt, multi patent agri, in quibus hordeum feliciter prouenit, oliuæque multæ. Frequens est ciuitas artificibus, maximè verò coriariis, ephippiorum magistris, fabris: quoniam verò ferri vena ibidem est satis ampla, calceos equinos magna in copia cudunt, omnia opera omnesque suas merces ad ea portant loca, in quibus hæ res non inueniuntur. hæc autem seruis, glasto & certorum animalium, quæ in solitudine degunt, coriis permutant: ex quibus coriis scuta durissima faciut, quas res ipsi pòst Fessam conuehunt, & pannis, telis aliisque quibus vtuntur rebus commutant. Longè hæc vrbs à publica abest via: quo fit, vt si quis externus eò veniat, omnes paruuli & magni ad hominem spectandum accurrant, præsertim si is vestem habeat ipsis inusitatam. Totus populus ab huius vrbis ciuium consilio & nutu pendet. Nam cum inter nobiles ortum dissidium esset, plebsq; neutri parti vellet adhærere vrbe cessit: Tegodasto nobilibus relicto, Elgiumuha condidit. Itaque nunc altera nobilium, ignobilium altera plena est. Antiqua vrbs est Bzoum in altissimo montis iugo, à superiore Occasum versus ad X X. M. P. sita. Sub hanc ad tria milliaria decurrit Quadelabidus amnis. Incolæ omnes mercatores sunt, homines boni & vestitu elegantes: oleum, pannum, coria ad solitudinis regiones mittunt. mons ipse oleum, frumentum, atque omnia fructuum præcipua genera suppeditat. Vuam quandam siccant, colore & sapore mirabili. Ficu abundant alto & magno. Nucum arbores ingentes sunt, adeò vt milui in eis tanquam in loco tutissimo nidificent. nemo enim in eorum cacumen auderet ascendere. Tota illa montis pars, per quam ad flumen descendunt, consita elegantissimis hortis est, qui vsque ad fluminis ripam pertinent.

TEDLA, MAROCHI REGIO VII.

HÆC parua regio triquetram propemodum formam refert, à Septentrione angulum facit Quadelabis amnis in Omnirabim influens: ab Occidente Tenueues mons, ab Oriente, Ommirabis: quæ flumina ab Atlante latè orta, in Septentrionem ita fluunt, vt tandem coniungantur, triangulumque constituant. Tedlæ montes sunt tres, Dedes, Seggemus, & Magran: omnes, vt & reliqui quos suprà in aliis regionibus memorauimus, Atlantis partes. Dedes ab Occasu initium à Magrane habet, atque in Adesanis fines terminatur: à Meridie cum Todgæ planicie, ab Ortu cum Seggemo coniungitur. Algidus & ipse est, fontibus scatens, & nemorosus, patet in longum passuum ad L X X X. M. in huius montis iugo oppidi vetusti vestigia apparent, quod Dedesim appellatum, quidam Punici scriptores tradunt. huius montis incolæ antra quædam humida pro domibus plerique habent: hordeo vescuntur, & caprino lacte, & asinino, quibus solis abundant. in cauernis in quibus animalia stabulantur, nitri est ingens copia: sed inutilis, illis quid sit, prorsus ignaris. Qui casas habent, eas lapidibus aggestis maceriæ modo construunt, lapide tegunt. seminudi tam viri quàm fœminæ incedunt: quod permirum est in tam frigida regione. Apud eos neque sacerdos, neque magistratus, neque mercator, neque artifex: sed summa inertia, nisi quòd per latrocinia, & fraudes vitam agunt: quod cum faciunt, aiunt se vectigal è prætereuntibus capere. in summa, locus nullus in tota Africa est sordidior & nequior. Seggemus autem ab Occasu à Teseuonis finibus ortus, ad Orientem Magranem versus extenditur, vnde Omirabis fluuius erumpit: ad Meridiem verò cum Dedese monte connectitur. Huius montis incolæ è Zanagæ oris olim huc migrasse feruntur: homines bellicosi, quorum arma sunt pila, gladij Turcicorum more recurui, & pugiones. cum Tedleis, quasi ipsi eorum populares non sint, bella continenter gerunt: locique natura tuti, nemini patent. ouium, caprarum, mulorum, & asinorum magni greges passim in monte pascuntur, quibus tamen subinde leones infesti sunt. Plures ferè in eo monte fontes aquas limpidissimas effundentes cernas, quàm domos: quæ vsque adeo sparsæ sunt, vt vix tres quatuórve vno in loco coniunctæ inueniantur. Saggemo aliquanto altior est Magran mons, idcirco perpetuis niuibus candicans. ad Meridiem Farcalam regionem, qua solitudi-

ni coniungitur, ſpectat: ab Occaſu, ab eadem propè ſolitudine incipit, itáque Dedeſis radices ad Orientem terminatur. Pecore abundant, ſic vt vno in loco pabubulo deficiente moram trahere nequeant. Itaque ſuas caſas è corticibus arborum faciunt: easque ſcenis quibuſdam tegunt, & mulis impoſitas circumferunt: nacti verò paſcua, ibi caſas figunt: tamque diu morantur, dum ſufficiunt pabula, hyeme tamen locum non mutant. Tunc enim egreges in ſtabulis admodum depreſſis, arborum fronde contectis noctu continent: ignesque circa, ne frigore rigeant pecora, accendunt: quibus ſæpe flante vento, ſtabula incenduntur, pecoreex celeri fuga: incolumi: niſi in leones lupósque incidant, qui & in hoc monte gregibus ſubinde inſidiantur. Sub Magrane monte, inter Dernam fluuium, & Omirabim in Atlantis latere planicem verſus, ſita eſt Tefza, ab Afris condita: ſic appellata, quòd ex Tiburte lapide muros habet. nam id marmoris genus eorum lingua Tefza vocatur. Frequens admodum eſt oppidum, diuitiisque refertum. In eo præter alios, ſunt ducentæ ferè Iudæorum domus: qui omnes partim mercatores, partim opifices prædiuites ſunt. ibi pallia ſiue penulæ fiunt, qui ab hyberno tempore, quo vtiles ſunt, hybernutij appellantur. Tefzanorum veſtitus ſatis elegans eſt, moréſque conſentanei: prætertim mulierum, quæ vt venuſtate præſtant, ſic etiam ab ornatu commendari cupiunt. Ac quod maximè ciuitatem commendat, ibi ſacerdotes, templa, iudices: fuitque aliquando Reipubl. forma melior, pòſt autem partibus & ſeditionibus diſſoluta eſt. quò autem, quantum malorum afferat Rebuspublicis diſcordia, etiam hoc loco intelligatur, libet rem geſtam paucis deſcribere. Gliſcentibus in partibus odiis, accidit vt quæ pars à potentiore vrbe eiecta erat, à Feſſæ rege, quò in patriam reſtitueretur, auxilia pepeteret: quod ſi facèret, ſe ei ciuitatis dominatum tradituros. Annuit rex eorum poſtulatis: eiſque mille equites leuis armaturæ, item ſagittarios centum, & ſclopetarios (vt hodie vocant) ducentos, equites omnes tradidit. Scripſit præterea rex Arabis quibuſdam ſuis, Zuairis appellatis, qui ad quatuor millia equitũ educere poſſunt, eius factionis ducibus ſi opus eſſet, ſuppetias ferrent. His copiis ducem, fortiſſimum quendam equitem, cui nomen Ezzerango præfecit: qui vt primùm copias ad vrbem adduxit, eam oppugnare cœpit. nam ab aduerſæ factionis ducibus vrbem præſidio munitam reperit: à quibus etiam Arabes vicini, qui Benigheiri appellantur, equitum ad quinque millia euocati fuerant. Hoc vbi vidit regis dux, omiſſa obſidione, cum Arabis confligere ſtatuit: quos omnes tridui ſpacio fudit, atque ita extra vrbem omnia occupauit. Quod cum, qui in vrbe erant, animaduerterent, nec vlla ſpes reliqua eſſet, illico legatos pacem petitum his conditionibus miſerunt: ſe primum ſumptus omnes in ea expeditione factos, regi repoſituros: item tributi nomine aureorum nummûm decem millia quotannis perſoluturos: aduerſam factionem in ciuitatem accepturos, ea tamen lege, vt à Reipubl. adminiſtratione excluderetur. quod cum Feſſanus dux exulibus, qui ſecum erant, renunciaſſet, in hunc illi modum reſponderunt: Nos, imperator, noſtram fortunam atque opportunitatem agnoſcimus. Reſtitue modò nos in vrbem, & tibi aureorum nummûm C. M. ac forſitan etiam plura ſine vllius iniuria, ſinéque vlla direptione, tibi nos daturos eſſe promittimus. Ab aduerſariis enim prædiorum noſtrorum fructus, quos per integrum triennium acceperunt, repetemus: quorum ſumma non minor erit, tribus millibus aureorum nummûm. Adhæc ciuitatis omnem prouentum aureorum ad XX. M. tibi trademus. A Iudæis præterea decem millia vno aut altero anno tributi nomine exigemus. Hæc vbi audiuit Ezzeranghis, iis qui in vrbe erant, reſpondit, regem exulibus auxilia pro ſua virili promiſiſſe: idcirco velle ciuitatis adminiſtrationem penes hos potius, quàm eos qui domi erant, multis de cauſſis, eſſe. Itaque ſi vrbem regi dedere vellent, ipſos incolumes futuros: ſin in ſua perfidia perſtarent, ſe Dei ope, Regíſque felicitate fretum, rationem, qua meritas pœnas darent, initurum. Hæc vbi populus audiuit, in varia eſt ſtudia diuiſus: aliis regem, aliis bellum cupientibus: ita factum eſt, vt inter ſeſe armis decertarent. quod cum per exploratores Ezzeranghis cognouiſſet, illico iuſſit mediũ exercitum de equis de-

ſcendere,

ſcendere, atque ad mœnia ſagittarios, ſclopetarióſque accedere: quo facto trium horarum ſpacio, ſine vulnere, vrbe potitus eſt. nam pars ea quæ regem volebat, globo facto ad vrbis portam vno muro clauſam acceſſit, ac murum diruere intus cœpit: item foris milites regij faciebant, cum nemo in muris eſſet, qui impediret: qui autem in vrbe erant, pugnam, donec porta patefieret, ſuſtinebant. Vrbe capta regis vexilla in mœnibus & foro fixa ſunt: equites circa vrbem, ne quis effugeret, diſcurrere: ac per præconem indictum regis nomine, & ne quis ſiue ciuis quicunque is eſſet, quicquam diriperet, aut cæderet quenquam: qui ſecus faceret, ei capitale eſſet. Ita ciuitas pacata fuit: ac contrariæ partis duces, ad Imperatorem captiui adducti fuerunt: quibus ſignificauit, tamdiu eos fore captiuos, donec regi belli ſumtum vnius menſis (quæ ſumma ad aureorum nummûm XII. M. erat) repræſentaſſent. Quamobrem vxores & propinqui ipſorum, ea ſumma numerata, eos liberarant, quum exules qui cum rege faciebant accedentes, fructus prędiorum ſuorum trium annorum poſtularunt. Sed Ezzeranghis eorum controuerſiam ad iudices reiecit, affirmans, ſe neutri parti ius denegaturum: captiuos tamen per eam noctem in cuſtodia habendos cenſuit. Captiui autem ducis fidem implorabant, qui regiis impenſis repræſentatis, eos liberos fore promiſiſſet. Ad quæ Ezzeranghis, ſe nihil alienum à fide ſua facere reſpondit, quòd eos regis nomine in cuſtodia non retineret: ſed eorum cauſſa, qui ſua bona repetunt. qua de re ex iudicum doctorúmque ſententia eſſet ſtatuendum, quod quidem forſitan illis commodum foret. Poſtridie igitur manè congregatis iudicibus coram regio præfecto, primi captiuorum aduocati, ſe nequaquam inficiari dicere, ſuos aduerſariorum bona poſſediſſe, quorum maiores viginti & amplius annos captiuorum fortunas tenuiſſent. His aduerſæ partis aduocati, reſpondere, eam rem ante centum & quinquaginta annos, aut eo plus extitiſſe, cuius confirmandæ cauſſa neque teſtes, neque vllum monumentum extaret. Huic contrà aduerſarij publicam famam opponere, alij negare, primùm quod quamdiu eas maiores poſſediſſent, ſciri nullo modo poſſet: deinde iure poſſediſſe, quum fama ſit, captiuorum maiores regis Feſſanorum perduelles extitiſſe, idcirco eorum bona ad regium fiſcum redacta. Tunc Ezzeranghis, fictis ad miſericordiam verbis, procuratorem monuit, ne tantopere miſeros captiuos vrgeret. cui procurator: Tibi, inquit, imperator, hi miſeri atque inopes videntur? quorum nemo eſt, qui aureorum nummûm quinquaginta millia reperire non poſſit: qui ſi catenis quibus vincti ſunt, ſoluantur, citò te hinc propulſauerint: quod & antea feciſſent, ni de improuiſo, & nihil tale ſuſpicantes, eos aggreſſus eſſes. Hac oratione audita Ezzeranghis, illicò timuit, & dimiſſo conſilio ſe ad prandium ire velle ſimulauit: mox ad ſe captiuis adduci iuſſis, eis vt aduerſariis ſuis ſatisfacerent, imperauit. Quod ſi non facerent, ſe eos Feſſam ducturum affirmauit, vbi duplum reſtituere cogerentur. Tunc captiui ſuas vxores & matres accerſere, eos orare ei rei proſpicerent: quod tanquam magnarum diuitiarum domini eſſent ab aduerſariis inſimulati, cum ne octauam quidem partem eorum poſſiderent, quæ præfecto regio erant propoſita. Sic intra octauum diem, aduerſariis ipſo præſente imperatore, allata fuit ſumma aureorum nummûm octodecim millia, non quidem in pecunia numerata, ſed in annulis, armillis, inauribus, aliiſque muliebribus ornamentis. nam volebant mulieres videri, ſe nullam prætereà pecuniam habere. Ea ſumma repræſentata, tunc præfectus ſe Regi ea de re ſcripſiſſe, captiuis ſignificauit: ſibique dolere, quòd eos dimittere, niſi priùs accepto reſponſo, non poſſet: bono tamen animo eſſe iubet, futurum vt, quando iam omnibus ſatisfeciſſent, omnino dimitterentur. Eadem nocte præfectus ſuo quodam cōſiliario vocato, eum interrogauit, quonam pacto ab illis proditoribus alia pecunia emungi, ſine perfidiæ nota apud eum populum, poſſet? cui ille: Finge te ab rege literas accepiſſe, quibus tibi, vt capitis ſupplicio afficias, mandatum ſit. Sed eadem opera finge te eorum caſum miſerari, idcirco nolle de eis ſupplicium ſumere: ſed malle te eos Feſſam mittere. Ita literis regiis compoſitis, manè ſtatim præfectus omnes captiuos (erant autem duo & quadraginta) ad ſe adduci iubet,

quibus composito ad miserationem vultu: viri nobiles, inquit, literas ab rege tristi sanè de re accepi: quibus significat, se multo de vobis mala audiuisse, nimirum vos in suam maiestatem deliquisse. quambbrem mandat, vos omnes capitali supplicio afficiā: quod quidem nō sine magno animi dolore accepi. nam videri possim fidem datam non seruare. Verùm alterius potestati sum subiectus, cuius imperium detrectare non licet. Lachrymari miseri ad hæc verba cœperunt, suámque vitam Imperatori commendare: qui & ipse fletum simulans, dicebat se nullam meliorem rationem inuenire, vt se quoque omni eximeret suspicione, quàm vt eos Fessam mitteret: vbi forsitan rex eis ignosceret, aut quod sibi videretur, faceret. iamiam vos cum centum equitibus dimittam. Hic illi flere, seque Deo & Imperatori commendare. Tunc accedens quidam, præfectum est in hunc modum allocutus: Te, Imperator, huc rex misit cum imperio, vt eius vicem obires: quare quod tibi visum æquius fuerit, statuere potes. Meum consilium est, vt quantæ sint eorum facultates inquiras. qui si in bonis habent, quantum ad eorum vitam redimendam satis esse videatur, ad regem scribas, te eis promisisse nihil acerbius in eorum vitam acturum; rogare eius clementiam, eorum vitam tibi velit condonare, eísque ignoscere: simul verò de summa, quantam ipsi pendere valeant, eum certiorem facias. fortè enim flectetur ad misericordiam. Miseri homines Imperatorem orare, id tentaret, se quantum regi videretur, persoluturos, præfectúmque magnis muneribus affecturos. Hic præfectus difficultatem rei prætexere: & simul tamen, quantum regi persoluere possent, sciscitari. Fuêre qui mille aureos nummos, qui quingentos, & qui octingentos pollicerentur: sed præfectus ob tam exiguam summam se ad regem scripturum negauit, præstare eos ad regem mitti, à quo fortassis quod vellent, impetrarent. Illi denuò orare, se Imperatoris fidei commendare, donec eis præfectus diceret: Vos estis quadraginta duo viri nobiles & ditissimi: si mihi aureorum nummûm singuli duo millia promittere vultis, ad regem scribam, & spero me vobis salutem imperaturum: sin hoc renuitis, vos Fessam mittam. Acceperunt illi conditionem ea lege, vt quisque pro facultatibus mulctam persolueret: quibus præfectus annuit. Illi igitur dies quindecim ad eam summam comparandam acceperunt, in quibus præfectus quoque se ad regem scripturum simulauit. Ac diebus duodecim peractis, regem in eius gratiam eis ignoscere renunciauit: atque ad hoc confictas literas ostendit. Qua re audita tridui spacio captiuorum cognati totam summam attulerunt: fuerunt autem auri facti, aureorum nummûm quatuor & octuaginta millia. Hæc summa appensa, miratus est præfectus, in tam parua ciuitate tantam auri vim à duobus & quadraginta viris inueniri posse. Itaque eos è custodia dimisit, ac tum regem reuera de tota re certiorem fecit: simúlque quid porrò faciundum, à rege postulauit. Rex illico duos è suis intimis cum centum equitibus misit, ad aurum accipiendum: qui eo accepto Fessam redierunt. Iidem captiui pòst, equos, seruos, muscum, aliósque odores, quorum omnium pretium ad duo millia aureorum nummûm accedebat, præfecto donarunt, tenuitatem suam excusantes, vtpote quibus nulla esset reliqua pecunia, eíque ob vitam conseruatam gratias egerunt. Sic regio illa in regis Fessanorum ius ditionémque concessit: eámque Ezzeranghis gubernauit, donec proditione ab Arabis interfectus est. Capit rex ab ea singulis annis aureorum nummûm viginti millia. His in hunc modum gestis, cum de cuiusdam in eodem oppido Iudæi opulentia certior factus esset rex, eum comprehendi iussit: eóque omnibus euerso bonis, reliquis Iudæis multam aureorum nummûm L. M. quasi aduersæ parti studuissent, imposuit: vt intelligas inuento homine, regibus extorquendæ pecuniæ caussas nunquam deesse. Vltra Dernam amnem Septentrionem versus, ad radices Atlantis Magranis, inter & Segemum Efza vrbs ab Tefza passuum ad duo millia est posita: quæ domibus constat ferè sexcentis, à Mauris & Iudæis habitata, estque Tefzanis magistratibus subiecta. Ciues omnes opifices sunt: fœminæ tamen operibus è lana factis excellunt, quæstúmque ipse ex lanificio quàm viri, vberiorem faciunt. Liberale hominum genus, atque erga peregrinos humanissimum. Inter colles &

amnem

amnem, hortos habent amœnissimos, omni genere arborum fructiferarum consitos. Ab Efza Occasum versus P. X. M. ab Afris in præalto monte condita fuit Cithiteba, nobilibus viris, equitibúsque admodum frequens. Et quoniam ibi magnus fit penularum numerus, quos hybernutios appellari diximus, magna quoque semper mercatorum eò confluit multitudo. & quanquam in montis vertice perpetuæ rigeant niues, omnes tamen circa oppidum valles, vitibus arboribúsque fructiferis, refertæ sunt: atque hortorum amœnitate iucundæ. Mulieres ibi niueo candore formáque præstant: nisi quòd pinguiores sunt, & vt oculos, sic etiam crines habent nigros. Multò argento aliísque monilibus comptæ ornatæque incedunt. Placidæ sunt, & comes. contrà, viri elati, atque ad iracundiam proni. nam qua tempestate rex Fessanorum Tedla potitus est, nunquam hi sese ei subdere, eiúsque imperata facere voluerunt: sed belli ducem sibi è nobilitate elegere, qui mille leuis armaturæ equitibus eductis, sese regio præfecto opponere ausus est: eúmque afflixit, vt quæ occupauerat, se posse retinere dubitaret: quamobrem fratrem suum cum maioribus copiis misit rex, sed frustra. nam bellum in tertium vsque annum protractum fuit, donec eius populi dux, ab Iudæo quodam regis consilio, veneno est necatus: tunc enim ciuitas deditionem fecit. Extremum Tedlæ oppidum, Occasum versus, Eithiadum vocatur: trecentis ferè domibus constat, in Atlantis cliuo ab Afris veteribus conditum. à parte superiore muro septum est: qua planitiem spectat, pro muro rupes habet asperas ac præcipites: ab Cititheba passus distat XII. M. in eo templum est paruum, sed pulcherrimum. circa templum riuus lympidissimus fluit: totóque oppido plures scaturient fontes, è quibus amnis modicus sub ipsum oppidum fluit: ad cuius ripam horti sunt, suauissimis variísque fructibus referti, præcipuè verò ficu, nuce, olea. Plana loca omne frugum genus ferunt, montana hordeum optimum. pascua lata, in quibus caprarum greges plurimi pascuntur. Viri & fœminæ eodem penè modo, vt de proximis diximus. De Marochensi regno, eiúsque regionibus hactenus.

FINIS.

AD DIVAM ELISABETAM ANGLIÆ REGINÆ, CÆLII SECVNDI CVRIONIS EPIGRAMMA.

DIVA potens, orbis Moderatrix alma Britanni,
Pace colis populos, quæ pietate Deum:
Quæ ingenio atque animis, Celso splendoréque, vincis
Zenobiam, & si quæ clarior ante fuit:
Qui tibi diuinæ mittebam scripta puellæ,
Iam sæui mitto nobile Martis opus.
Dulcibus illa modis si flectere docta nequiuit,
Nunc forsan Phrygio flexerit isto sono.
Nec tamen absurdum est, bello donare puellam.
Ipsa etenim Pallas maxima bella gerit.
Ne tu igitur nostrum quæso, ne despice munus,
Qui colimus nomen Regia Virgo tuum:
Exiguum, fateor: sed si modò suscipis, isto
Felici & magno Numine, maius erit.

AD CAELIVM SECVNDVM CVRIONEM, GVLIELMI CANTERI HEXASTICHON.



Vanta ferox Crispo fertur debere Iugurtha:
Debebit, Cœli, tanta Valetta tibi.
Quantum prisca suum venerantur secula Crispum,
Tantum te nostri, posteritasque colet.
Namque & credetur præstare Valetta Iugurtha:
Nec tu Crispo vsquam cedere visus eris.

CAELII SECVNDI CVRIONIS DE BELLO MELITENSI HISTORIA.



VI de rerum humanarum inconstantia atque imbecillitate queruntur, haud falso id faciunt: quippe qui omnia cum cœlo mutari ac fluere cernant. At non vt eadem cœli facies, siderum situs, motus, interualla, suis temporibus redeunt: sic iidem homines, actiones, artes, imperia, leges: quorum cũ pleraque aut mutata sint, aut prorsus interierint, nulla tamen cum cœli conuersione rediêre. Exemplo sunt Assyrij, Medi, Persę, Ægyptij, Pœni, Græci, Romani. OMNIA TEMPVS MVTAT ET ABSVMIT: iamque altissimis obliuionis tenebris obruisset, ni SOL ALTER iam inde à primis hominibus in terris esset exortus, qui cõtra rerum humanarum inconstantiam niteretur: & caducis fluxisq; rebus quandam immortalitatem conciliaret: quámque cuncti mortales expetunt, felicitatis viam demonstraret. Ea est memoria rerũ humanarum, quam HISTORIAM solemus appellare. Nam cum generi hominum omni sit quidam à natura BONI insitus appetitus, quæ Felicitas dicitur: quidquid agunt, ad id bonum atque ad eam felicitatem referunt. Verum autem bonum, veráque felicitas in ea sita est, vt cum DEO OPT. MAX. coniungamur, eíque quàm simillimi simus: quod quidem ij se assecutos esse dicere poterunt, qui sedatis & pacatis animi cupidinibus, ex virtute atque ex hominis dignitate vitam suam omnem instituerint. Ceterùm, nemo se idipsum verè & absolutè assequi posse existimet, nisi in ea hominum societate vixerit, quæ iure congregata, Ciuitas, Resve publica vocatur. quæ quidem tunc beata dicetur, si tria, è quibus apta felicitas est, ei suppeditauerint: videlicet, vt & sit, & bene, & semper. Quoniam verò duo sunt, in quibus necesse est omnem ciuitatem versari, Pax & Bellum: pace magis quàm bello vitæ beatæ compotes fieri possumus. quippe, bellum omne suscipitur, vt in pace viuatur. tantáque est in hominibus pacis cupido, vt nullos labores, sumtus, pericula defugiant, vt illa potiantnr: & per illam omnia ad vitam necessaria suppetant, benéque & beatè ætatem agant. Ceterùm, Pacem ego eam intelligo, non qua armis positis à bello gerendo cessatur, interim tamen odiis in pectore efferuescentibus: sed quæ in ciuium animis inter se atque erga ceteros est caritate ac beneuolentia constituta. Sed dux ac regina vitæ mortalium Sapientia est: quæ vbi ad felicitatem graditur, abundè potens per se, & clara habetur, Fortunæq; moderatur: quippe quæ probitatem, industriam, ceterasq; artes bonas, & dare, & tueri potest. Ad hanc duplex est omnibus proposita via: quarum alteram Philosophi ac latores legum, alterã Historici nobis muniuêre. illa communibus præceptis, & rationum inductione: hæc factis, euentis, exemplorum varietate, & rebus ipsis nos ad Sapientiam ducit. quæ quidem tanto alteri præstat, quanto pluris facta quàm dicta sunt: quoque facilius abs quouis percipi potest, atque ad animos impellendos aptior

dos aptior eſt. Hanc igitur reges, hanc belli duces, & viri in Repub. principes in primis: hanc ciues, iuueneſq́; ſeneſq́; diuites, pauperes, miſeri, felices amplecti deberent: hac delectari, hanc adamare, ſibique comitem, ſociam, familiarem adiungere: quippe quæ omni ætati, generi, fortunæ ſit aptiſſima: omni genere exemplorum, tam priuatæ quàm publicæ fortunæ refertiſſima Nam cùm quotidie Fortunam, infima, ſumma, media, homines, familias, vrbes, Reſpub. gentes, imperia, regna verſare, mutare, abolere cernamus: ſi quid in rebus humanis eſt, quod ei aliquo modo obuiam ire queat, ſiue de ipſius poteſtate detrahere: ſiue mutata velificatione, quò illa impellit, curſum ſine offenſione tenere: aut hæc, vna hiſtoria poteſt: aut nulla præterea inuenietur ars, quæ bonorum & malorum propoſitis finibus, & exemplis, ad finem optatum poſſit deducere. In hac enim tanquam in nitidiſſimo ſpeculo, ſiue potius ampliſſimo theatro, rerum humanarum curſum, vices, felicium atque infelicium euentorum, prudentiæ ac temeritatis cauſſas, & impulſiones licet cernere: quibus omnibus, niſi prorſus ſtupidi ac ſocordes ſimus, ad ſapientiæ, pacis & felicitatis ſedem manu ducimur: in qua ſumma tranquillitas, omnium rerum expetendarum affluentia, gloria, immortalitas inuenitur. Itaque, cum tanta res ſit rerum geſtarum memoria, tantaſque afferat rebus humanis vtilitates: dedi & ipſe pro mea virili operam, non modò vt in eius lectione verſarer, verùm etiam vt & ab aliis alia lingua conſcriptã, in latinam transferrem, & ipſe quoque hiſtoriam ſciberem. Cæterum in magna rerum geſtarum copia, aliud alii placet. mihi verò, tametſi rebus geſtis parem orationem afferre arduum in primis videtur: hoc quod memoriæ mandandum bellum ſuſcepi, maximè memorabile viſum eſt: de quo, quàm veriſſimè potero, paucis conſcribam.

BEllum, quod Solymanus Turcarum imperator cum Equitibus Hieroſolymitanis in Melita inſula geſſit, ſcribere aggredior: non ſolum quia atrox ancepſque fuit, verùm etiam quòd in eo propugnatorum virtus inſignis enituit: tum etiam, vt quantum arma Chriſtianorum coniuncta poſſint, intelligatur, quæ tantum diſſoluta paruaque valuerunt. Sed prius quàm rei initium facio, pauca de horum Equitum origine, & quo modo in eam inſulam venerint, expediam, quo facilius clariusque omnia cognoſcantur. Qua tempeſtate Chriſtiani nominis Latini pro Hieroſolymis, cæteriſque Syriæ ciuitatibus, aduerſus Sarracenos & Turcas, alias item barbaras gentes, bella gerebant: fuere qui ſe fortunaſque ſuas omnes, pro ſacroſancta Chriſti religione deuouerent. In his fuerunt qui Hieroſolymis domos hoſpitales, peregrinis recipiendis condiderunt: quique tuta itinera à barbarorum incurſionibus ſua virtute præſtare voluerunt, quorum alii Ioannitæ, alii Templarii, alii Teutoni appellati ſunt. Verùm Templariis ante ducentos ferè annos, Philippo Pulchro Galliæ rege adnitente, & Clemente Quinto pontifice Romano damnante, prorſus deletis: Ioannitæ, Teutonique manſere. Sed de Ioannitarum appellatione, quanquam ab ea fama quæ pleroſq; obtinet, diuerſum eſt, qui à Baptiſta Ioanne eos ſic ſe appellaſſe putant: Tyrius tamen antiſtes, qui res eo tempore in Oriente geſtas grauiſſimè ſcripſit, autor eſt: Hoſpitalem domum, cuius ſe cultores Ioannitæ profitentur, ab Amalphitanis, Italis hominibus, qui in Oriente negociabantur Aronis, Ægypti pontificis, quem illi Calypham nominant, tum Hieroſolymam obtinentis, permiſſu inſtitutam fundatamque eſſe: atque ab iiſdem Ioanni cuidam Cyprio, patriarchæ Alexandrino, cui à miſericordia in egenos cognomentum Eleemoni fuerit, conſecratam. Nam qui ad Ioannem Hircanum Machabæum referunt, ii à vetuſtate autoritatem ordini conciliare volunt. Cæterùm fides penes autores [illegible] Illud autem inter omnes ferè conſtat, eam quam nunc geſtant candidam in veſte nigra crucem à Gerardo quodam domus hoſpitalis magiſtro Hieroſolymis accepiſſe: reliqua verò inſtituta, quibus eorum ordo gubernatur, Raimundus Poggius Florentinus, Magiſter Equitum ad Romanæ militiæ exemplum magna cum poteſtate dictus, ſanxit. Nam opibus principum ac populorum liberalitate vehementer auctis, regnum quoddam virtute & legibus mu-

nitum sibi constituêre, nomen & gloriam addidere. Cum autem per ducentos circiter annos in Syria magnis editis facinoribus sacram militiam exercuissent, tandem capta à barbaris Hierosolyma, Ptolemaidem Phœniciæ vrbem se recepere: inde quoq; à Sultano deiecti, magnam de suis ac Templariorum fortunis, simul belli Sacri nomine ingenti auri pondere vndique collecto, armarunt, ornaruntq; classem: ac Rhodum, à Turcis occupatam, recepere: eamq; tenuere, donec ab hoc eodem Solymano ingenti classe diu obsessi, atrociterque oppugnati cum propriis viribus resistere iam nequirent, & Christianorum auxiliis destituerentur, deditionem facere sunt compulsi. Eâ Orientis arce amissa, cùm in Siciliam se contulissent, à Carolo Quinto Imperatore Melitam insulam, anno Christianæ salutis M. D. XXIX. obtinuerunt, in eaq; sedem suam collocarunt, de qua opportunè tum dicam, cum de Solymani in ea oppugnanda consilio & apparatu, quæ necessaria erunt, dixero. Sedibus igitur in Melita collocatis, viribusq; reparatis, non destitere sacri milites Turcarum rationibus quà possent incommodare, maria percurrendo: in omnibus bellis quæ varia aduersus Turcas noster imperator suscepit, suas vires coniungendo: quibus rebus & solita Imperii proferendi cupidine, antiquo in Christianos odio suscitato, Solymanus animo angi, fremere, sacros milites intentus obseruare: moliri, qua ratione eos toto mari pellere, atque exterminare penitùs posset. Itaque quantam posset maximam classem comparare, exornareq; cœpit: suisq; maritimorum locorum præfectis ac regulis, idem ipsi facerent, vtq; ineunte vere præstò forent, imperauit. Cumq; aliquanto post imperata magno ardore properari partim ipsemet inspexisset, partim nunciis accepisset, procerum suorum ducumq; frequenti concilio conuocato, huiuscemodi verba fertur habuisse:

Quod per hosce quadraginta annos semper optaui, vt mihi à cæteris bellis tantum daretur ocii, quo piratas istos Cruciatos, qui se Christianorum propugnacula esse gloriantur, è suis nidulis eiicerem atque extinguerem: id mihi videor hoc tempore, Dei & Muamedis erga nos fauore, consecutus. Nam & Persarum conatus sic repressimus, vt nos impedire nequeant: & in Pannonia, vnde aliqui motus metuendi ferebantur, ea nos ipsi breui agitabimus, quæ hostem nostrum in intimam Germaniam sese abdere, pacemque à nobis petere sint compulsura. Vos ipsi nostrorum hominum ac negociatorum querelas quotidie auditis, quos Melitenses isti non milites, sed prædones, si quando maria illa attingunt, rapiunt & spoliant: quorum iniurias atque alias innumeras nobis illatas, aliquando vlcisci, nos iura omnia diuina & humana compellunt: neque mihi aliquid gratius, iucundius, atque ad nominis nostri gloriam aptius potest contingere, quam si hæc duo, prius quàm naturæ concedam, perfecero, vt & Melitam copiam, & res in Pannonia Sarmatiaque constituam. Nisi fortè quis existimet, nobis difficilius esse, Cruciferos hosce ex Melitensi scopulo deturbare, quàm vel maioribus nostris Hierosolyma totaque Syria, vel nobis ipsis ex insula Rhodo depellere ac propulsare. At hæc propior est Italiæ, vnde auxilia submitti, classeque defendi possit. Mihi credite, nunquam nobiscum mari confligere, qui toties se victos fuisse meminerint, audebunt. Præsidia verò, locus tam angustus, magna nec capere: nec si capiat, alere diutus queat. Ad hanc igitur expeditionem nos classem potentissimam proximo ineunte vere mittere statuimus: & iam vniuersis nauarchis excursoribusque, quicunque nostrum agnoscunt imperium, vti cum suis nauibus instructi adsint, imperauimus. Aderit Algerii rex: Alexandrina sunt in promptu præsidia: Dorgutæ quoque instructa nauigia: nostra, vel me procurante, exornantur. Huic classi cunctas Occidentis vires cessuras non dubitamus: id quod, Dei optimi maximi & Muamedis magni ope, vestraque duces nota exploratoque virtute freti, dicimus. Iam illud modo reliquum est, vt de belli gerendi ratione singuli cogitetis, vestraque consilia ad me referatis. Quod vt melius facere possitis, en vobis totius insulæ situm, munitionumque designationem exhibeo, quam à certissimis & peritissimis accepimus. Audita Solymani oratione, reque diligenter agitata, cum ij quibus Melitæ loca

ratio-

rationésque cognitæ erant, quid sibi expedire videretur, exposuissent; decretum est, vti primo quoque tempore nauigarēt. Commeatibus igitur, aliísque quæ militibus vsui forent, maturè comparatis, ventos morabantur. Hisce de rebus Ioannes Valetta natione Gallus, Melitensis militiæ princeps, Equitúmque magister, & literis & nunciis factus certior (habuit enim Byzantij homines idoneos, qui consilia actionésque Solymani specularentur) nequaquam territus est: sed cogitans à Deo pendêre victoriam, ab hominibus esse vigilandum, agendum, consulendum: Equitum concilium aduocat, paucísque cum eis in hunc modum loquitur: Quid Solymanus paret, nobilissimi ac fortissimi Equites, quantum in nos bellum moliatur, vos ipsi mecum iamdudum intelligitis. Itaque ea de re me longam vobiscum orationem habere, nihil est opus. Notus hostis, nota imperandi libido, notæ vires, notum eius in nos Christianúmque nomen odium sempiternum. In illud potius mihi quisque intendat animum, vt ante omnia Deum nobis conciliemus: deinde, quæ ad bellum opportuna videantur, omnia comparemus. Porro, vt Deum nobis conciliemus, placatúmque reddamus, duo à nobis præstanda sunt, Equites: quorum alterum in vitæ correctione & sanctimonia: alterum, in eius religioso cultu, firmáque præsidij spe & votis est situm, quæ Pietas dicitur. His maiores nostri innumeris aduersus barbaros in Oriente victoriis potiti sunt: nec dubium, quin si nos pariter erimus comparati, huius Tyranni vires, conatúmque simus illusuri. Verùm quoniam vigilantibus & agentibus Deus adesse solet, non stertentibus & ignauis. iis ea præsidia adiungere necesse erit, quæ & nostra professio, & belli postulat ratio, ea verò partim in nobis, partim in Christianis principibus sunt posita. Nam commeatus, stipendia, arma, cæteráq; quę belli vsus poscit, sic parabimus, vt nemo nos aut sumtibus aut labori pepercisse meritò queri possit. Omnia profundā, nec vitæ cupiditate vllū periculum defugiam. Quod ad principes attinet, mihi persuadere nequeo, illos in tanta rei gerendæ occasione, tantóque non modò nostrarum, sed multò magis suarum rerum periculo cessaturos. Equidem singulos hortabor literis, nunciis (quod & iam ex parte fecimus) excitabo. In Pontifice quidē maximo, in Cęsare, atque in Hispaniæ rege, qua sunt pietate, abundè præsidij nos habituros esse, minimè ambigo: hi ceteros commouebunt. Vos autem, huius nostræ sacræ militiæ lumina, & principes, reliquósque fratres nostros, Equites fortissimos, certum habeo, sic pro sacrosancta Christi religione, pro salute, fortunísque omnibus, pro nominis Latini gloria, contra immanissimum tyrannum, omnis veræ religionis, omnis boni moris, artis, disciplinæ euersorem, orbis terrarum pestem, Deo & mortalibus inuisum, dimicaturos, vt nostræ gloriosæ Crucis, quam tantopere contemnit, acumina sit vel in ipsa Byzantij vrbe, in suis illis lustris, sensurus. Neque enim iam in insula Rhodo, procul ab nostrorum auxiliis, ab Asia, ab Europa, ab Ægypto, terra maríque hostibus septi, rem geremus: sed in Italiæ atque Hispaniæ oculis, in locis munitissimis, vnde hostis circumueniri facile poterit. Quod vt fiat, Deum illum Opt. Max. precari atque implorare debemus. Hæc ubi dixisset magnus Equitum Magister: qui aderant omnes, se potius vitam, quàm vt caussæ communi vlla in parte desint, aut in Solymani potestatem veniant, amissuros, vno ore promiserunt. Pòst preces, votaque ad omnia insulæ templa ac delubra decreta: trésque delecti ex Equitum ordine Tribuni: vnus Italus, cognomento Imperator: & Bornæus, natione Gallus: & Quatrius Tarraconensis: viri cauti, & belli in primis gnari, qui quæ bello opportuna censerent, cuncta sedulò pararent. Ab his igitur ædificia suburbana, & arbores, quæ locis munitis impedimento esse possent, deiecta: munitiones inspectæ, confirmata præsidia, commeatuum omnis generis quanta maxima potuit copia distributa, à magno Magistro literæ ad Pontificem & ceteros principes datæ: nuncij in varia loca dimissi, qui cùm alios, tum Equites Melitenses, de toto negotio certiores facerent. Ex his literis vnas ad Pium Quartum Pontificem Maximum perscribam, vt ex iis de aliis æstimetur. harum hoc est exemplum:

Dum totis huius nostrę militię viribus contra Turcicam classem me parare,

ac munire satago, tot res necessarias mihi deesse video, quas nullo queam modo cōparare, vt ni (quæ tua est beatissime Pater, pietas) tuis literis subsidij spem fecisses, & iam auri P. C. vnaque militum cohorte tuis stipendiis conducta, subleuasses, quid mihi agendum foret planè ignorarem. Nam propter complurium annorum Turcicas minas, ad tam immanes sumtus adacti sumus, vt ingenti ære alieno contracto, ac magis & magis indies fœnore aucto, vnde nos explicare possemus, rationem nullam videremus. Illud autem meum animum potissimùm angit, quòd, siue hanc expeditionem suscipiat hostis, siue omittat, cum videamus illum classi instruendæ, & ceteris belli apparatibus continenter operam nauare, nobísque minari, hosce intolerabiles sumtus facere cogimur. existimat enim, quantum importunitatis habet, Christianos vix satis virium, quibus se tueantur, habituros: tantum abest, vt detrimentum aliquod à nobis sibi esse metuendum putet. Quos spiritus ex eo concepit, quòd suæ superbiæ neminem obuiam ire cernit. Ad hoc, certum habet, vel solos Occidui maris prædones, si quidem conspirare libeat, classem multo maiorem, validiorémque habituros ea, quæ superiore anno ab omnibus Christianis tanta cum difficultate coacta est. Optandum tamen, vt ei parem hoc anno videamus. Ceterùm quis nescit, quantumuis paruis, nedum vniuersis Orientis viribus adiunctis, eos multò magis nobis nocere potuisse, atque etiamnum posse, ni Deus eorum Imperatorem tantisper contineret, quo sese colligendi, atque in eos impetum faciendi, Christiani principes tempus haberent? Quoniam autem Dei fauorem parui facere videntur, sic vt nullis detrimentis, nullàque infamia à tam profundo somno excitentur: verendum est ne isti crudelissimo Tyranno ad rabiem suam explendam habenas, nisi iam remisit, remittat ac laxet, sic vt nullæ vires satis ad eam coercendam sint futuræ. Hæc tibi, beatissime Pater, antè prouisa esse, tuúmque inuictum animum, huius sanctæ ac piæ vindictæ desiderio ardere, minimè dubito. itaque, arrogans videri possim qui iisce de reb. disserere apud te ausim, quæ tuæ diuinæ prudētiæ multo sunt notiora quàm mihi. VERVM enim quæ cum oculis cernuntur, multo magis moueant, quàm quæ auribus accipiuntur: ego, cuius ob oculos hæc quotidie versantur, sic afficior, vt tacere nequeam: nec me continere, quin suppliciter ac demissè rogem, non tam huiusce nostræ sacræ militiæ, quæ sese pro Christiana religione deuouere, ac mactari parata semper est (nullum enim mortis genus nostro instituto conuenientius esse potest) quàm totius Reipub. Christianæ nomine: quæ cum in sacro Concilio cogendo omnibus incommodis pro sua tranquillitate spretis, tam pium & paternum in se amorem cognouerit, nunc alium conuentum haud minus necessarium, ad tantas superiorum temporum ruinas instaurandas, & deteriores præcauendas cogat: quæ iam iā impendent, nisi arma in hunc pestiferum serpentem vertantur, vt saltem intra suos fines (quando pro suis eum possidere permittimus) compulsus, tantam Christianorum multitudinem, quantam magna cum Christiani nominis ignominia quotidie rapit, vorare tandem desinat. Nam eò iam suum venenum dilatasse cernimus, vt orbis Christiani terminos, angustos illos quidem complexus, totum ferè inclusum teneat. Nunc igitur domesticis atque intestinis bellis Dei beneficio restinctis, pacéque inter Christianos principes constituta, expergisci nos decet. Nam si quo aduerso fato inter eos noua excitarentur bella, hæc importuna belua nequaquam obdormisceret, sed in nostram omnium perniciem euigilaret. Equidem, Pater beatissime, tua ista pietate atque prudentia fretus singulari, spero te hanc tantam laudis & gloriæ occasionem, qua Deum & homines promereri potes, successoribus tuis minimè relicturum. Hac spe me ipse consolor, quòd sperem fore, vt hanc necessariam expeditionem, priusquam ex hac vita migrem, videam: qua re nihil mihi gratius vel ad gloriam, vel ad felicitatem potest accedere. Quòd si fortè longior quàm par est, & liberior in scribendo fui, tuæ pietatis erit, mihi in summo dolore constituto, veniam dare. Ego verò tuæ Sanctitati, pro ista tua in nostrum ordinem perpetua benignitate, seu pietate potius, gratias ago immortales, agámque dum viuam: Deúmque precor, vti te diu felicissimè conseruet.

Per eos

Per eos dies Garzias Toletanus, qui pro Hispaniæ rege Philippo Siciliam administrabat, regiæque classi præerat, veritus ne Solymani classis per speciem Melitensis expeditionis, Gulettam arcem in Tunetani stagni faucibus sitam peteret, ad eam præsidio atque aliis rebus necessariis confirmandam traiecit: atque ex itinere Melitam accessit, vt cum Melitensis militiæ Magistro de ratione belli ageret. Sed cum accepissent, iam Solymani classem Byzantio soluisse: temporis exiguitate impediti, non tam diu simul, quàm rei grauitas postulasset, esse potuere. Itaque Garzias ad Gulettam profectus, ea confirmata, maturè se in Siciliam recepit: vbi classi & ipse exonerandæ operam dabat. At Solymani classis XXII. die Martij, Anno Christi M.D.LXV. Constantinopoli profectione indicta, postero die è portu profecta, Peloponnesum versus cursum direxit, Methonémq; peruenit. Ibi Mustapha, homo quinque & septuaginta annos natus, terrestrium copiarum ductor, exercitum recensuit. Censa autem ex Asia minore equitum, ex iis qui Spachi dicuntur, millia VII. quibus præerat eiusdem prouinciæ præfectus, cum legatis duobus: ex Cilicia, quingenti: ex Lesbo insula, quæ hodie, ab vrbe quæ ibi est, Mitylenæ dicitur, quadringenti: quibus suæ prouinciæ prætores singuli imperabant. Habuit prętorianorum, quos Ianizeros appellant, millia IIII & D. quos bini ab ipso Solymano delecti Tribuni ductabant: quòd horum præfectus, qui eorũ lingua Aga vocatur, ab vrbe nunquã discedit. Ad hoc, est genus quoddam hominum apud Turcas, qui è templorum fructibus vitã agunt: horum millia tredecim in exercitu fuêre, qui se Byzantij pro lege patria, próq; suo Imperatore deuouerant. Conuenerant ex Thracia & Peloponneso præfecti duo: vnúsque legatus, cum MCC equitibus: cúmque tribus millibus & quingentis ex variis locis, voluntariis. Ibidem quoque Pial rei maritimæ præfectus censum nauium habuit, reperítque triremes centum & triginta, naues onerarias minores vndecim, totidem maiores: præter eam quæ prope Methonem fracta est, in qua fuêre pulueris susphurei cadorum sex millia, pilarum tredecim millia, & spachi sexcenti, è quibus vix ducenti euasere. Decem præterea è Rhodo triremes, sub Haliporti, hominis septuagenarij, imperio: binæ Mityleneæ, Salacho Algerij recens mortui fratre præfecto: itémque biremes, aliæque piratica nauigia circiter septemdecim. Hac valida classe Turcæ die XIII. Maij Methone profecti, XVIII. ad Melitam appulsi, portum cepêre in ea insulæ parte situm, quæ Vulturnum siue Orientem hybernum spectat, incolæ Marzasiroccum appellant. Sed cum se ibi non satis tutos cernerent, in alium locum qui Maiarus appellatur, se recepêre. Nondum Dorguta tum venerat: quem, quia nuntiatum Magistro Equitum fuerat, ad Meningem insulam, quas Gerbas hodie vocant, cum suis nauibus præstò esse, Tunetanóque regi ænea tormenta quatuor, atque alia quædam dono misisse: ac ne se bello cum Christianis gerendo immisceret, sed certo commeatu Turcas iuuaret, pactum fuisse: ob hanc atque alias caussas, aut Gulettam petere Turcæ credebantur: aut hunc rumorem spargere, quo Melitenses improuisò adorirentur. At Magister Equitum, vir acri ingenio, belli haud ignarus, firmissimus contra pericula insidias, hæc atque alia antecapere, consilia hostium atque itinera explorare, in omnem partem intentus vigilare. In militibus autem summa constantia & alacritas erat. Locus postulare videtur, Melitæ situm paucis describere: & ea loca, in quibus res tam magnæ gestæ sunt attingere. Melita insula inter Africam Siciliámque sita, Africæne an Europæ attribuenda, dubium esset, ni veteres eam, & Punica lingua, qua semper vsi sunt, Africæ vendicarent. Hæc à Vulturno in Corum XX. P.M. protensa, lata XII. vbi latior, in angustum paulatim tendens, a meridie Africam qua Syrtis minor, paruáque Leptis: à septẽtrione Siciliam, in Pachinum quàm in Lilybæum pronior, spectat: ambitu P.M.LX. Hanc initio Pœnos habuisse: in ea Battum Cyrenes conditorem, Iarbæ Didonísque tẽporibus regnasse accepimus: quæ postea in Carthaginensium potestate fuit, donec bello Punico secundo victis nauali prælio Carthaginensibus, in Romanorum ditionem venit. qua tempestate fortunati Melitenses existimabantur, propter multarum gentium commercia, & varias artes, & linum xylinon tenuitate, mollitie, candoréque no-

bile: ex quo vestes Melitenses celebratæ. ad hoc, melle optimo diues: vnde nomen traxisse videri possit: & rosa admodum laudata. biferæ arbores, binæ sæpè messes, hordei præsertim, & lini xylini. Ceterùm terra passim lapidosa, salebrosaque, arboribus infœcunda: fert tamen ficum, pomum, amygdalum, vitem, atque alias fructiferas arbores humana diligentia cultas: palmas quoque, sed steriles: carduis grandioribus abundat, quibus incolæ pro lignis vtuntur. Cœlo terráque dulcium aquarum penuria: quos habet fontes, crediderim hybernis imbribus repleri: nam & aquæ semisalsæ sunt, & æstiuo siccantur, sidere: quo etiam incolæ tinguntur, vt non multum ab Æthiopis colore distent: itaque brumæ tempore ibi gignentia omnia lætiora. Genus hominũ salubri corpore, victu tenui, industrium, patiens laborum magis quàm bellicosum: plerosque senectus, non morbus dissoluit. Ædificia, vrbe excepta, quæ in insulæ ferè medio (nisi quod ad meridiem magis accedit) sita, & ipsa Melita dicitur, atque aliquot suburbanis, Numidarum, mapalibus similia, oblonga, humilia ruderibus aut arundine tecta. Melitæos canes, quos ab hac insula quidam putant appellatos, Plinius alteri Melitæ, quæ in Adriano sinu inter Corcyram & Illyricum est, attribuit. Quinetiam, quòd huc Paulum Apostolum naui fracta eiectum fuerunt, videndum est, ne illam Adrianam potius Lucas intellexerit: cum in Adria tum iactarentur, nec cõstet extra eiectos. Illud insuper quod aiunt, videlicet in ea insula malefici generis animal nullum gigni, neque allatum nocere ab eo tempore quo viperam excussit Paulus, huic insulæ à natura datum videri possit, vt & Gaulo, & Galatæ, & Clupeæ, & Balearibus aliisque in eodem mari, & alibi. nam nec Creta vllum noxium animal alit, nec Albion lupum, Hybernia've serpentem, cœli nimirum terræque abhorrente natura. Sed hac de re, vt quisque volet: equidem quæ contra receptam opinionem afferri probabiliter posse videbantur, mihi prætereunda non fuêre. nunc ad rem redeo. Melita, quà Siciliam spectat, multos curuatur in sinus, stationésque nauibus accipiendis accommodatas. portus autem, præter Orientalem, quem Marzasiroccum diximus appellari, prætérque Tomæ stationem, & quæ ab hac non longè distat, nomine Scala, geminos habet, vna peninsula tanquam dorso à Meridie in Septentrionem procurrente, tantum interiecta: quorum alter, qui ab Oriente, litus in Occasum legenti prior occurrit, Maior: alter, Marzamusetus ab incolis dicitur. In peninsulæ fronte arx natura & arte munita, Diuo Helmo sacra, quem nos Hermetem deinceps nominabimus. Maiorem portum ingredienti, ad læuam quatuor occurrunt siue peninsulæ paruæ, siue promontoria, totidémque sinus. In primo sunt furcæ, à quibus etiam nomen habet, damnatorum supplicio destinatæ. In secundi extremo arx est, in præcipiti atque vndique prærupto saxo, munitissima, sancti Angeli nomine appellata. Huic oppidum, fossa tantum & muro disiunctum, cohæret, & ipsum rupe excisa atque excauata situm, mari operibúsque bene munitum: quod Burgum & interdum Nouam vrbem appellat. In arce militiæ princeps habitat: in oppido, milites. In tertio castellum est, quod etiam Burgum vocant, Michaëli sacrum. Quartum incultum, vltra sinuosa terra, vsque ad aquam Marsiam, & mediam peninsulam, quam diximus. Rursum à portu Museto in Occasum tendenti occurrit alia statio potius quàm portus, Diuo Georgio sacra: dein, quæ Benorrat appellatur. Hinc Pauli portus, Orientali haud minor: pòst, Salinarum sinus: & in aduersa litoris parte, qua in Africam vergit, statio Miliaria dicta. Melitæ adiacent aliquot paruæ insulæ: in his præcipua Gaulus, quam quidam Cosyram esse volunt: hodie Gozo vocatur, ambitu P. M. XXX. patet: à Melita Occasum versus quinque intercurrente freto, abest. Hæc anno salutis M. D. L I. à Turcis capta vastatáque fuit, sex millibus inde mortalium in seruitutem abductis: quo etiam tempore Tripolis in Africa, olim Leptis magna, iisdem militibus est ademta. Inter hanc & Melitæ latus Occidentale, binæ angusto freto inter se disiunctæ iacent, Cuminiæ appellatæ. Est & ad Euronotum insula parua, Piper modò dicta: quæ omnes Melitensis militiæ principi parent, reliqua pleraque mari sæuo & rupibus altissimis septa. De Melita, & eius incolis, ad rem præsentem cognoscendam satis dictum

est. Iam,

est. Iam, quibus copiis fretus Valeta Equitum Magister, Turcicam classem expectaret, dicendum. Primum omnium, in insula erant mille trecenti milites stipendia facientes: è quibus mille, pars Hispani, pars Galli & Hetrusci: reliqui Neapolitani. mille item socij nauales ex Equitum classe, & quingenti in Angeli oppido: incolarum verò ad quinq; millia, qui se ex agris eò receperāt, rei bellicæ haud imperiti. Quingenti præterea sacræ militiæ Equites, præter sacerdotes & armigeros. Nam tria hæc genera sunt eorum, qui Fratres in hoc ordine dicuntur. Hic numerus est eorum qui arces & oppida Hermetis, Angeli, Michaelis tuebantur, in quamque pro rata portione distributi. In vrbe autem ipsa, quæ Melita (vt dixi) vocatur, ducenti erant impositi milites, ac totidem ciues, & quadringenti ex tota insula delecti: equis merentes trecenti. Huic omni præsidio, Ioannes Vagno à Moncalerio, nobili in Taurinis oppido, imperabat. Ad hoc commeatus affatim, arma, tela, & cætera quæ diuturnæ obsidioni, belloque multarum rerum egenti vsui esse solent: & quod in his omnibus maximum est, aduersus omnem fortunam INVICTVS animus, qui ex victis sæpenumero victores facit. Itaque his rebus omnibus paratis, compositisque, cum accepissent, Barbarorum triremes viginti septem portum Marzasiroccum occupasse, & milites exposuisse: Gyon Ioannitarum classis præfectus, vir impiger & fortis, cum sclopetariis quinquaginta, hosti obuiam it, quò eum in aperta loca eliceret: verùm illi eis conspectis, sese ad naues illico recepêre. Ab altera autem parte, vbi classis maior erat pars, ducenti è nauibus emissi, obuiam habuerunt Riueriam Gallum, cum octo aliis equitibus: qui, interfecto equo, & vno ex sociis amisso, in manus hostium venit. Dum hæc geruntur, nauta quidam Christianus è portu Vulturni in vrbē Melitam profugit: qui hostiū consilia patefecit. aiebat enim, eos de Mustaphæ sententia plures in terram copias cum æneis tormētis exponere decreuisse, locaq; munita obsidione cingere: verùm ei rei Pialem classis præfectum reclamare, querique se in apertum exitium missum: cum vix octo Ianizerorum millia, & decem Spachorum haberet: reliquos, præter socios nauales, imbellem turbam esse. se quidem nihil incœpturum, donec Dorguta, qui in horas expectabatur, venisset: tunc Hermetis arcem oppugnandam. Iusserat enim Solymanus, ne quid Dorguta inconsulto agitarent: tanta erat in barbaro rege de Dorgutæ in rebus bellicis peritia & virtute opinio. Siue igitur hæc vera, siue ficta erant: barbari tamen vniuersa classe ad eum quem dixi, Vulturni portum conuersa, viginti millia militum exposuêre: quinque campestria tormenta è nauibus extraxêre: castra aggere & fossa muniêre: locus Azorbar Melitensium lingua vocatur. Hoc facto, Pial ipse cum septem millibus, Michaelis castellum speculatum procedit, qua parte Catarinæ fanum est situm: quanquam propius accedere nō est ausus, propterea quòd tormentis ex oppido peterentur. Certatum nihilominus satis acriter à Melitensibus, qua in pugna Curfelinius, cognomento Prada, vno comitatus Hispano, tanta se virtute in hostem immisit, vt signum vnum auferret, & Sangiacum quendam cum aliquot aliis occideret: itaque Turcæ in castra rediêre, vbi inter principes deliberatum, Hermetisne arcem, an oppidum Michaëlis oppugnare præstaret: decretúmque, Hermetis arcem totis viribus oppugnandam esse. Sed cum prius in montem, vnde arcem speculari possent, conscendissent, leue prælium commissum, in quo vtrinque pauci desiderati. Rebus sic paulatim incalescentibus, cogitauit Melitensiū princeps, de iis quæ gererentur, Toletanum Siciliæ prætorem, quo maturius classem exornaret, esse certiorem faciendum. Itaque triremem vnam noctu è portu soluere iubet, atque in Siciliam contendere, quæ Saluagum equitem cum mandatis veheret. Interea Turcæ vallum ad Hermetis arcem tormentis verberandam extruunt: vtque naues affligerent, quæ in portu maiore stabant, sicque suis in portum prorumpendi aditum patefacerent. At non diu ea munitione vti valuêre. nam vix opus perfecerant, cum crebris ab arce fulminibus corrupta ac deiecta fuit: quæ res barbarorum audaciam nonnihil repressit. Interea Ochial cum sex nauibus è præsidio Alexandrino deductis, in quibus nongenti milites, ad has Turcarum copias accessit. Itaque Turcę vallum alterum loco

eminentiore construere, eò tria magna tormenta comportare, quibus non modò portum, in quo Melitensium naues erant, sed & ipsam Angeli arcem, Principis sedem, infestam reddebant: atque in hunc modum propius arcem Hermetis fossa & aggere acto accedere. quanquam primò id frustrà conati, quòd ab iis qui in arce erant, impedirentur: tamen pòst summis laboribus & industria perfecêre. nam Turcæ in eo genere mortalibus ceteris præstant. Quamobrem breui in eum locum tormenta, vnde arcem & Michaëlis castellum percutere instituerant, collocauêre. Erat Hispanus quidam nobili genere, in Turcarum castris seruus. is cum, vt fit, consilia hostium quædam cognouisset, de iis per quendam Christianum perfugam, Valetam principem certiorem fecit. Eo audito, Valeta ex inopia binas cohortes Hispanorum in Hermetis arcem ire illico iubet: quas Cerda atque Miranda duxêre. Hi magno arci pòst præsidio, & hosti detrimento fuêre. Venit & Torcuta Leptitanorum præfectus, cum nauibus tredecim, & militibus mille sexcentis. Hunc sequutæ biremes decem: Hippone, quæ nunc Bona dicitur, atque Meninge, militum cohortes binas deportarunt. Interea Saluagus Genuensis, militiæ sacræ Eques, vir impiger, quem suprà ad Toletanum in Siciliam missum duximus, Messanam peruenit: is vbi de rebus Melitensium Toletanum certiorem fecit, celoce Melitam redire iussus est: quem præsidij gratia binæ triremes, vna qua vectus fuerat Cornissone præfecto, altera Santalo, ambæ sacræ militiæ principis, haud procul à Melita comitatæ, mox in Siciliam rediere. is autem, non tamen sine præsenti periculo, per medios hostes, vno è suis amisso, in oppidum sese tertia noctis vigilia immisit. Iam Turcæ mutato consilio, quo tum Hermetis arcem, tum Michaelis castellum oppugnare decreuerant, ad aquam Marsæ (fontis nomen est) castra fecerant: quæ res difficiliorem ingressum Saluago fecit. Expositis igitur quæ à Toletano haberet mandatis, eadem nocte in Siciliam à Magistro equitum est remissus, vt ei nunciaret maioribus esse opus copiis: proinde vnam aut alteram cohortem delectorum militum quamprimùm mitteret, quò se aduersus tanti hostis vim tueri posset. Saluagus nullis laboribus aut periculis territus, properè se mari committit: ac breui in Syracusanum portum delatus. binas illas triremes, quarum paulò antè mentionem feci, nactus, Melitam, vti præceptum erat, cum quadringentis militibus, in quibus nō pauci sacri Equites, mittit: addit & maiorum tormentorum peritos aliquot: ac ne quid sui muneris prætermitteret, occiduam Melitæ partem, vbi ab hoste conspici possent, vitarent: orientalem longiore quidem circa insulam ambitu, sed tutiorem tenerent, docuit: inde in Austrum flectentes, ad litus quod Miliare dicitur, naues appellerent: inde militem per depressos insulæ locos, noctu Melitam vrbem, quæ ab eo loco quater mille passus abest, ducere properarent: vnde in Michaelis castellum facile transire possent. His dictis, ipse Messanam contendit: ibi Toletano belli grauitatem, & defensorum paucitatem exponit: mille saltem peditos petit: quibus vnà cum iis quos iam misisset, existimaret obsidionem tantisper posse sustineri, donec is tota classe laborantibus subueniret. Dum autem hæc comparantur, quæ difficulter & tardè, nostris principibus tanto periculo indormientibus perfici poterant: die tertia Iunij mensis, qui dies sacer Hermeti erat, Turcæ repentè arcem Hermetis expugnare sunt aggressi, rati se eam partem quæ aggeri arcis vicina erat, breuioribus scalis posse superare. At nostri, in fossa munimento antea destituta, per quod hostem à latere propellerent lignorum fascibus, ac terra vallum satis firmum & amplum construxerunt, è quo, arce quoque iuuante, acriter resistere: fossam hostium cadaueribus replere: barbari multitudine, qua magis quàm virtute victores esse solent, vrgere: donec vi vallum etsi serò, obtinuêre. quo facto, tota illa parte fossæ potiti sunt, quæ portum Musetum spectat: quo in loco mira celeritate sese, ne à nostris lædi possent, aggere muniêre: qua in re plurimùm, tormentis in altera Marzamuseti fronte collocatis, iuuabantur. eis enim tota illa pars defensoribus nudabatur: angulus propugnaculi deprimebatur: ipsiúsque aggeris frons concutiebatur: cuius altitudo magnitudóque hosti molesta, nostris quoque parum

commoda

commoda erat, quòd latera caua, quibus defenderetur, non haberet. Quoniam verò nox imminebat, barbari numero ad quinque millia (nam qui impetum fecerant, fuêre circiter nouem millia) ibidem mansere. quamobrem Christiani in arcem sese recipere, locumque eum hostibus relinquere coacti sunt: qui noctis tenebris tuti, saccis tomento & terra fartis, eam fossam implere, quæ aggeri suberat, vt minus latam, minusque profundam tentarunt. In ea oppugnatione, ex barbaris supra octingentos cæsi, partim Ianizeri, partim Spachi: præter saucios non paucos, quorum bona pars in fossis semianimis remansit. nam ea pars quæ ab eis repleta fuerat, ipsisque & nostris descensum in fossam prohibebat: quòd nullus ad eam aditus, præter eum qui in aggeris erat fronte, pateret quamobrem vulneratos eo in loco perire, quòd eis nullo modo subueniri posset, necesse fuit. E nostris in primo congressu circiter quinque & quadraginta sunt desiderati: inter quos sacri equites Guardampes Aruernus, Masius Narbonensis tribunus, eiúsque frater, Contilia Hispanus, Somaia Florentinus, Neinecúsque Germanus. vulnerati aliquot, in quibus Motta centurio, qui pòst in arce ex eo vulnere mortuus est. Eadem nocte Magister equitum nouo subsidio opus esse, vti par erat, ratus, ducentos milites, & vnà equites è suis ducentos in arcem submisit: qui si plures fuissent, vnà cum quadringentis, qui ibi erant, forsitan barbaros à muro & vallo propellere, locúmque diutius tueri potuissent: sed quia militum inopia laborabat Militiæ princeps, idcirco Saluagum in Siciliam emiserat, vt antè dictum est, quò ad se quingentos saltem milites mittere omnino conaretur. Interea ipse intrepidus expectare: nullum laborem aut periculum defugere: interdum principum Christianorum infelicitatem secum deplorare, quorum socordia barbari hostis debellandi occasio tam ostentata, negligeretur. Vehementer autem mirabatur, sibi auxilia nulla submitti: binas præsertim suas triremes, quas à Saluago properè missas antè diximus, verùm illæ nauicularij culpa cursum, vti erant iussæ, non tenuerant. Primùm enim cum vitare occasum, atque in ortum inflectere deberent, in occasum Gaulónque deflexere: nauiculario affirmante se aliquot biremes ad Miliaris custodiam hærentes vidisse: quæ vti post cognitum est, nullæ fuere. Sed is METV, QVO egregia sæpenumero consilia corrumpuntur, progredi non est ausus: quo factum, vt Melitensis princeps tam necessario subsidio caruerit. Quæ quidem res cùm Toletano & aliis, tum verò maximè Saluago ipsi, molestissima accidit. videbat enim fore, si barbari Hermetis arcem, id est Melitæ propugnaculum occuparent, vti reliqua loca in magnum discrimen adducerentur, omnísque ad subueniendum aditus intercluderetur. Posse autem capi, ex eo liquere: quòd iam & propugnaculum vnum occupassent, & locum sanè angustum vndique ferè obsessum à fronte atque à latere acriter oppugnarent. Hæc atque alia peritis viris cogitantibus, animum angebant: præsertim cum viderent, tam negligenter auxilia comparari. Interea tamen Romæ milites scribebantur Pij Quarti Pontificis iussu, qui Melitam mitterentur: qui vt sui quoque exemplo reliquos principes ad ferendam Sacræ militiæ opem excitaret, Cambiano eius ordinis legato, auri libras centum appendi: puluerem sulphureum, atque alia in belli vsum necessaria, ab Angelica arce depromi iussit: ne quid, quod quidem à se præstari posset, desiderari posse videretur. Militibus, qui sexcenti erant, Pompeium Columnam præficit, & cũ eo Camillum Medicem legatum proficisci iubet. Hanc cohortem multi voluntarij, vt sese tam pio bello deuouerent, nomenq; celebrarent suum, secuti sunt, tanto animi ardore, vt quæuis parua mora annus videretur. Neapolim igitur profecti, ibi Ioan. Andream Auriam cũ nauibus longis vndecim: Populoniç regulũ cum nouem. Lainicium Prouanam Taurinensium & Sebusianorũ ducis cum tribus, totidemq; aliis priuatorũ quorumdam sumptib. exornatis, nacti sunt. In has naueis, qui Roma venerãt, pedites omnes recepti, Messanã, vbi regia classis exornabatur, transuecti fuere. Dum hæc Christiani haud satis pro magnitudine periculi nauiter moliuntur, Turcæ eius rei non ignari, ante omnia experiri, quàm Christianorum vires augerentur, constituunt. nam Hermetis arce capta, reliqua

ſibi faciliora promittere. Primùm, portum Muſetum in ſuam poteſtatem fore: vbi claſſem tutò habere, quamdiu videretur, poſſent. Locum verò in er duos portus tum ad Michaelis oppidum oppugnandum, tum ad prohibendum ne quis in portum maiorem intraret, néve ex eo emitteretur opportunum. Hęc igitur atq; alia ſecum reputantes, arcem Hermetis fulminibus crebris verberare incipiunt: quod per quatuor continuos dies facere non deſtitêre. Nocte inſequente repentè magna vi murum aggrediuntur, & iam ſcalis aggreſſi, propè ſumma ceperāt: cum noſtri, quaſi nil cuperent quàm prælium manibus facere, tanta virtute eos deijciunt, vt nunquam pòſt niſi extremo congreſſu, ſcalas admouere ſint auſi. Dum hæc in hac parte geruntur, Dorgutini milites ad Marſiam ſcalam (id parui ſinus inter furcas & Tomæ ſtationem nomen eſt) ſuperbia quadam elati, quaſi ceteris præſtantiores, ſe contulerunt. Quod noſtri videntes, quo barbaram audaciam reprimerent, ex Angeli oppido egreſſi, ita eos excepêre, vt eorum non paucis cæſis, reliquos, vnde venerant, extemplò redire coegerint. Ex noſtris Bonnemius Gallus Sacræ militiæ Eques, cum ſeptem aliis, deſiderati. Eodem tempore Monſerratus in arcem Hermetis eſt miſſus, qui ei arci Broliæ loco præeſſet: quòd is ex vigiliis & labore in defendenda arce ſuſceptis, in lethalem morbum inciderat. Antea Magiſtro equitum ſæpenumero ſcripſerat idem Brolia, eam arcem omni ratione munitam atq; inſtructam eſſe, ſic vt nullo modo fieri poſſe cenſeret, vt in hoſtium poteſtatem veniret: Equitibusque atque aliis qui in ea erant, tantum ſuis verbis ac virtute animi addiderat, vt ſupra humanas vires & fidem dimicarent. Nec Turcæ, quanquam tanta cum clade reiecti, animos demittere: ceterùm maiore quàm antea conatu, arcem tormentis dies aliquot quatere: mox omni genere telorum & machinarum muros aggredi. nam & pontem è nauium antennis, ea latitudine, vt decem viros pariter incedentes caperet, ſupra foſſam iecerant; quaterque mille ſclopetarios circa foſſam diſpoſuerant: & claſſem omnem ad Georgij littus, haud procul ab arce, appulerant: cúmq; eam dies octodecim æneis tormentis, tredecim millibus contortis globis laceraſſent, ac iamiam ſeſe arce potituros ſperarent: ecce tibi Baragamus Cantaber, eques Melitenſis ambimanu correpto gladio, Medranusque centurio Hiſpanus, cum aliquot aliis fortiſſimis viris, ad pontem accurrunt, ac ſumma cum omnium admiratione Turcis ſeſe opponunt. Res cominus magna vi vtrinque geritur. & iam vnus ſignum Turcicũ in propugnaculum extulerat: quem dum Medranus comprehenſum tenet, isque ſeſe explicare nititur, vterque glande à barbaris emiſſa concidit. Quo tempore magno adiumento fuêre trecenti illi quos paulo antè ab equitum magiſtro miſſos diximus: quippe, ſimul ac videre rem in tantum eſſe adductam diſcrimen, pars cadis puluere incendiario plenis ponti ſubijcere, alij picem ſulphure ac tæda miſtam ardenti in pontem mittere: alij in proximos ſaxa voluere, omnis generis tela ingerere, pars eminus ſclopetis hoſtem propellere. ita pons exuſtus, cuius ruina ad octingentos Turcas oppreſſit: ceteri quoquo modo potuere, pauci integri, magna pars vulneribus confecti, recedunt: noſtri duo vexilla iam in ipſis murorum pinnis infixa, quorum alterum Muſtaphinorum, Dogurtinorum alterum erat, refixere. At in altera parte, quæ ad Libonotum vergit, iam Turcarum manipulus aggeris editioris ſumma occuparat: quos qui in Angelica erant arce videntes, illico tormento ſe eos deiecturos rati, ſeptem è noſtris arcis propugnatoribus in eodem aggere (errore vt fit, cum vltrò citroque homines mouentur) interficiunt. Sed errorem maiore contorta pila corrigere volentes, quatuor Turcarum præfectos, cum duodecim audaciſſimis militibus diſcerpunt. Dum hic ſummis viribus pugnatur, iam barbari foſſas ad eam Hermetis partem, quæ Angeli arcem ſpectat, egerant: ſed noſtri teſtis ſulphure & pice accenſis, eos citò diſcedere coegerunt. In hunc modum barbari ab omni parte fortiter repulſi in caſtra rediere. Ex barbaris in hac pugna cecidere circiter duo millia: ex noſtris ferè centum ac totidem vulnerati. Eodem die Valeta magiſter Equitum, cum portum Muſetum à barbaris non tam arctè cuſtodiri cerneret, propere celocem ex portu ad Marſiam ſcalam transferri per terram iubet, quo illinc in Siciliam

traijciat.

traijciat. nam quanto in periculo Hermetis arx esset vti par erat, secum reputans de eo, ac de iis quæ gesta erant, Toletanum Pontificemque per literas certiores facit, eosque ad auxilia maturanda hortatur. Quas ad Toletanum dedit, earum exemplum infrà scriptum est: nam quas ad Pontificem quod eodem modo ferè habeant, omittendas censui.

GARZIÆ TOLETANO SICILIÆ PROREGI, CLASSISQVE PRÆfecto, Salutem.

Ab eo tempore quo Saluagum misi, binas ad te literas dedi, perque Melitam vrbem in Gaulon perferendas curaui: quæ vtinam in tuas peruenerint manus. Pòst, cum nulli neque nuncij neque literæ à vobis apparerent, hominem cum mandatis Messanam properare iusseram: qui cum noctes aliquot exire tentasset, ac tandem exiuisset, vixque duûm millium spacium confecisset, barbaros ad se versum cursu tendentes videt: quos vt effugerent, extemplò ad terram nauim appellere coacti sunt: literísque in mare abiectis, relictóque nauigio, ipsi incolumes euasere. Iam cum Turcæ classem è Vulturni portu deduxerint, quantum referat te de iis quæ geruntur certiorem fieri, mecum ipse cogitans, iussi celocem ad Marsiam scalam deferri. nam cum classis Turcica in alteram insulæ partem transierit, sine impedimento epistolam ad te breui peruenturam spero. Quæ autem te scire velim, hæc sunt. Decimaquinta huius mensis, hostium classis vniuersa hunc portum sub noctem præteruecta est. nox obstitit, quo minus eius debilitatem, dum remulco triremes penè inermes & claudæ vix traherentur prospiceremus. Aquæ inopia potissimùm, eos è Vulturni portu discedere coëgit, ac fortè metus etiam istius vestræ classis: quippe qui, sicut accepi, intellexerint, in Messanę portu centum quinquaginta naues in ancoris esse. qua etiam de caussa se in Pauli portum non receperunt: sed naues quidem supra portum Musetum, triremium verò bonam partem ad Georgij, quo terrestribus copiis propiores sint, collocarunt. quanquam non est ea vicinitas tanta, quin si vestra classis improuisa adsit, eadem trepidatione sese ad naues sint recepturi, ac si abessent longius. Ad Vulturnum, nemo iam apparet: prima enim castra ad Catharinæ & Ioannis, villis omnibus incensis, reliquerunt. nunc classem, vbi dixi habent, exercitum ad Hermetis arcem: quam Deus adhuc seruauit, atque (vt spero) seruabit. quod quidem vel ex eo sperandum est, quod hesterno die factum est: quo quatuor horarum acerrimam oppugnationem, Dei ope freti nostri fortissimi milites etiam ponte à barbaris in ea parte quę Corum spectat, ad Museti portũ iacto, fortissimè sustinuerunt: hostémque quater aggressum, magno ipsius detrimento repulerunt: non sine tamen aliqua nostrorum iactura: inter quos Medranus centurio, magno meo cum dolore occubuit. Hac victoria nostri vsque adeò sunt confirmati, vt sperem arcem in aduentum tuum posse defendi: præsertim cum hostes multum de pristino illo eiaculandi ardore remiserint. Quòd si aliquot militum manipulis, aut saltem nostris istis geminis triremib. adiutus essem, nunquam existimarem hanc arcem nobis eripi posse: pro cuius defensione, dum auxilia in horas expecto, quidquid militum aliarúmque bellicarum rerum habui, consumpsi. Constitutum est, vel si moriendum nobis omnibus sit, eò nos tuo fretos auxilio conferre, quem confidimus nostram omnium salutem, quæ pietas virtúsque tua est, minimè neglecturum: sed periculo, in quo nos fore necesse est, si opem distuleris, cognito, te aliquot militum manipulos nulla interposita mora omnino missurum, præsertim in tanta mittendi facilitate. nam cum Turcæ ab orientali insulæ parte discesserint, milites nostri ad Saxa nigra exponi possunt. In tua manu, nostra est sita salus: in eadem, post Deum, spes omnis reposita. Te igitur, ne nos deseras, vehementer oro, tuæque fidei ac pietati omnia committo. Vale, ex Melita, die XVII. Iunij.

His literis acceptis, cognitoq; obsessæ arcis periculo, Toletanus vehementer est (quemadmodum debuit) commotus: seq; classem vniuersam in barbaros edu-

cendi cupidine teneri oſtendebat. verùm, quòd ab Liguria Hiſpaniaque nondum ſupplementa nauium veniſſent, nec ſine illis prælij fortunam periclitari conſilium eſſet, placuit, Ioannem Cardonam cum quatuor nauibus longis, in quibus duæ Melitenſium equitum, properè mittere. Cardonæ Robleſem, caſtrorum magiſtrum, cum delecta Hiſpanorum militum cohorte, adiunxit. Vnà quoque equites Melitenſes ad octoginta, qui Meſſanæ traiiciendi occaſionem operiebantur, profecti ſunt: in his ex Ioannitarum proceribus erant, Pariſotus Magni Magiſtri nepos: Vincentius Caraffa: Boninſegna & Maldonatus, ambo Hiſpani: Centius Aquitanus, atque aliquot alij. qui etſi tempeſtate aliiſque rebus impediti, ſerò (vt pòſt dicam) in Melitam peruenerunt, magno tamen adiumento fuere: qui ſi ante Hermetem captum affuiſſent, forſitan potuiſſet conſeruari. Meſſana, die XII. Iunij, quatuor hæ naues ſoluerant. At barbari haud pluris tot ſuorum ſtragem facientes, quàm pecudum, obſtinatis animis pugnam redintegrare, extremaque omnia experiri conſtituunt. Ac primùm æneis machinis horrenda in arcem fulmina noctes atque dies iaculari pòſt vndique quà muri deiecti fuerant impetum facere, tanta multitudine oppugnantium & vi, vt ni omnem iam terrorem vera propugnatorum virtus, ſpeſque immortalitatis, è pectoribus eorum excuſſiſſet, res ipſa fugam aut deditionem extorſiſſet. Grauis fuit illa vtrinque pugna: & ni vtrique obfirmati eſſent, illi ad expugnandam arcem, hi ad propugnandam, ea dies finem pugnandi feciſſet. Quinque horas pugnatum acerrimè, ac tandem Turcæ virtute noſtrorum repulſi, pedem referunt: nec tamen ſecutam noctem quietam agunt: ſed tormentis ita arcem defenſoribus nudari ſatagunt, vt noſtri vix impedire poſſent, quo minus ſcalis aſcenſum tentarent: quod ne facere tunc auderent à noſtris ſummo conatu proſpectum eſt. Ex noſtris ducenti eo conflictu deſiderati fuere, ex barbaris innumerabiles: ipſeque Dorguta, dum & ducis & militis fortiſſimi obit munera, ſaxo caput percuſſus, biduo pòſt vitam amiſit. corpus eius Leptim honorificè delatum. Hac noſtrorum virtute, ac facinoribus ſuorumque clade Turcarum duces magis efferati, claſſe vniuerſa in vnum collecta, Hermetis arcem corona circumuenire iubent, ibique conſiſtere eo conſilio, vt eam terra marique totis copiis extremùm oppugnarent: nec nouos ſubinde milites, alios aliis ſubmittere deſiſterent, donec arce potirentur. Itaque pontes, ſcalæ, machinæ, arma, tela, alia quæ expugnationi vſui eſſent, magno ſtudio comparantur. Hæc cum Valeta ex arce Angelica cerneret, veritus, vt par erat, ne arx diutius ferre tantum furorem poſſet, biduo quàm barbari extremum impetum facerent, concilium cogit. Quanto in periculo ſint, qui Hermetis arcem defendant, omnes ſecum videre dicit: nec ſe dubitare, quin pro ſua pietate ſinguli, commilitonum ſuorum, aliorúmque militum clade & periculis perinde commoueantur, ac ſuis: conſilium dent hortatur, quid ad illorum ſalutem faciendum putent: ita tamen, vt nihil à ſolita ſacroſanctæ militiæ virtute, exiſtimationéque alienum ſtatuatur. His auditis, breues ſunt dictæ ſententiæ: decretúmque, quoniam arx teneri vltrà non poſſet, vti eorum qui in ea erant ſaluti conſulatur. ad quod quidem efficiendum, duodecim nauiculæ mitterentur, quibus, qui in arce erant exportari poſſent. Itaque tres Equites ſunt delecti, qui eò nocte inſequente maturarent: quid conſilio videretur nunciarent: arcem quo in ſtatu eſſet, diligenter inſpicerent. Quod ſi exiſtimarent propugnatores, arcem eſſe deſerendam: aquam veneno corrumperent: & tormenta, ne quis pòſt eorum eſſet vſus, clauis configerent. Eò igitur profecti delecti viri, Medina Hiſpanus, Rocca Gallus, & Conſtantinus Caſtriotus Italus, nec ſine vitæ præſenti periculo (quippe ſclopetorum glandibus à barbaris appetiti) militibus præſidiariis Magiſtri & reliquorum ſententiam expoſuerunt. Illi primùm omnium gratias agunt Magiſtro & reliquis, pro eo quòd de ſua omnium ſalute tam ſolicitè agant. Deinde, quod ad arcem attinet, eam quidem, ſi eius anguſtiam, defenſorum paucitatem, & hoſtium multitudinem ſpectare velint, in magno periculo verſari: ſiquidem barbari tanta pertinacia, ſæpius pugnam iterare ſtatuant. Sed quoniam adhuc Dei opem tam præſentem ſenſerant, qui ipſos aduerſus tantam rabiem tutatus eſſet,

tus esset, tum quòd nullius rei quæ ad defensionem pertineret, indigerent: ac denique quòd hanc prouinciam sibi à Magistro depoposcissent: etsi citra vitæ suæ discrimen scirent se eam tueri non posse, se nolle tantam ac talem rei bene gerendæ occasionem, quæ fortè nunquam pòst futura sit, negligere. Itaque statuisse, hunc spiritum pro Dei gloria, proque sua religione profundere. VITÆ huius breuem esse cursum, gloriæ sempiternum: cumque esset omnibus definita mors, optandum, vt vita, quæ necessitati deberetur, Deo Reique publicæ potius donata, quàm reseruata naturæ videretur. Quod si contingat, se effecturos, ne barbarus hostis vlla voluptate læticiàve afficiatur, quæ non plurimo ei suorum sanguine steterit. Hæc Magistro renunciarent: hortarenturque securo animo esset, sibique de ipsis ea promitteret, quæ fortium essent, eorum præsertim qui sacræ Equitum militiæ nomen dedissent. Hoc accepto fortiore quàm feliciore responso, tres Equites, arce diligenter inspecta, ad Magistrum rediere. Is concilio aduocato, auditóque militum obsessorum responso, quid legati ipsi censerent, audire voluit. Castrioti igitur sententia fuit, locum, quòd fossas nostri adhuc tenerent, posse defendi: seque si iuberetur, id suscepturum: ibique potius vitam amissurum, quàm vt susceptum deserat. At Gallus cognomento Rocca, sibi videri, nullo modo locum defendi posse: se existimare, si Iulius Cæsar ipse viueret, & ad quas angustias is locus redactus sit cerneret, propugnaculis præsertim omnibus corruptis ac deiectis, tantis hostium pertinacissimorum copiis circumiectis, nunquam eum passurum vt tot fortissimorum militum iactura fieret: sed locum relicturum, vt suos aliis maioris momenti locis tutandis conseruaret. VIRORVM fortium esse, ea præstare quæ ab homine præstari possunt: vltrà tendere, hominis non esse. Id sibi videri esse faciendum, quod in deploratis corporis membris solet: VT VITA cum reliquo corpore conseruetur, membrum amittere non dubitamus. Hispanus cum Castrioto sentiens, haud facilè locum deserendum esse sibi videri dixit. primùm quòd fossæ aggerésque integri essent: dein, quia tantum videret in defensoribus consensum, tantámque cum hoste confligendi alacritatem: quòd vnum penè victoriam præsagire videretur. Horum sententiis in consilio diligenter disputatis, visum pluribus, vti qui in arce erant, per dies aliquot sustinerent, præsertim cum ei militiæ mos non sit locos facilè relinquere, quin potius eos ad mortem vsque tueri: vt vel hoc modo barbarus hostis sentiat, qui cum sibi res sit, eiusq; superbia retundatur. nam si locum desererent, metu id factum videri posse: ex quo & hostis insolentia augeri, & ordini dedecus inuri videretur. At barbari in id quod statuerant intenti, die XXIII. Iunij cunctis circa arcem terrestribus maritimisque copiis coactis, media nocte scalas ab omni parte admouere: pontes, vineásque agere: duobus & triginta æneis catapultis ingentes pilas contorquere: quod reliquum erat munimentorum demoliri. Nostri contrà, alios deturbare, alios repellere, cædere, auidius vulnerare quàm semet tegere: vbi maior ab hoste vis fieret, ibi maximè virtutem ostendere: clamor vtrinque permistus hortatione, læticia, gemitu: ac totius prælij facies varia, incerta, fœda, & miserabilis. Et iam ventum erat ad horam diei tertiam, cum anceps esset victoria: ac ni tanta fuisset æneorum fulminum vis, qua iam muros omnes ad saxum vsque in quo arx ipsa stabat, deiecerant, potuissent nostri barbarorum impetum aliquot dies sustinere. Verùm nudato muris ac defensoribus saxo, & plus quadringentis interfectis, vix iam se aliquis, quin statim discerperetur, ostendere poterat: & iam arcis præfectus Monserratus, Eubœæque prætor Garas, vno catapultæ ictu conciderant: pari virtute, pietate, dignitate viri: pro breui vitæ pariter immortalitatem consecuti. Reliqui tamen qui pro arce stabant, tanta iactura cladeque nequaquam territi, quin potius quasi noua virtute cœlitùs aucti, maiore vi nitti, barbarorum signa iam in arce fixa reuellere, discerpere: signiferos, centuriones, præfectos, aliosque confodere: nihil iam spectare, quàm vt vitam pro religione ponerent, gloriam immortalem obtinerent. Iam sol ad medium cœlum ascenderat: æstus ingens, lassitudo, crebri tormentorũ ictus: hostium multitudo tanta, vt subinde recentes fessis submitterentur: nostrorũ contra paucitas,

eaque labore, vigiliis, siti & vulneribus debilitata, fecerunt, vt barbari tandem vi arce potirentur: sed tanta cum suorum clade, vt permirum sit, tam multos à tam paucis occidi potuisse. Nostri omnes ad vnum fortiter pugnando cæsi. Hic mihi Turcica in Equites crudelitas prætereunda non est: quo intelligatur, IMMANITATI nunquam deesse, vnde vltra mortem sæuiat. Capta arce, cum aliquot Equites semiuiuos inuenissent, corde prius è pectore eorum exempto, capiteque amputato, rubris sagis cum alba cruce indutos (solent enim vetere instituto hi Equites in bello, rubro colore: in pace, nigro vestiri) pedibus in Angeli Michaelisque castellorum conspectu ad triginta suspenderunt. Ceterùm cum hoc non satis Mustaphæ videretur, eos simul vinctos in mare abijci iussit. Commoto autem mari sequente die, ventus eos in Maiorem portum eiecit: quos à nostris cognitos, Valeta humari piè atque honestè, non sine intimo dolore mandauit. Qua hostis barbarie adeò exacerbatus fuit, vt ediceret, Ne quis deinceps Turcam vllum capere, sed omnes ferro trucidarentur. Itaque quotquot capti antea fuerant, omnes illico obtruncati: eorumque capita, qua parte hostis erat, extra muros proiecta. Ab initio obsidionis, ad captam arcem M. CCC. in queis sacri Equites, C. XXX. ibidem occubuere. Valeta amissa Hermetis arce, etsi (vti par fuerat) summo dolore eius animus premeretur, præ se tamen aliud ferebat, ne suorum militum animos turbaret. Dicebat enim, sibi nihil improuisum accidisse: hanc esse belli fortunam, Deique voluntatem, VT modò hi, modò illi vincantur. IGNAVIAM, non talem militum virtutem mœrorem suis relinquere. neque esse ob eam rem hostem formidandum, qui tantam stragem acceperit, vt victus magis quàm victor diei posse videatur. NOSTRORVM iacturam gloria atq; immortalitate compensari: quæ res omnium animos ad fortiter agendum inflammare debeat. Se quidem nondum spem victorię de hostium reliquiis, haud quidem suis viribus, sed Dei omnipotentis ope, vt semper, fretum, abiecisse. existimare se, omnes eodem animo esse: & vt sint, hortari. His dictis, vir in omnem fortunam paratus, è conspectu abiit. Deinde multa cum animo suo versans, statuit, ad præsidij Melitæ vrbis præfectum Petrum Mesquitam literas dare, quibus eum, atque eos qui Messanæ erant, sacros milites, vnaque Toletanum, de Hermetis iactura certiores faceret. Harum exemplum, quod in eis Sacræ militiæ principis Valetæ animus elucet, hic describere libuit.

Dum equites illi profectionem adornant, Hermetinæ arcis miserabilis casus interuenit. qui etsi eum nobis, quem existimare potes, attulit dolorem: eum tamen, quasi arcano quodam Dei consilio acciderit, in eam partem accepimus vt clementissimus pater nos monere, non perdere penitus velit. NEQVE enim fas esse puto, de ipsius clementia potentiaque dubitare. Illud tamen nihilominus queri possum, nos ab iis fuisse desertos, à quibus minimè decebat: vt septem & triginta dierum spacio, quo fortissimi nostri milites hostis impetum sustinuerunt (quod quidem diuinitùs potius quàm humanitùs factum est) à nostrismet, qui tantum nobis debent, ne minimo quidem subsidio, quod non semel potuerunt, adiuti fuerimus. Sed libet Deo, quicquid illud est, acceptum ferre: à quo solo, vt tot bona adhuc accepimus, sic in posterum nos accepturos speramus. Nam quantum video, humanis præsidiis iam nobis fidendum non est: quandoquidem nullis nostris literis, nulla diligentia, nullis precibus, monitis, nullis denique imperiis eos qui maximè parere debuissent, commouere potuimus. Temporis exiguitas, vt Toletano scribere de hac re possimus, nō patitur: tuum erit, cùm ipsum, tum amicos nostros certiores facere. Qui si nostris mandatis paruissent, vel quantulocunque militum præsidio iuuissent, Hermetis arcem forsitan non amisissemus: ob cuius defensionem, optima militum parte priuati sumus. Quamobrem, nisi Toletanus hac obsidione nos liberare maturauerit, vereor vt pòst in tempore adesse queat: præsertim verò, si antè hic obsideamur, quàm nostræ istæ copiolæ adsint, quas tanquam somniantes nobis pollicebamur, quasque vix tempore affuturas speramus. Non diffidimus tamen de Dei erga nos amore ac prouidentia: cuius instinctu paucis horis pòst, Toletani virtus diuina excitata, ad nos liberandos

berandos conuolabit. quippe nostra omnis salus in celeritate posita est. Hostes cuncta classe in portum Musetum contracta, arci repurgandæ, locisque quos tormenta corruperunt reficiendis, vt eis contra nos vti possint, operam nauant. Itaque his literis lectis, illico ad nos Catharinensem, Belcacarensem, Belmestium, & Zoricium, centuriones, cum suis militibus mittes, vt eorum fideli fortique opera vti valeamus. Deum precor, nobis alicunde opem ferat, nósque seruet. Vale, ex arce Angelica die XXIIII Iulij.

Lectis Magistri literis, Mesquita properè nauigiolum in mare iaci iubet: in idque Masium equitem, cognomento Collonellum ingredi. cui & Magistri literas ad se, & suas eiusdem ferè sententiæ ad Equites qui Messanæ agebant, tradit: orátque, vt in Siciliam velis remisque traiiciat. Interea Mustapha hominem ad Valetam mittit, & cum eo senem quendam Hispanum captiuum, cui libertatem, modò ad oppidum vsque cum suo nuncio eat, promittit: eisque mandat, vti cum Valeta de deditione agant: videantque ecqua ratione pacisci velit. Qui ad oppidum profecti, Turca foris expectante, Christianus intro ad Principem admittitur: eique Mustaphæ mandata exponit. At Valeta vbi pactionis ac deditionis vocem audiuit, sic exarsit, vt, ni fuisset Christianus, e uestigiò eum suspendi imperasset. Itaque ei optionem facit, vt aut cum ipsis maneat, si videatur: sin minus, illico discedat: dicátque comiti suo, ni confestim abeat, sese tormentis eum ab arce repulsurum. Hoc accepto nuncio, Turca repentè in castra rediit: quo Mustapha in tantam est rabiem coniectus, vt palàm diceret, se nullum crudelitatis genus in Christianos deinceps prætermissurum. Erat tum apud Mustapham Philippus è Lascarorum nobilissima Græciæ familia: qui à Christianis, Patras in Achaia occupantibus, puer in ea vrbe captus est: & quamdiu captiuus fuit, honestè atque humaniter habitus: eam ob rem pòst semper bene in Christianos affectus. Is cum Mustaphæ consiliorum multorum particeps esset, diuino quodam instinctu, cogitauit se non parum Christianis commodare posse, si ad eos transiret. itaque ad Michaelis castellum transire constituit: quod cum sæpius tentasset, tandem Calen. Iulij sese coniecit in mare (nam terra nullo modo effugere potuisset (atque ad castellum non sine vitæ discrimine, quòd à Turcis conspectus, plumbeis glandibus & sagittis peteretur, enatauit. Hic ad Magistrum deductus, ei non solum multa hostium consilia patefecit, verùm etiam quid ad Michaelis angulum faciendum esset. vt quædam hostium consilia de eo loco inuadendo irrita forent, edocuit: multáque alia, quæ nostris haud exiguo adiumento fuere. Pòst etiam, quoties opus fuit, strenue contra Turcas depugnauit. Obsidione verò soluta, Melitáque liberata, cum Magistri commendatione Romam ad Pontificem venit à quo benignè acceptus, & ob virtutem beneficiáque non in Melitenses modò, verùm etiam in Christianam Rempublicam collata muneribus donatus, vbi Turcicam sectam, cui fuerat initiatus, detestatus esset, in Hispaniam ad regem Philippum se contulit, quo ei pariter nonnulla Solimani consilia indicaret. Dum ea quæ suprà dixi, aguntur, Collonellus, quem in Siciliam missum antea dicebamus, Messanam incolumis peruenit: vbi classem Christianam nondum exornatam esse comperit sic, vt Melitensium rebus afflictis statim posset succurrere. nam, necdum ex Hispania naues venerant: & Ioannes Andreas Auria iam cum vigintiocto nauibus longis reditum parabat, vt quatuor millia peditum, qui in Etruria Capino Vitellio duce scribebantur, acciperet. Quam tarditatem secum reputantes sacri milites, quantúmque in mora periculum esset, re inter se deliberata, opem suis ferre, diuina potentia freti, quocunque modo decernunt. Huic expeditioni duos maximè idoneos è suo cœtu præficiunt, Messanensis & Barolitanæ domus præfectos. Hi properè Garziam Toletanum conueniunt: quæ sacri milites non modò pro Hispaniæ rege, verùm etiam pro tota Rep. Christiana gesserint, commemorant: quantos sumptus etiam superiore anno, in Pinioniam expeditionem fecerint: vbi nec commeatui, nec machinis, nec nauibus nec vitæ propriæ pepercissent, quo regi ipsi & Reip. prodessent. Ad hoc, vt secum diligentius reputaret, Melitæ iacturam non ad Sacros Equites tan-

tum, sed ad Italiam omnem, præsertim verò ad Siciliam, ob tam importuni ac potentis hostis vicinitatem pertinere. His atque aliis de causis, quæ temporis exiguitas recensere vetaret, se ab eo quatuor millia peditum flagitare: cum quibus sacri milites omnes, qui illic essent, itemque alij clari viri & voluntarij complures, quod ante frustrà tentarant, Melitensibus opem laturi, properarent. His copiis sperare se, si minus hostem pellere, aut amissa recipere, at eius progressum remorari & sistere posse: donec ipse vniuersa classe exornata ac producta, Turcicam inuadat, atque (vt sperandum est) frangat, ac dissipet. His auditis, dum secum, quid agendum, Toletanus deliberat, nuncius ab Hispania: qui, quæ mandata à rege attulerit, etiamsi varia fuerunt hominum iudicia, nunquam sciri potuit. illud tamen eius aduentu factum est, vt Toletanus breue responsum Sacris militibus daret. Respondit enim, se, quod peterent, facere non posse, quòd ea ratione se suis nauibus priuaret: fieretque, vt minus eis pòst operam, sicuti optabat, dare posset. Quòd si omnes equites cum Pontificiorum militum parte in insulam portari placeat, posse eos id duabus illis quas haberent longis nauibus facere: se quoque vnam è suis additurum. Hoc responso accepto, cum aliud extorquere non possent, quod deferebatur, acceperunt. Dum igitur hæ naues instruuntur, quatuor illæ quarum suprà mentionem fecimus, quæ sexcentos milites & octuaginta sacros Equites vehebant, variis difficultatibus per dies XX. conflictatæ, nondum Melitam attingere potuerant. Quoniam autem Toletanus præceperat, ne descensionem facerent, ni prius, an Hermetis arx à nostris teneretur, scirent: nauiculam speculatoriam in terram emiserunt: seque illum, & sequentem diem opperituros in mari, receperunt. Interea graui exorta tempestate, factum est, vt ea ad diem dictam redire nequiuerit. Quamobrem, qui expectauerant, veriti ne aut tempestate amissa, aut ab hostibus intercepta esset, Pozalum, Siculæ oræ locum, Melitæ proximum, se recipiunt, vt aliquid cognoscerent: quo simul ac peruenere, Hermetis arcem etiam tum defendi cognouere: simulque vt descensionem faciant, reuertuntur. verùm vbi ad sex M. P. loco appropinquant, quo loco facienda descensio erat, ibi ignem conspiciunt: quæ res fecit, vt & Catascopium ab hostibus captum, & hostem ibidem in insidiis esse suspicarentur. Quamobrem Pozalum redeunt: vbi ab equite Gallo, qui è Melita venerat, accipiunt, eam facem suo iussu accensam, vt eo signo admoniti sine metu procederent. Qua re cognita, magna celeritate ad eum locum contendunt: ac tandem ad Saxa nigra (qui locus in ea Insulæ parte est, quæ Libyam spectat) die XXIX. Iunij nocte intempesta descensionem faciunt: propereque ad vrbem, à nemine visi, se conferunt. à qua magna cum lætitia accepti, Magistri imperium opperiebantur. Interim nebula (quod rarissimè ibi fit) exorta est, adeò spissa, vt prospectum penè omnem tolleret. Erat tum in arce puer ferè duodecim annorum: is de arcis fenestra prospiciens, repentè territus, se Turcam Michaelis castellum versus euntem videre clamat. Quo audito, aliquot equites in eam partem excurrentes, inuenerunt Græculum è Melita vrbe hominem: qui retractus, & quæstione subiectus (nam sine præfecti commeatu, nemini eò ire licebat) confessus est, se hostem de nostrorum militum aduentu certiorem facere voluisse, vt ex insidiis ad Magistrum euntes interciperentur. Equites, quòd viderent illum ex occasione plurimum nocere posse, in partes quatuor dissecari præceperunt. Triduo post, qui è Sicilia venerant præsidiarij milites, noctis initio ad Magistrum incolumes peruenere, duobus tribúsve pueris exceptis: qui quòd armis aliisque sarcinis impediti essent, tam citò ingredi nequiuerant. Horum aduentu incredibile est quantum animi obsessis accesserit: & in primis Valetæ Magistro, qui equitum suorum, aliorumque militum florem diuino numine sibi accessisse perspiceret. Et, Grates ago tibi (inquit lachrymans) summe Rex, qui meas preces audis: qui hunc tuum gregem à lupis rapacissimis circumsessum, nō deseris. Hæc sunt perpetuæ bonitatis, virtutis, sapientiæ tuæ opera. Qui recentes venerant à Magistro, id vnum ceu honorarium poscere, vti Michaelis præsidio imponerentur. id Valeta eorum proposito collaudato, eis permisit: nec

tamen

tamen ob id vetus præsidium remouit. Hi ergo, queis cupido ingens esset manus cum barbaris conserere, sequenti die validam eruptionem fecère: hostemque ad Margaritæ nacti, supra ducentos cæcidère: totque sauciauere, vt nullus incruento gladio in castellum, suorum nemine amisso, redierit. Id cum Turcarum præfectus cerneret, cognouit eos esse qui recentes in castellum venerant. Idcirco cum suis expostulauit, quasi per eorum socordiam illi essent ingressi. Illi autem maximè in suspicionem venire, quorum custodiæ extima insulæ loca erant demandata. Eam suspicionem augere, quòd tres Algerianæ biremes sese subduxerant: quare factū est, vt nec illis nec Christianis Turcę sectam professis, qui quandocunque possent aufugerent, fideret. Itaque edixit, ne horum quisquam extra naues cubaret: qui facerent, palo confixi, atque exusti pœnas darent. & custodiis mutatis, Salachi biremes, quas fidas magis existimaret, ad insulæ custodiam apposuit. Ne quid autem vel ipsorum aliqui, vel Christiani tentare possent, naues complures in Museti portu catenis simul vinctæ: cæteræque, quàm antea, inter se minus disiunctæ haberi cœptæ. Quoniam verò ea tempestate in exercitu barbarorum, dysenteria atque aliis morborum generibus innumeri mortales laborabant, tria valetudinaria constituta sunt: vulneratorum vnum, ad aquam Marsiam, ad cuius custodiam duo Turcarum millia: alterum in puppibus nauium, vbi Turcæ voluntarij: tertium inter ipsa nauium transtra, vbi Christiani coacti curabantur. Eodem tempore præfectus, quem Bassam vocant, Leptitanis in Dorgutæ demortui locum, Ochialem præfecit: qui cum nauibus longis quinque eò profectus, rebus ibi compositis, in castra reuersus est: binásque frumento onustas naues Bassa Leptim ire iusserat, vt ibi panis, quo maximè egebant, pararetur. Ad Solymanum quoque Zalochum militum præfectum miserat, qui de Hermetis expugnatione illum doceret: ferretque Melitæ insulæ, qualem inuenerant, designationem: addebàtque, se Melitenses paratiores ac firmiores, quàm ab initio credidissent, inuenisse. Quòd si vltrà bellum trahere placeat, viris, commeatu, aliisq; ad belli vsum necessariis opus esse: quod si haberet, se loca quidem munita reliqua, sed non tam citò, occupaturum. Interim tamen dum responsum præstolatur, nullum tempus ab oppugnatione vacuum esse passurum. Ac ne falsum scripsisse videretur, septuaginta muralibus machinis, in queis tres maximi Basilisci, quatuordecim è locis oppugnatio capta. nam à furcarum promōtorio, ad aquam Marsiam, indéque ad Hermetis arcem, in qua trecentos Ianizeros collocarant, totum illum ambitum multiplici aggere vallóque & castellis sepiuerant: vnde diésque noctésque Angeli & Michaelis oppida tormentorum fulminibus quassare, muros demoliri, propugnacula deiicere, domos frangere: sic vt in eis vix quisquam tutus esse posset. qua ex re mulieres puerique primùm magnis detrimentis affecti. Ipsi verò barbari intra suas munitiones inclusi, tutiores esse: nec sæpe extrà excurrere, nisi multitudine freti: nec si tamen citra detrimentum: quòd ab equis præsidij Melitensis, à tergo instantibus, eorum non pauci cæderentur. Vbi Romæ de Hermetis arce amissa compertum est, mœrore & metu ciuitas repleta. pars enim dolere pro gloria Latini nominis: pars timere, ne ad se quoque Melitensium calamitas redundaret. Fuit etiam quoddam hominum genus inuidum, maledicum, belli insolens & ignarum, quod culpam amissæ arcis in Valetam ipsum Magistrum equitum transferre auderet: quem cùm sua ipsius virtus, tum quotquot cum eo fuerunt viri clarissimi ac fortissimi, nec non hæc Historia ex vera rerum gestarum luce expressa, & hoc tempore & apud posteros à calumnia satis vindicabunt. FACILE enim alterius famam lædit, qui non parcit suæ: NEC imperitia censere de peritorum consiliis, nec ignauia de fortiter factis verè potest. Ad rem autem vt redeam, dicebam tres longas naueis Messanæ comparari: quibus in comparandis tanta ij queis hoc mandatum erat, vsi diligentia sunt, vt septima Iulij die è portu discederent. Erant in eis, præter Equites sacros, Hispani sexcenti, & pontificij trecenti, Pompeio Columna præfecto: remiges partim voluntarij, partim coacti. his libertas promissa, si modò suo munere nauiter fungerentur, vt in portum sese immitterent: fore, vt eodem quo reliqui milites ha-

berentur loco. ac vt non viris modò, verùm etiam commeatu, obsessis subuenirent, nauibus eisdem ducentos quinquaginta medimnos frumenti, ad hoc pulverem sulphureum, nitrum & plumbum ad tormentorum vsum imposuerunt. Et quanquam factu difficilimum censebatur, vti per portum ipsum, Turcis & ipsum & circum omnia custodientibus, in insulam intrarent: nihilominus tamen tantus erat in equitibus suis subueniendi ardor, vt omnia tum sibi tum aliis facilia tutaque promitterent. Cum autem Insulæ appropinquare cœpissent, speculatoriam nauiculam præmiserunt, vt signis ex Angeli arce perspectis, procedendúmne, an retrocedendum esset, agnoscerent. Quæ cùm eò processisset, vnde signa posset speculari: tum deprehensum est, esse recedendum. Quod vbi Turcæ deprehenderunt, illico, vt signa illa obscurarent, æneis tormentis, aliisque ad signa displosis, cœlum fumo tanquam nebula replere: verùm quòd iam à nostris visa essent, id frustra fuit. Sic tres illæ naues in Siciliam rediere. neque enim Valetæ optimo principi consilium fuit, tot Equites sacros, tot claros viros, militesque, apertum in discrimen vocare. Nam videbat in Museti portus faucibus aliquot barbarorum naues, ad locum qui Arenulæ vocatur, noctu subsidere, vt portus maioris ingressum exitumque prohiberent. Per eosdem dies, qui in vrbe erant, cognita nostrorum, qui nuper accesserant, valida eruptione, & ipsi audaciores facti: cum barbari prædabundi aliquot pecora abigerent, equites nostri eos insecuti, atque aliquot ex barbaris interfectis prædam abstulerunt: nec eo contenti, ad naues vsque persecuti sunt. At Turcæ videntes fugam ad se vorsum fieri, arma conclamare: ad imperatoris tabernaculum accurrere, atque à muris verberandis cessare. Hæc res fecit, vt Magister equitum existimaret, eos ad Michaelis castellum inuadendum se comparare. idcirco ratus, sua præsentia præsidio vires atque animum accessurum, in eam partem, per pontem qui ratibus constratus vtramque peneinsulam coniungebat, transire constituit. Sed re properè cognita, in arcem reuersus est. Sunt qui hoc factum audax quidem existiment, verùm plenum periculi: atque ideo vituperandum: QVOD non corporis, sed animi viribus consilio atque recto imperio res magnæ gerantur, quibus princeps etiam absens suis adesse queat. Principe autem amisso (quod quidem, si se in discrimen coniiciat, euenire facilè possit) vnà cum eo omnia concidere: non secus atque in corpore fieri, amissa anima, videmus. Alij verò laude dignum, & necessariam principis præsentiam in periculis maximè censent: propterea quòd ne anima quidem ipsa corpori, nisi adsit, imò insit, aut consulere, aut imperare possit. Deinde, in eo Valetam veterum regum atque Imperatorum exemplum secutum: Alexandri, Themistoclis, Cæsaris, Marij, & aliorum, quorum illa erant ad suos milites verba: EGOMET in agmine, in prælio, consultor idem & socius periculi nobiscum adero: me, vosque, in omnibus rebus iuxta geram. quis nescit, vt in aliis rebus, sic & in bello, ac multo etiam magis, Domini præsentia omnia rectius ac facilius administrari? neque aliud voluit prudens poëta ostendere, cum in Latinorum & Rutulorum bello dixit, VRGET PRÆSENTIA TVRNI. Quibus rationibus adducti, statuunt Ioannitarum principem Valetam fortiter simul & prudenter, atque ex suo munere statuisse. Eodem quoque tempore, Algerij Rex cum triremibus septem, biremibus decem, in quibus duo millia & ducenti milites fuere, Turcis auxilio venit. Cui cum ab initio non affuisse molestum esset, cuperétque aliquod illustre facinus patrare, simul militum suorum virtutem experiri: ab imperatore postulauit, vti sibi principem locum in Michaelis oppugnatione permitteret. id quod non modò permisit, verùm etiam duo millia lectissimorum militum è suis, ei adiunxit. quo impetrato, è Museti portu ad aquam Marsiam circiter nonaginta nauigia minora machinis celeriter trãsferri iubet: q; ex ea parte Regi castellum mari oppugnare consiliũ esset. At Valeta, cùm is conspectis, tum à perfuga eius rei antea admonitus, hostis cõsiliũ cognouit. idcirco duos Melitẽses naucleros industrios & fideles illico accersit: req; cum eis cõmunicata, sciscitatur, quid illi faciendũ censerent, quò barbaris ad

muri pedem descensionem facere paratibus, obuiam iretur. Hi re percepta, respondent: Se existimare, si ex nauium antemnis, tignisve ferreis annulis simul connexis catena fiat: eaque ab angulo Angelicæ arcis, ad eum locum, quem ad locum nauigia appellere hostis cogitabat, ducta, eorum cogitata impediri posse. Placuit Magistro consilium sic, vt nocte insequente & perfecta catena fuerit, & suo loco posita. Barbari, vbi diluxit, hoc impedimento conspecto, suspensi hærere, ignari quónam modo suos milites exponerent. Dum sic cogitabundi hærent, ad Regem accedit perfuga Christianus, homo audacissimus (cvi generi temeritas pro virtute, pro constantia desperatio est) polliceturque se catenam illam fracturum: simulque sumpta securi, sese abiecit in mare: quem duo trésve, quo illum iuuarent, sunt secuti. ad quam, simul ac nando peruenerunt, perfuga in eam insiliit, securimque cœpit impingere. Quod nostri videntes, repentè Melitenses quinq; sexve cum nudis gladiis eò enatant: ac duobus interfectis, ceteros fugant. Pòst nemo tam audax inuentus est, qui idem tentare vellet. nec ob id tamen Rex destitit ab incœpto: sed mira diligentia se ad oppugnationem parat. Itaque die xv Iulij inalbescente cœlo, terra marique oppugnationem aggreditur. Verùm, cum obsessi omnia tormenta in eam partem direxissent, vnde naues veniebant, tanta fuit eorum vis, vt trium horarum spacio, quo perseuerauit oppugnatio, Turcarum duo millia discerpta submersaque fuerint, & naues duodecim depressæ. Maior nauigiorum pars ad catenam appulsa, cum descensum in terram facere nequirent, ad castelli angulum proras obuerterũt: ceterum re infecta, retrocedere sunt compulsi. Præliatum est in terra horis quinque: Turcæ complures, è nostris ducenti desiderati: in queis Federicus Garziæ Toletani præfecti Siciliæ filius, pilà ferrea discerptus: itemque Gordius natione Gallus: Erancis cus Sanoghera, eiusque nepos Ioannes, Hispani: omnes sacri Equites: Medinaque vulneratus, qui pòst ex eo vulnere est mortuus. At Valeta, qui videret quanto in discrimine res Melitensis futura esset, si huiusmodi præliis sæpius esset decertandum, vbi fessi diésque & noctes sine requie cum recentibus & nouis committerentur, nec de nouo subsidio ac supplemento quicquam acciperet: die xvii. Iulij hominem in Siciliam misit: qui à castello ad extremum sinum, qui ad aquam Marsiam pertinet, enatauit: & illinc ad vrbem per medios hostes ignoratus euasit: vnde nauigiolo Messanam peruolauit. Huic literas ad Toletanum dat, quibus postulat, ad se binas suas triremes, cum iis equitibus qui tum Messanæ essent, cúmque ea militum manu, quæ nauibus transportari posset, mitti. monétque vbi ad insulam accessissent, ante portum consisterent, paratæ signo dato sese in portum inferre. Eodem tempore quo is Messanam peruenit, classis ab Hispania, quæ multos variarum gentium equites sacros vehebat, venerat. Cum autem Toletanus duas illas naues longas vellet ad Valetam mittere, prius ad eum literas occultis notis exaratas binis nauiculis misit: his se triremes missurum significabat. Ceterùm, signa ab eo petebat, queis illæ, intrandúmne, an recedendum esset, cognoscerent. quæ cum diuersæ proficiscerentur, alteram medicamentis onustam, ab hostibus interceptam esse, pòst intellectum est: & quanquam altera incolumis ad Melitenses peruenit, tamen quoniam aliquot dies antè inter Michaelis castellum Melitámque vrbem omnia itinera interclusa, treísque vltro citróque commeare consueti, capti ab hostibus fuerant, atque acerbissimè necati, ad hoc, portus vigilantissimè custodiretur: equites qui Messanæ erant, de binis triremibus mittendis consilij inopes erant. Nihilominus tamen, quòd eas Magister postularet, cogitaréntque (quod & ille aiebat) vbi rerum agitur summa, vnius particulæ periculum minus esse metuendum: visum, eas esse fortunæ committendas: hac tamen cautione, vti ne omnes illi equites periculo exponerentur, sed ex omnibus quadraginta modò cum satis magno militum auxiliariorum numero mitterentur. Cum his Salazar Hispanus centurio, à Toletano missus in scapha remulco à triremibus in Gaulon vsque trahenda, profectus est: qui pòst, illinc in Melitam insulam, vrbémque, hostium copias speculatum iret. Interim Turcæ cladis in oppugnatione Michaelis acceptæ memores, vindictæ cupiditate ardere: idcirco tanto

impetu castellum æneis machinis verberare, vt quantum noctu reficiebant: tantum manè ipsi deijcerent ac comminuerent. Dumque tormentis res ageretur, pontem ipsi construxerant: quem die XX. Iulij, ante solis exortum in fossa posuerunt, quo exæquatis locis, prælium cum nostris manu facerent. Qui ab eis visus, cognitoque quantum detrimentum posset importare, illico Parisotus Valetæ nepos, & Agleria, equites, cum militum mercenariorum satis magna manu, vt pontem igni corrumperent, extra munitiones excurrũt: qui à barbaris excepti, re infecta omnes ferè, vnà cũ Parisoto & Agleria, obtruncati. Barbari tormentis muros quatere vsque ad XXVIII. Iulij diem nunquam intermiserunt: quo post meridiem castellum à multis partibus inuadunt: ter fessis aut deiectis recentes submittunt: tantaq; vi agunt, vt nihil dubitent se eo die castello potituros. At nostri haud minore vi resistere: telis, tormentis, igni, manu, hostem propellere: ac tandem vti à muris discedat, suorum cum nõ parua iactura, cogere. Hac victoria obsessis animus creuit, sic vt iam hostẽ parui facerent. Quoniam verò à nostris extra prælium tormenta silerent, neque iam eruptiones fierent, existimabant barbari, & paucos esse in præsidio milites, & tormentorum materia fomentoque destitui. At, id Valetę consilio potius, quàm inopia fieri: qui cum nihil de auxiliis acciperet, videretque barbaros ad inuadendum indies ferociores, NOLEBAT in ocio negocij præsidia consumi. At Turcæ cum viderent, frequentibus præliis rem parum procedere, omnem industriam ac laborẽ cuniculis agendis impendere statuunt. Et iam penè vnum antè per fecerant, quàm id nostri perciperent. Quo autẽ minus id animaduerterent, binas triremes accedere ad muros iubent, eoq; ex loco tormentorum globis domos pulsare: rati nostros, dum quid hostis facturus sit spectant, muros remissius custodituros: se verò facilius, occultiusque per cuniculum in castellum irrepturos. At obsessi, vbi eorum artes senserunt, cõtrario cuniculo eas irritas facere: cùm aliorum, tum maximè vnius signiferi virtute, hostem propellere. nam is cum prius in cuniculum testas pice accensas cõiecisset, ipse secutus, phalaricam præferens, Turcas omneis è cuniculo eiecit: hanc ob rem torque aureo quinq; librarum à Magistro equitũ donatus. ET QVIA virtus virtutem parit, eaq; in arduo sita est: postera die, quæ prima Augusti fuit, eruptione ab aliquot facta, pons ille, quem diximus ab hoste fossæ impositum, facibus & puluere sulphureo iniecto, exustus est. Quod quidem opportunè factum est. nam postridie barbari sole iam in occasum inclinante, denuò castellum, vbi Carolus Ruffus curabat, aggressi, à nostris fortiter repulsi sunt. præliatum tribus horis: Turcæ trecenti cæsi: ex Equitibus, ipse Ruffus, atq; Baresus, cum aliquot mercenariis militibus. Hoc tempore nostri multitudine tormentorum adeò inclusi ab hoste tenebãtur, vt ne in fossam quidem despicere, aut sese vllo modo ostendere, nedum eruptionem facere, quin illicò peterentur, possent. nec tamẽ ob id, vbi sese occasio praeclari facinoris dabat, vitæ suæ parcere. Quemadmodum Calderonius Hispanus: qui cum animaduerteret, eam muri partem, quam hostis ad Castellę munimentum percusserat & fregerat, speculandã & cognoscendam esse, exire non dubitauit: sed momento glande percussus concidit. Qui casus cum reliquos terrere debuisse videretur, incendit. Nam cum cernerent hostes in fossa replenda summo conatu operam dare: certi potius mortem oppetere, quàm in crudelissimorum hostium manus venire, noctu exire constituunt, eorúmque conatui obuiam ire. Itaque centum, pars Equites sacri, pars stipendia facientes, impetu in hostes facto, eos fossam deserere, fugámque capessere compellunt. Ex eis circiter octuaginta cæsi, è nostris decem: in queis duo Equites, Ioannes Cantaber, atque Macrinus. quorum capita, hastis præfixa, in vallo Seruatoris, quò à nostris videri possent, extulerunt. Eodem die vesperi, qui erant in vrbe Melita, simul plures ignes excitarunt, & sclopetorum plausum ediderunt. id tam obsessi, quàm Turcæ, fieri existimarunt, quòd classis nostra appropinquaret: vel auxiliares in insula copiæ, profligandis hostibus pares, adessent. Sed neutrum fuit: ídque eò tantum factum, vt & alacritatem ostenderent: & barbaros suspensos rei nouitate tenerent. At Turcæ fossam ad Castellæ propugnaculum terra repleuerunt: quæ res effecit, vt neque ab

depressis

depressis illis casis, neque ab Aruenię angulo, quę ad hostes, si qui in fossam descendunt, tormentis petendos porrigi solent, lędi barbari, quippe altiores, quirent: & ad murum tormentis deiectum & apertum, transire sine impedimento possent. A vallo igitur editiore, quod ad Seruatoris dextimum latus extruxerant, duobus ęneis tormentis grandioribus iaculari cœperunt. primóque ictu fenestram, qua pilę emitti in hostem solent, cui Franciscus Castillia pręerat, attigerunt: ea est huius gentis in iaculando peritia. Ioannes Bernardus Godinetius, eques Hispanus, vir strenuus, parui tormenti glande plumbea traiectus occubuit. Eodem die Franciscus Aquilates Hispanus, qui pręsidiarius miles fuerat, & Gauli vxorem cum liberis habebat, ex oppido Michaelis, METV ac spe consultoribus pessimis, ad hostes perfugit: estque pręfectos ad impetum rursus faciendum hortatus, oppido sine dubio potituros: quòd vix quadringenti viri in eo essent, laboribus & vulneribus penè confecti: reliquos periisse. Itaque barbari, vbi vident tormentis per & Nouę vrbis, & Michaelis muros, vel plaustris aditum patefactum, vtrunque totis viribus inuadere constituunt: & experiri, tantúmne esset obsessis virium, vt ab eis toties repelli ab oppugnatione queant. Itaque septima die Augusti, eadem hora & Nouam vrbem ad Castellę propugnaculum, & Michaelis castellum adoriuntur, tanta cum multitudine & vi, vt terra circùm omnis tegeretur. Tormentorum tonitrua, sclopetorum cum crepitu grando, armorum fragor, tubarum & tympanorum clangor, virorum vtrinque clamores, tot tantáque erant, vt cœlum cum terra permisceri videretur. Hęc cum Equites qui in vrbis pręsidio erant, audirent, cœlúmque fumo obduci cernerent, veriti ne barbari, vt ad Hermetem, nunquam ab oppugnatione desisterent, donec oppido potirentur: illico vniuersus se equitatus ex vrbe effundit: atque vt ab oppugnatione barbaros auerterent, in eos Turcas qui aquę Marsię pręsidio impositi erant, impressionem faciunt: qui omnes trepidi improuiso metu fugere. nostri insequi, cędere, fundere: illi horrendum stridere: quo qui apud Michaelem certabant exciti, prælium relinquere sunt coacti, vt suis opem laborantibus ferre maturarent. sic à nostris vtrinque magna cum strage repulsi, vltra mille & quingentos desiderarunt: pręter eos qui à Melitensi equitatu, priusquam sui adessent, interfecti fuerant. E nostris vtriusque oppidi plus centum sunt desiderati, totidem ferè vulnerati: prælium vltra horas quinque productum. Hic Valeta, illóque aliisque proximis diebus è tanto periculo liberatus, Deo immortali supplicationem indixit: atque ad templum cum ciuium multitudine incessit. Dum hęc geruntur, Garzias Toletanus indicio è Calabria allata accepit, naues quasdam militibus commeatu, aliisque ad belli vsum necessariis onustas, Constantinopoli Melitam contendere: quamobrem extemplò Altamiram Gildandradámque regulos, cum nauibus lōgis quinque, eis obuiam mittit: cúmque hi Melitę ad triginta milliaria appropinquassent, eas quidem naues non repererunt: sed myoparonem vnum, vnámque liburnicam biremem. Myoparonem capiunt, liburnica Melitam ad hostes profugit. At Mustapha ratus, NEMINEM esse adeò valentem qui continua laboris & vigilię contentione non tandem frangatur: nullam obsessis requietem dandam esse censuit. Itaque suos, qua parte aditus patefactus tormentis erat, Michaelis castellum inuadere iubet. Sed virtute nostrorum citò haud exigua cum clade reiecti sunt. Neque enim tam crebras oppugnationes Bassa instituebat, quòd eis locis potiri speraret: sed vt & strenui ducis munere fungeretur, & Solymani satisfaceret voluntati: qui, aut ibi cuncti vitam amitterent, aut ea loca caperent, imperarat. Quin etiam, ad eundem Solymanum liburnicam cum literis peruolare iussit, queis eum de classis conditione docebat: quibus difficultatibus conflictaretur exercitus: quam exigua esset spes ea loca capiundi: quantus Christianorum apparatus, & eiusdem generis alia. Interim binę illę Melitensium triremes, Messana profectę, Syracusas venerant: vbi diem vnum mansere, vt Salazari celocem ad cursus celeritatem inungerent: vtque Pachynum promontorium luce prętervueherentur. Itaque postridie è portu exeuntibus obuius fit

Melitensis quidam è Pozalo nauicula vectus, & grauiter saucius. is rogatus, quid tam malè mulctatus esset? respondit: Se cum noctu iuxta portum vno cum comite nauiculam appulisset, à duobus Siculis, qui ibi domum habebant, vt secum eam noctem maneret, inuitatum: id quod ipsi cum fecissent, ecce tibi nocte intempesta Turcæ quinque, à quibus duo Siculi capti, comes occisus, ipse vulneratus, noctis beneficio euaserit. Ad hoc, Siculos Turcis indicasse: in eum portum binas triremes sacras militibus, aliisque oneratas venisse, quæ in Melitam proficiscantur. Hac re audita, Equites satis intellexêre, suam profectionem hosti notam esse: quódque cogitauerant, in portum Melitensem sese immittere, id periculosissimum fore, aut potius fieri nullo modo posse. nihilominus, vt Salazaris nauigiolum remulco traherent, à suscepto itinere non sunt deterriti. Dum igitur procedunt, binas triremes & liburnicam vnam haud longè præire cognoscunt: quæ visis nostris, longius Melitam versus abiêre. nec fuit dubium, quin illæ ipsæ essent, à quibus quinque illi Turcæ emissi, ea patrassent, quæ saucius Melitensis retulisset. Suum tamen iter Pozalum vsque tenuêre: vnde literis ad Toletanum datis, de iis quæ acciderant omnibus eum certiorem fecêre: cúmque se mari committere Vulturno Austróque reflantibus non auderent, Syracusas rediere, vt ex Toletani sententia ceterum cursum instituerent. Eam ob rem illicò ad eum Messanam, è suis equitibus vnum ire iubent. Visum igitur ei, ne vltrà procederent, sed classem vniuersam opperirentur: quæ breui in Melitam esset traiectura. At Salazar Pozalum deductus, sua nauicula cursum suum tenere statuit. Et quanquam eo die quo Pozalo soluit, nimbis, ventis & fulgetris cœlum turbatum esset, reliqui dies tranquilliores fuere: sic vt breui in vrbem Melitam incolumis peruenerit. ibi Turcico ornatu, & comite qui & ipse Turcicam linguam norat, assumto, noctu in hostium castra speculandi gratia se contulerunt. Ibi omnia speculati, cognouere, in vniuersum militum vix quatuordecim millia, & eorum plerosq; saucios, & morbis affectos: reliquos, inutilem atque imbellem turbam esse: quod fortissimum Mars (vt solet) absumsisset. vbi autem castrorũ modum formámque inspexissent, in vrbem se recepere. Hinc proxima nocte cum audaci & impigro Petro Paccio Hispano, ad locum quendam Malecæ speculæ proximum se conferunt: eóque accuratè obseruato, Petrus ibi relinquitur: vt obseruatis Gauli Melitæque vrbis signis, Toletanum de omnibus, sicuti erat ab Salazare edoctus, certiorem faceret. Ceterùm Salazar ipse sua nauicula, quam veniens ibidem reliquerat, feliciter Messanam est reuectus: vbi, quæ vidisset, omnia Toletano exposuit, atque inter cetera illud multis modis confirmabat, classem Turcicam debilem, mancam armis, viris nudam, longè imparem esse, quæ cum Christianorum x. m. congrederetur. Redierat, & per eos dies vna ex illis duabus nauiculis, quas suprà missas speculatum diximus, altero cum homine Hispano, vnóque perfuga: ad hoc, quatuor illæ triremes, Messana antè profectæ, Turcas quatuordecim circa Melitam captos ferentes: quæ omnes idem quo Salazar, confirmabant. nimirum barbarorum copias, frequentibus prœliis numero & viribus vehementer imminutas: sic vt nè verberibus quidem ad subeundos muros impelli possent: eam ob caussam à Bassa ipso aliquot cæsos. Terrorem eorum augebat, quòd viderent neminem è suis saucium redire, quin vitam amitteret. Ad hoc videbant nostros inaudita virtute locos defendere, neque vllius bellici tormenti iactum frustra esse: itaque eos ad eam expeditionem venisse pigere, pœnitere que: tale bellum detestari, qua possent prælio abstinere, fugam capessere: quod & non pauci fecere, ex iis præsertim qui fidem Christianam eiurarant. Hanc ob caussam à Bassa appositæ custodiæ: imperatúmque, vti aut oppidum caperent, aut omnes mortem occumberent: sic Imperatorem Solymanum, cui refragari nefas sit, præcepisse. Hæc atque talia effecere, vt Toletanus aliquanto citius de educenda classe cogitaret. Interea obsessi, omni industria & viribus sese tueri satagunt. Erat autem ibi Franciscus Giuara primi pili centurio, vir nobilis, impiger, maximique ingenij: hic ab oppidi muro, quem tormentorum ictibus hostes deiecerant, decem pedum interuallo, munimentum eduxit longum passus quinquaginta, pedes latum quinque,

quinque, cum suis vtrinque angulis: quod binis noctibus est perfectum, póstque magno obsessis adiumento fuit. Hostis subter angulum fossæ, vbi Boninsegna Hispanus, eques fortissimus, curabat, cuniculum agere cœpit. Sed obsessi id sentientes, contrario cuniculo irritum fecêre. Interim accidit, vt dum perfuga ab hoste ad oppidum nataret, caperetur: quod quidem obsessis molestissimum accidit qui aliquid de hostili exercitu, eorúmque consiliis cognoscere cuperent. Vbi hoc parum procedit, pars turrim Michaelis occupare nituntur: pars ad castrorum Magistri & Castellæ propugnaculum aliquot pulueris incẽdiarij sacculos iniicere: sed nostrorum vigilantia effectum, vt omnis eorum conatus frustra esset. nam multis in ipso cuniculo cæsis, etiam pulueris cados aliquot abstulêre. His atque aliis offensionibus ac difficultatibus spe sua Turcarum duces Mustapháque Piálque frustrati, cum primoribus, manendúmne diutius, an abeundum, deliberant. Plerique domum redeundum censent. Verùm Mustapha manendum esse, dum, quam Byzantium miserat, biremis cum Solymani mandatis rediret. INTEREA aut vi, aut dolo, casum victoriæ quærendum. Atque equidem multo id factitabant crebrius, quàm obsessorum res postularent. nam neque quiescere ipsi, neque alios pati poterant. modò enim tormentis pulsare, modò pontes, modò aut cuniculos aut aggeres agere, aut fossas implere: iam prelium aliquod, aut aliud facere. Tanta erat in omni parte solertia, vt quidquid instituissent, exiguo tempore perficeretur. Itaque cum noctu castrorum Præfectus Robles ad muri ruinam inspiciendam accessisset, capite parui tormenti glande percusso, est mortuus, magno sui desiderio cunctis relicto: quippe vir amari dignus ob multas bonas artes, quibus obsessis multũ sæpe proderat. Eam ob rem, Magister equitum, Tribunum militum, quem secum habebat, virum belli scientem, qui suo nomine Michaelis arci præesset, misit. is autem sic eam prouinciam administrauit, vigilando, consulendo, prouidendo, vt quoties locum barbari sunt aggressi, toties & cum detrimento repulsi. Interea binæ illæ triremes, vna cum biremi, quas suprà diximus à binis Melitensium equitum conspectas, Christianorum classem in promtu esse Piali maris præfecto nunciant. qui improuisum eius aduẽtum veritus, naues longas circiter septuaginta instrui iubet: præter quas in portu Museti quadraginta inermes atque inutiles remanebant, quòd neque viros haberent, neque armamenta. nam hęc in pontibus, vineis, aliisque ad oppugnationes necessariis absumserant: viri, pars morbis, multi in præliis conciderant. Igitur Pial per dies aliquot luce in Maiaro propter litus se continebat: noctu verò in altum progressus, nostros opperiebatur. Vbi neminem apparere videt, in terrã socios nauales rursum exponit. Quoniam verò tormentis materia deficere incipiebat, ex tricenis singularum nauium pulueris cadis, vicenos, aut quinos vicenos pro rata portione capiunt: dein maiore quàm vnquam antea impetu, vtriusque oppidi muros quassant, eis præsertim tormentis qui Basilisci appellantur: quorũ pilæ ducenûm pondo, septem palmorum orbe constabant. His arcis Michaelinæ muri planè deiecti. Eodem tempore Bassa ad Angeli vrbem, Castellæ propugnaculum, sic crebris tormentorum ictibus percussit, vt totum penè prostrauerit. His hunc in modum gestis, cum barbari cernerent vtrumque oppidum muris, omníque munimento nudatum & apertum, sic vt nihil iam mutuum conspectum impediret: nihil morati die XVIII. Augusti, sole iam medium tenente cœlum, totis copiis vtrumque oppidum aggressi, ter reiecti, térque regressi, tandem ingenti cum strage & pudore ab omni parte deturbati, receptui canere coacti sunt. Pugnatum ad horas quinque. Hoc in ferocissimo prælio, Valetæ principis inuicta virtus illustris extitit: qui armatus, contóque formidabilis, ante alios fortissimè pugnans conspiciebatur: cuius præsentia non modò militibus stimulos addidit, verùm pueros quoque & mulieres ad fortiter faciendum excitauit. Sic enim est: MAGIS homines mouentur exemplis, quàm verbis. Ex ingenti autem Turcarum numero, pars in vrbis fossa substiterat: ac ne ab Castellæ vallo tormentis læderetur, munimentum è terra, fasciculis, aliáque materia summa celeritate perfecerant. Id autem eò pertinebat, vt ibi manentes muros, suffodere, ac subire possent, eam

ob rem vlnarum quindecim ſpacium occuparant. Id obſeſſi cum animaduertiſſent, directis in eam partem tormentis, & plures interfecerunt, & flammis iniectis corruperunt. Poſtero die, ab hoſte prælium redintegratum ad eadem eſt loca. nam ex copia militum pro feſſis recentes inducere facile poterant. At primùm ab eis ſuum morem ſecutis, tormentis vſque ad noctem vtrumque oppidum pulſatum: dein media nocte luna terras illuſtrante, prælium atrox horrendo cum ſtridore atque impetu incœptum. Ea res noſtros nonnihil initio terruit: attamen virtutis memores, omni genere telorum & piceis ignibus tantum effecerunt, vt hoſtes malè mulctati, poſt trium horarum certamen in ſua caſtra redierint. Eomet die à noſtris cuniculus ad caſtellæ munitionem deprehenſus, in quo Turcæ circiter centum ſunt reperti, ac ferè omnes trucidati: ipſeque cuniculus corruptus. nec tamen hoſtes ſequenti die quieſcere: ſed ſepties recentibus atque integris ſubmiſſis eadem loca inuadere: non modò armis, verùm etiam ſacculis puluere igneo refertis pugnare: quibus Boninſegna ambuſta facie, oculum amiſit. Eodem pariter tempore, barbari, in ea parte quæ à calcare nomen habet (quam idcirco Speronem vocant, nos roſtrum poſſumus appellare: eſt enim loci angulus porrectior) in ea inquam parte vehementer adnitebantur, vt in arcem irrumperent: vbi Centius Aquitanus inuicto animo eques in vallum aſcendit, contóque audaciſſimè pugnans, qui eò aſcendere nitebantur, deiicere: vnóque confoſſo, ceteros terrere: ipſe verò ibidem glande in brachio vulneratus, vbi ſe paulisper retraxiſſet dum vulnus obligatur, in vallum redire, nec à pugna diſcedere, donec victor vallum conſeruaſſet. Itaque barbaris vndique ingenti cum ſtrage pulſis, victoria penes noſtros fuit. è quibus deſiderati ferè centum: híque pleriq́;, vt ſemper, tormentorum pilis. In his fortiſſimè Equites, ad Caſtellæ ruinam Fragus, ad caſtellum Michaelis, Scipio cognomento Pratus, Ioannes Baptiſta Soderinus, Paulus Boniportus, Marius Fagianus, Ruffinus, & aliquot alij longiore vita digni. Subterraneum quoque aditum ad Michaelis caſtellum egerant Turcæ: qui ſimul & deprehenſus eſt, & impeditus. His tot tantiſque prælijs quidam inter Equites, minimè infimi, veriti NE quod ſæpius tentatur, tandem procedat, Valetæ dixerunt: Sibi videri, omnia literarum monumenta, omnes tabulas & reliquias Diuorum, aliáque religioſa, ex oppido in Angelicam arcem eſſe transferenda & aſſeruanda, vtpote locum & munitiorem, & tutiorem. Valeta, etſi intelligebat, qui hæc dicerent, bono animo dicere: nihilominus ea oratione nonnihil eſt commotus. Eis igitur reſpondit: Hoc aliud eſſe nihil, quàm non ſolum Melitenſium, qui ſtrenuè ſe gererent, plúſque præſtarent quàm quiſquam ſperare potuiſſet, animos debilitare, atque infringere: verùm etiam militum mercenariorum ſi hoc illi perſentiſcerent. Itaque ſe omnia aut conſeruare, aut amittere ſtatuiſſe. atque ne quis deinceps ſpem in Angeli arce reponeret, velle omne arcis præſidium in oppidum deducere, vt vnà cum aliis cum hoſte pugnarent: ſolos tormentorum magiſtros in arce relinquere, qui ſi opus foret, pilas in hoſtes contorquerent. Reſponſum equidem tali Principe dignum, & poſteritatis memoriæ commendandum. SPERARE non poterit miles, qui ducem viderit de victoria deſperare: nec audere, vbi dux ipſe metu perculſus cernitur. Dum Magiſter Equitum hoc reſponſo eos non modò pudore afficit, ſed labantes animos ad virtutem erigit: Turcæ, ne illa dies, vt nec tres priores, prælij expers eſſet, primo diluculo, eademmet loca maiore quàm antea vi adoriuntur, ad Caſtellæ præſertim (vt ſemper) ruinas: vbi Sanromanus ab Aruernia, qui in ea parte curabat, vitam hanc breuem amiſit, gloriam immortalem eſt adeptus. Ad Michaelem Adurnius eques, atque Fagio, cum aliquot aliis grauiter vulnerati. nam citò ſe hoſtis è pugna retraxit: & ſimul tantis catapultarum fulminibus iaculari, vt inſula omnis tremere, cœlum ardere ſubtexique fumo videretur. Interea Valeta, è prælio matutino ſatis feſſus, ſeceſſerat pauliſper ſui recolligendi cauſa: cum ecce ſacerdos quidam Hiſpanus, manibus in cœlum ſublatis ad Magiſtrum accurrit, clamans & vociferans actum de re Melitenſi eſſe: iam enim tria quatuórve ſigna hoſtium per Caſtellæ ruinam in oppidum irruiſſe. Quo audito, repentè Magiſter capiti caſſide impoſita, ſum-

vtaque hasta: En vobis commilitones, inquit, venit hora, qua vos fortissimos Christianæ religionis defensores ostendatis. Quod si eandem virtutem quam in aliis prælijs ostendistis, nunc quoque retinetis, non est quòd de extremo dubitetis. Nã idem hostis, idem Deus, qui nos adhuc seruauit, ne nunc quidem deseret. Ite mecum illustres animæ. Hæc fatus, simul ipse, vbi periculũ maius, properare: & cum eo milites omnes, item ciues, mares & fœminæ, puerique senésque, cuncti in hostem vadunt. Ibi prælium atrox, & periculosum: alij hostem ab ingressu arcere: alij ingressum aut occidere, aut fugientem insequi, sauciare, pellere: illi haud timidè resistere. maxima vi certatur: intus, foris, omnia constrata telis, armis, cadaueribus, sanguine. Magister omnia prouidere, apud omnes adesse, laudare, hortari, monere, multũ ipse pugnare, strenui militis & boni imperatoris officia simul exequebatur. Itaque cum solis occasu cedentibus barbaris, prælium finitur. Magister haud dubiè victor, ceterùm non sine multo suorum sanguine: quippe qui in ea pugna plus quàm ducentos viros amiserit. Hostium verò, præter eos qui erant ingressi, quorum nemo euasit, ad duo millia occubuêre. Hæc sunt quatuor illa maxima prælia, cum obsessis continenter facta. Interea Garzias Toletanus, vt in Melitam exercitũ deportaret, nihil aliud opperiebatur quàm Ioannem Cardonam, Panhormum cum nauibus longis duodecim profectum, vt inde naueis quatuor commeatibus onustas traheret. Ceterùm cum diutius moram trahere videretur, cursorem ad eum peruolare iussit: vt si naueis illas remulcando trahere qua opus esset celeritate nequiret, ne tempus morando tereret, sed commeatum & alia in suas triremes imponeret, reditúmque maturaret. Itaque Toletanus cum classe septuaginta duarum triremium, vicesima die mensis Augusti Messana Syracusas profectus est. Portabat autem delectorum militum decem millia: in quibus fuêre ducenti & amplius sacræ Ioannitarum militiæ equites, & circiter quadraginta Stephanitæ. Hic est equitum ordo, ab Cosmo Medice Florentinorum duce ad Melitensis militiæ exemplum institutus, anno salutis Christianæ M. D. LXI. Differt ab Ioannitis in eo, quòd quam illi candidam, hi rubram crucem gestant auro circumscriptam: dein, quòd milites ipsi semel esse mariti possunt, quæ res Ioannitis permissa non est. Ilua, Ligustici siue Tusci maris insula, eorum propria sedes est. verùm dum in ea Cosmopolis vrbs noua à Cosmo conditur, equites Pisis habitant. Ordinis Magnus Magister idem est, qui & autor, eiúsque posteri. Quod autem Stephanitæ appellantur, id non à Stephano illo protomartyre habent: sed à Stephano Pontifice quodam, Florentinæ ciuitatis patrono, in diuorum numerum relato. Præter Equites sacros, in ea classe fuêre viri illustres & reguli, Ascanius Cornia, Piscarij fratres, Annibal Estensis, Hercules Varanus, Æneas Pius, Capinus Vincentiúsque Vitellij, alij præterea genere & militia clari. Classe igitur in portum Syracusanum appulsa, Toletanus Auriam cum vna triremi & scapha in Melitam præmisit, qui hominẽ in terram exponeret: vt is à Petro Paccio, quem antea ad Malecam speculatorem in insula relictum diximus, quid vidisset cognosceret. A quo intellectum est, in mari nauigium visum nullum esse præter liburnicam vnam, quæ XXI. Augusti die manè Gaulon versus tenderet. eodémque die vesperi, vt ex Malecę custodia acceperat, sexdecim vela aquatum ad Salinas venisse: quò autem post abierint, ad minus per noctem obseruari potuisse. Nostri interea ad Castellæ ruinam egregiè se munierãt: tormentáque bellica pluribus in locis collocauerant: queis hostis latera pulsabant, & aggeres quos Boninsegnæ propugnaculum agebant, quo inde Castellæ areã omnem paruorum tormentorum ictibus infestam haberent. At Turcæ cum vtrunque oppidum, vt antea, totis viribus aggredi statuissent, pluteũ tignis asseribúsque contextum triginta militum capacem, sub Michaelis prostratum murum agunt: eo fiebat, vti nemo iam in ea parte sese nostrorũ auderet ostendere. Quod cũ nostri ferre nequirẽt, eruptione facta, iisq; qui erant sub pluteo fugatis, pluteũ igni iniecto corrupêre. Eodem modo qui nouã vrbem oppugnabant. altero pluteo pariter ad Castellæ ruinã cõbusto, reiecti sunt. Insequente nocte, Castellę custodes erupêre: & corruptis Turcarũ ad eum locum oppugnandũ munimentis, & præsidiariis qui

Ibi erant obtruncatis, cuncti incolumes in vrbem se recepere. At cùm illóque aliísque diebus hostis non quiesceret, sed vineis, pluteis, aggeribúsque reparatis, nostros subinde à muris vtrinque submouere contenderent: omnis illorum labor, virtute ac vigilantia nostrorum frustra fuit. Egerant obsessi ad Castellæ ruinam cuniculum, in eóque octo pulueris sulphurei cados incluserant: vt si hostes denuò inuaderent, iniecto igni dissiparentur. Dum autem barbari circa eandem fossam & ipsi fodiunt, vt in obsessos aliquid pro more moliantur, in eum cuniculum incurrunt, ipsúmque ablatis cadis corrumpunt: & quod cœperāt munimentum absolunt. His in hunc modum vltrò citróque agitatis, Mustapha terrestrium copiarum præfectus, bellóque præclarus, iam præcipiti æstate non esse cunctandum ratus, PERTINACIAM in bello casum victoriæ sæpenumero inuenire, statuit Michaëlis arcem totis viribus oppugnare. Itaque producto Imperatoris sui augustiore vexillo, cuius in cuspide aureus globus eminebat, per ruinas perrumpere in oppidum iubet. Subeunt hi: resistunt nostri: ingens atque anceps prælium geritur. cúmque bis iam reiecti essent, ipse Mustapha ad suorum munitiones progressus, quòd videret eos segnius agere, orare & hortari milites ne deficerent: illum diem superiores labores & victorias confirmaturum: ne hostes victos, vincere paterentur. nullum iam hosti munimentum esse, quo se tegat: omnia deiecta, superesse modò aliquot defessa & mutilata corpora, quæ aciem suorum gladiorum ferre non possint. tali pertinacia ipsos Hermæam arcem obtinuisse. Postremò, pro cuiusque ingenio pecuniam, honores pollicendo, minitando, obtestando, alium alio modo excitare. Hi siue ob ducis præsentiam, siue eius promissis illecti, siue minis impulsi, redintegrant prælium. Pugnatur vtrinque magna vi: sed barbari nostris breui cedere coacti sunt. Nostri enim fossam quandam egerāt, in ea duo mediocria tormenta collocarāt, quibus pluteum ceteris firmiorem, corio etiam contra ignes munitum, per latus peterent. Is primò tormentorum iactu comminutus: qui sub eo erant milites quadraginta lacerati. Quin & nocte eadem, qui in altero oppido ad Castellæ propugnaculum stabant, valida eruptione facta, omnes hostis munitiones corrumpunt: barbarósque ex aggere quodam supra nostrorum munitiones facto, deiectos fundunt & fugant. Tunc nostri cognouêre, hostes deinceps ægrè pugnaturos: nam ad eum aggerem fuêre milites ferè trecenti, nostri autem modò viginti quinque: cum quibus tamen illi congredi noluerunt. Alterum cuniculum nostri ad Castellæ vallum egerant, eadem de caussa. ceterùm cum viderent propè esse, vt ab iis qui foris suas munitiones reficiebant, inueniretur, ignem ipsi apposuere: cuius impetu repentè sexaginta Turcæ, qui in eo loco erant, in auras sunt dissipati. Dum hæc fierent, iam Garzias Toletanus cum classe Syracusis profectus, Pachinum versus secundis ventis iter tenebat: cum nauis oneraria in mari conspicitur, tempestate, vt pòst cognitum est, in eum locum delāta. Ea ex Meninge insula commeatum, pulueris sulphurei & globorum magnum numerum in Turcarum castra vehebat. Hæc facilè, nostra classe conspecta, deditionem fecit: quam Toletanus, sociis nauahbus permutatis, Syracusas misit. cúmque secundo cursu Melitam versus classis procederet, tanta repentè exorta vis ventorum est, vt ad Ægusam insulam ducentis & viginti à Melita P. M. occasum versus, reiicerentur. Iamque dies primus Septembris aderat, cum literæ à Toletano ad Valetam afferūtur, quibus se breui ad insulam cum classe futurum significabat. Eodémque die Christianus è Turcarum nauibus, vbi captiuus detinebatur, in Angeli oppidum fuga se recepit. is affirmabat, in Turcarum castris paucos esse ad pugnam idoneos: plerumque exercitum vulneribus, fame, morbis, aliísque malis debilitatum: ad hoc, innumerabiles quotidie mori. Illud tamen addebat, eos de Melita vrbe obsidenda cogitare: iámque murales machinas quinque ad id in promtu esse, nam & superioribus diebus circiter duodecim equos, & proximè quatuordecim ex præsidio Melitensi captos. Interea classis, quam ad Ægusam reiectam diximus, iam tranquilliore mari, Drepanum se receperat: vnde, Gaulon versus, quò intenderat, nauigauit. In itinere autem binæ illæ Ioannitarum triremes, liburnicas duas Turcarum conspicatæ, in eas impetu

facto ceperunt, & vnà cum classe abduxerunt. nam quinta Septembris die ad eam insulam accesserant. Cæterū cùm è Melita signa non videret Toletanus, quibus fretus in eam descensionem faceret, Pozallum illico reuersus est: quò Auria eum secutus, ei se & signa vidisse, & descensionem in insulam Melitam tutissimam esse, affirmauit. His verbis Garzias confirmatus, postero die prima noctis vigilia Gaulon rediit. Eodem die quidam perfuga Christianus à Turcis ad nostros transierat. is Valetæ dixit, se idcirco effugisse, quò ei lætum nuncium afferret. scilicet Turcas postremò fortunam in Michaëlis castello oppugnando tentare statuisse, id quod in sequenti die essent facturi. Quod si ex sententia ipsorum procederet, mansuros: sin minùs, prorsus abituros. Quò autem animo id facerent maiore, Mustapham signiferis, qui primi signa in mœnibus fixissent, auri talenta quinque præmium proposuisse, eosq; ad superiores militiæ ordines promotorum: reliquos provt quisq; meritus foret, pecunia aut honore remuneraturum. Valeta ratus hæc sibi Dei nutu cuncta, vt & antea semper, per huiusmodi homines nunciari atque portendi, Deo in primis opt. max. grates agere: dein, quæ vsui esse ad hostis conatum irritum faciendum existimaret, diligenter apparare. Turcæ verò totum eum diem nouæ vrbis domos, nauesq; in portu stantes, tormentis percutere: quibus etiam nauis magna depressa est. At Garzias Toletanus manè ad Melitam per fretum classe appulsa, copias in insulam properè dilucido & silentio exponit. Dumq; naues eius in Gaulo aquātur, is cū exercitu ad quatuor stadia progressus, præfectos militum ac tribunos quid facto sit opus docet: monetq;, vt omnia edicta ac præcepta Hispaniarum regis nomine fiant, tantisper dum ad Magnum militiæ sacræ Magistrum veniant: tum ei, sicuti Regi, omnes pareant. Ad hoc, Ascanio Corniæ præcipit, vti in rebus gerendis, quod maior pars in consilio statuat, id sequatur. Ita paucis cohortatus eos, Melitam proficiscentes relinquit. ipse circa meridiem ad naues se recepit: ac vniuersa cum classe Orientem versus nauigans, in Melitæ vrbis conspectum, quæ III. M. P. abest à meridiano litore, venit: qua conspecta, Melitenses illico lætitiæ signum omni genere tormentorum dedere: quibus & ipse per tormentorum magistros responderi, bis omnibus tormentis displosis, iussit. Dein quò intenderat, in Siciliam rediit, vt Vrbinatis reguli cohortes, quę Messanæ erant, & Hispanorum aliquot, Syracusis acciperet: mox Melitam versus rediret, quo abeuntem Turcarum classem inermem ac semifractam à tergo insequeretur. At Turcæ, qui (vt dictum est) an Michaelis oppido potiri possent, postremò experiri in animo habebant, iam aliquot dies ante classis aduentum, vasa colligere cœperant. Cæterùm vbi de classis aduentu, & copiis expositis cognouerunt, repente alii ad arma, alii ad vasa conclamant, & simul trepidi sibi quisq; pro moribus consulunt: alii fugere, alii arma capere: magna pars ad munitiones atq; ad tormenta accurrere: & munimentis exustis, impedimenta ad naues tormentaq;, quanta maxima possunt celeritate trahere. Id cum qui erant in Angeli oppido cernerent, non expectato Magistri imperio, eruptione facta ad Burmolam, vbi Turcarum cohortes aliquot tormentum ingens custodiebant, magno impetu procurrunt. Cæterùm barbari pugnam detrectantes, relicto tormento, se in fugam concitarunt: nostri, tormentum in oppidum taxerunt. Quod si eo die recentes nostræ copiæ, hostium tergo, dum ad naues impediti concurrunt, institissent, aut casum victoriæ forsitan inuenissent, aut saltem pleraq; machinarum bellicarum parte potiti essent. Sed arbitror illos vetus rei militaris dictum secutos, quo monemur HOSTI abeunti viam sternendam esse, pontemq; vel argenteum faciendum. Quanquam nostri à commeatu, aliisq; vsui obsessis futuris, quæ difficulter propter viarum asperitatem, & iumentorum inopiam, importabantur, discedendum non esse rati, tumultuario prælio hostem lacessere noluerunt. Quo factum est, vt barbari omnia impedimenta, machinas bellicas, & plerunq; exercitum nauibus sine impedimento imponerent. Die vndecima Septembris, dum Turcica classis è portu Museto educitur, perfuga natione Ligus ad Valetam properato itinere venit: eiq; dixit, Turcarum ad decem milia Melitam versus tendere, vt nostris copiis venientibus occurrerent. Qua re audita, Ma-

gister militum ſatis magnam manum ad Hermetis arcem ire iuſſit, qui in ea ſacræ militiæ vexillum figerent. Profecti, viginti quatuor tormenta, partim muralia magna, partim mediocria, & cãpeſtria ibi inuenere, quæ Turcæ inde tam citò extrahere nequiuerant. Turcarum claſſis è Muſeto ad Pauli portum tranſiuit: ibiq́; ſeptem milia Turcarum in terram, vnà cum Muſtapha terreſtrium copiarum præfecto, expoſuit. Audierant enim, noſtros trium milium numerum non excedere. Inde vrbem verſus, ex noſtrorum (vt exiſtimabant) paucitate audaciores facti, procedunt. At noſtri iam ad pugnam parati, infenſi intentiq́; barbaris obuiam vadunt. Vbi in collem quendam vtriq; veniſſent, clamor ingens exoritur: prælium inter primos incipit: pauci vtrinq; cadunt. Cæterùm noſtris numero & robore inualeſcentibus Turcæ terga vertere: noſtri inſequi, cædere, fundere: donec illi in naues compellerentur: in quas dum certatim ſeſe immittunt, circiter quadringenti in mari periere: cæſi autẽ mille & octingenti. Quòd ſi noſtri locorum & regionis periti fuiſſent, deleri cuncti ad vnum poterant. In naueis igitur compulſi, inſequentem diem totum & plerunque noctis in eo portu conſtitere, mox ante lucem ad tormenti bombum, quod erat abeundi ſignum, Græciã verſus vela, Melita inſula vaſtata atq; inope relicta, fecerunt. Pulſis igitur è tota inſula ingenti cũ clade Turcis, Valeta princeps magna gloria victor, ſupplicia Deo opt. max. decernit: fortibus viris præmia diſtribuit: vniuerſos laudat, atq; agit gratias: ſaucios ac morbis affectos cum cura reficit: inſulæ vaſtitatem deplorat: ac de ruinis impigrè inſtaurandis conſilium capit. atq; in his tamen omnibus itinera conſiliaq́; hoſtium explorat: nihil apud ſe, vt pleriq; in victoria, remiſſum patitur. Itaq; Valetam omnes magnum & ſapientem virum dicere, & quaſi numen quoddam ſuſpicere: quo viuo, cuncta proſperè ceſſura ſperant. Eadem ferè tempeſtate Solymanus in Pannoniam ingentes copias præmittebat: quas ipſe ineunte vere ſecutus eſt. quo metu Germania omnis commota erat. nam Germani inde à priſcis temporibus, cum cæteris gentibus, pro gloria, non pro ſalute certare: cum Turcis autem, pro ſalute magis quàm pro gloria certamen habent. Aduerſus hunc Maximilianus Imperator cum ſatis firmo exercitu progreſſus, Veſperinum expugnauit. Cæterùm Solymanus in alia parte Segeſtum, Iulamq́;, magni momenti loca, vi obtinuit. Sed in ipſo victoriæ curſu, quinta die Septembris, in vrbe clariſſima, quæ à quinque templis nomen habet, mortuus eſt, Anno Salutis M. D. LXVI. cui Selymus filius ſucceſſit: qui, ſi patri aut auo ſimilis erit, & Germania inteſtinis odiis ac diſſenſionibus flagrare perrexerit, verendum eſt, ne quod Thraciæ, Daciæ, Mæſiæ, & vicinæ Pannoniæ accidit, idem & ipſi eueniat. NVLLA enim tam magna tamq́; firma potentia eſt, quam diſcordia non comminuat & perdat.

Hiſtoriæ de bello Melitenſi Finis.

AD LECTOREM.

HVic Hiſtoriæ ſequentem Epiſtolam addere libuit, quòd ſummatim & breuiſſimè ea contineat, quæ fuſius in Hiſtoria ſunt explicata. eritq́; eius ſiue Epitome, ſiue argumentum, ſiue Epilogus. Huius nobis copiam fecit Xiſtus Margrauius, eius ad quem ſcripta eſt a Secretis, vir humanitate ſingulari. quod præfari libuit, ne de epiſtolæ fide fortè dubites: néve, cui hoc bonũ debeas, ignores. Vale.

FR. IOANNES VALETA MAGISTER HOSPITALIS HIEROSOLYMITANI.

Venerando, religioſo in Chriſto, nobis chariſſimo fratri, Georgio de Hohenheim, dicto Bombaſt, Prioratus noſtri Alemaniæ Priori, S. D.

ETſi non dubitamus, quin ex multorum literis atq; relatu, iam intellexeris aduentum claſſis Turcicæ, ad has inſulas, adq; Ordinem noſtrum inuadendum, & penitus delendum, felicemq́; & diuinitus de ea à nobis habitam victoriam: tamen illa ipſa, ſi noſtris etiam literis ad te perferentur, multo tibi iucundiora fore putauimus. Nam cum certò nobis perſuaſum

ſit, te in hoc tam felici quàm ſalutari ſucceſſu, Deo opt.max. gratias eſſe acturum: fructumq; huius beneficii ad te, propter dignitatem, quam in noſtro ordine geris, maximè peruenturum, libenter tecum commune hoc gaudium pariter gaudere conſtituimus: planeq; ac palàm teſtificari, hanc tam inſignem tamq; admirabilem victoriam nos Domino Ieſu Chriſto, ſummo regũ Regi, ac bonorũ omnium auctori referre acceptam. Quod vt meritò & libentiùs facere poſſis, rem omnem, non longis verbis (id enim eſſet hiſtoriam ſcribere) ſed ſummatim & paucis explicabimus. Sultanus Solymanus, Chriſtiani nominis, & præſertim Ordinis noſtri acerrimus hoſtis, non contentus, nos clariſſima inſula Rhodo, arceq; Tripolitana, fortuniſq; penè omnibus iam expoliaſſe: non aliud cogitans, niſi qua ratione nos ante alios penitus delere atque extinguere poſſet, claſſem inſtructiſſimam & numeroſiſſimam aduerſus nos parari iuſſit: quæ Bizantio, vndecimo Calendas Aprilis ſoluens, decimoquinto Calendas Iunii Melitam appulſa eſt. Conſtabat ea claſſis ex triremibus, biremibus, aliiſq; nauigiis fermè ducentis quinquaginta. Hoſtium numerus pugnatorum, veritati propior, fuit plus minúsve quadraginta millium. Præfectus exercitus terreſtris, Muſtapha Baſſa: claſſis verò, Pyali Baſſa, qui paucis diebus tranſactis, in exonerandis in litus commeatibus, & ſpeculandis locis, figendis tentoriis, aliiſq; (vt fieri ſolet) ordinandis, arcem ſancti Elmi, quæ in faucibus portus ſita eſt, magno impetu, maximáq; tormentorum vi in primis oppugnare cœperunt. Idque cum plures dies labore non intermiſſo feciſſent, ac magnam murorum partem aperuiſſent, omniq; miſſilium telorum genere impugnaſſent: virtute tamen & induſtria noſtrorum equitum, aliorumq; militum, triginta quinq; dies propugnata ac protecta eſt, magna cum clade & cæde hoſtium: licet arx ipſa, iudicio multorum, ad paucos dies contra tantam vim defendi poſſe videretur. Tandem octauo Calendas Iulii, cum noſtri multitudinem & impetum inimicorum ſuſtinere non poſſent, terra mariq; circumdata ac intercluſa, omniq; auxilio deſtituta, paucis noſtris qui ſupererant trucidatis, à Turcis arx ipſa capta eſt. Qua victoria elati, arcem & oppidum ſancti Michaelis, & hanc nouam ciuitatem, præſertim ad propugnaculum Caſtellæ & Luſitaniæ, oppugnare inceperunt: pluribuſq; locis magna diligentia, maioriq; machinarum & tormentorum bellicorum impetu & numero, more ſuo mœnia quatere atque deiicere aggreſſi ſunt. Quam oppugnationem horrendam & ſtupendã effecerunt in primis, Turcarum exercitus terra mariq; apprimè tremendus: mox ingentia, nullibiq; locorum tam horrendę molis furibundiq; impetus tormenta, globos ferreos ſaxeoſq; quinq; ſeptemq; palmorum rotunditatis interdiu noctuq; iacientia: quibus non craſſiſſima mœnia dirui, ſed etiam montes ſubuerti poſſent. quorum vi mœnia ipſa plurimis in locis adeò corruerũt, vt facilè plano pede aſcendi poſſet: quà cum barbari ipſi ſæpius magno impetu & clamore ingredi tentaſſent, toties magna cum ſtrage & ignominia permultis eorum occiſis ac vulneratis, repulſi & reiecti ſunt. Præfecti autem tam maris quàm terræ, poſtquam tot locis, omnibus copiis obſidione oppugnationeq; ferme quadrimeſtri, ſumma vi fruſtra oppugnaſſent, & maiorem partem ſuorum veteranorum militum amiſiſſent, hyeme præſertim iam inſtante, quo omnia bella iure gentium conquieſcere debent: nihil aliud pręter receſſum, ſeu potiùs fugam meditati ſunt. quam maturare coëgit aduentus Garziæ à Toledo, Siciliæ proregis, ac præfecti claſſis regis Hiſpaniarum, cum ſubſidio & auxilio decem millium militum & ſelectorum virorum, inter quos erant ad minus ducenti & quatuordecim equites noſtri, ac plures alii nobiles ac generoſi viri: qui ſola Chriſtiana pietate commoti, voluntariè ex diuerſis mundi partibus concurrerunt, opem & auxiliũ nobis allaturi. Habes ſummatim & paucis, progreſſum ac fugam claſſis Turcicæ, victoriamq; de ea diuinitus à nobis obtentam. Tuum erit conſiderare & coniicere, quo in ſtatu Ordo ac Inſula hæc in præſentiarum ſit, ac reperiatur: in quam paupertatem redacti ſimus, quantis rebus indigeamus. quibus niſi ope & auxilio fratrum noſtrorũ, præſertim tuorum ſimiliũ, vt ſperamus & credimus, adiuuemur, actum erit de rebus noſtris.

Bene vale: Melitæ, 7. Idus Octobris. 1565. Finis.

INDEX RERVM ET VERBORVM TOTO HOC OPERE PRAECIPVE MEMORABILIVM:

In quo prior numerus paginas, posterior lineas designat.

Baby-

B.

C.

Garziæ

Medinæ

N.

O.

P.

Saidu

T.

V.

X.

Z.

FINIS.